

*422. ZURICH, 1833. Ed. Orelli.

Second edition of no. 404 in: Eclogae Poëtarum Latinorum in usum gymnasiorum et seminariorum philologicorum. Iterum edidit longe auctiores et correctiores Io. Casp. Orellius. Insunt A. Persii Flacci Satirae sex integrae cum scholiasta et varietate aliquot codd. nunc primum collatorum. Turici. Typis Orellii, Fuesslini et Sociorum. M. DCCC.XXX ... 96.

HCL.

Persius is fc

'Bullius brevibus sed non doctis annotationibus totum Proclum illustravit' – John p. 6 of preface

ECLOGAE
POËTARUM LATINORUM

IN USUM

GYMNASIORUM

ET

SEMINARIORUM PHILOLOGICORUM.

ECLOGAE
POËTARUM LATINORUM
IN USUM
GYMNASIORUM
ET
SEMINARIORUM PHILOLOGICORUM.

ITERUM EDIDIT
LONGE AUCTIORES ET CORRECTIORES
IO. CASP. ORELLIUS.

INSUNT
A. PERSII FLACCI
SATIRAE SEX INTEGRAE
CUM SCHOLIASTA ET VARIETATE ALIQUOT CODD. NUNC PRIMUM COLLATORUM.

TURICI
TYPIS ORELLII, FUESSLINI ET SOCIORUM.
M. DCCC. XXXIII.

EDITOR LECTORIBUS.

Quum Gymnasii Turicensium Carolini hoc sit institutum, ut in classe philologica eloquentiae professor suo ex iudicio poëtarum Latinorum vel locos selectos vel integra carmina exponat, quibus scholis interesse solent e reliquis quoque classibus auditores voluntarii, post Ovidium Virgiliumque in Collegio humanitatis domive perlectos, uti postulat usus et ratio, ad Horatium accessuri, satis cognito hoc omnium principe optabile sane erat, ut deinceps ad ceterorum etiam lectionem paullatim perducerentur. Etenim illi quoque, qui harum literarum ingenuo amore capti strenue ac sponte sua iis operam dare pergunt, novis subinde, ne cesset voluntas, illecebris retinendi videntur. Horum igitur commodis prospiciens libellum auditoribus meis tradendum censui, cuius exiguo volumine comprehenderentur Latinorum poëmata elegantissima quaeque et publicae interpretationi quam maxime apta. Sed id quoque spectandum erat, ut quae collegissem, speciem quandam universae praeter scenicam apud Romanos poëseos exhiberent et ad reliqua eiusdem monumenta recte intelligenda viam quodam modo munirent bonarum artium studiosis. Verum meo pro consilio paullo aliter, quam in huiuscemodi Anthologiis fieri saepe videmus, versatus sum; si quidem lectionibus ipsis reservari debebant, quae vel ad grammaticam interpretationem vel ad poëtarum artem demonstrandam proprie pertinerent; tum significare potius, quam enucleare consentaneum erat res mythologicas atque historicas, ut, quum accuratior earum expositio a magistro esset repetenda, memoriae tamen aliquatenus subveniretur. Ubi vero plures unius loci interpretationes exstarent, eam, quae verior mihi visa esset, aut ab aliis repertam aut a me ipso excogitatam indicare raro neglexi, ne nimis fluctuarent

auditores scholis cum fructu excipiendis sese praeparaturi. Exhibenda etiam erant interdum aliorum scriptorum verba meos illustrantia, quominus dictando tereretur tempus vivam potissimum magistri vocem desiderans. Praeterea quum haud pauci nostrorum mature iam criticae doctrinae praeceptis initiandi sint ac theologorum quoque ingenium his studiis acuatur sevoceturque a somniis fanaticorum, diligentius etiam quam in tironum, ut inquiunt, usus plerumque solet necesse haberi, enotandam ac diiudicandam suscepi lectionis diversitatem. Paucissimis denique verbis ut his omnibus defungerer, ipsa libelli utilitas suadebat; carmina enim, non adnotationes ii petebant, quibus erat destinatus: [nec vero tantummodo ad lectiones publicas: volebam enim, ut domi quoque haberent, quibus sese delectarent. Minime autem, haec scribens, reprehendo VV. CC. Lindemannum (1823.) et O. Schulzium (1825.); suum enim uterque consilium secutus est et in diversis regionibus atque scholis compluribus similis moduli ac generis libellis, ut inter multos etiam meus est, locum esse video. Praeterea nemo mihi vitio vertet, quod meo ex sensu, quem erroris expertem nunquam praestabo, in omnibus mei libelli partibus, etiam in hac altera editione, ea secutus sum, quae vere poëtica mihi visa sunt, alii alia quum praetulerint. ED. ALT.]

Iam, quibus subsidiis usus singula tractaverim, enarrabo.

In Lucretii quidem locos selectos recensendos plus utique laboris insumendum fuit, quam propositi ratio postulare primum videbatur. Quamvis enim Eichstaedtius, quem praecipue secutus sum, (etiam in scribendi ratione, non tamen usquequaque ipsi Viro clarissimo postmodum probata) perpetuum Wakefieldi censorem correctoremque docte atque eleganter egisset, nihilominus aliquoties modo amborum, modo alterius utrius auctoritatem deserere ausus sum. Nam ea profecto etiamnunc est conditio carminis Lucretiani, ut indefessas futuri editoris curas requirat, qui studiose rursus excussis codicibus editionibusque in nova recensione adornanda elaboret. Ego vero et libris scriptis, et, quod nimis aegre tuli, Iuntina editione(*) destitutus, quid in tractandis

(*) Hanc et alteram Aldinam nunc ipse domi habeo. *Ed. alt.*

reliquarum ac praesertim Glasguensis(*) copiis observare licuerit, paucis exponam. Brixiensem e melioris notae codice ductam esse compertum habeo, eaque quum caruisset Wakefieldus, factum est, ut minus certum de veterum editionum lectionibus saepe iudicium ferret. Ex alio autem libro vitiosiore fluxit Veronensis, fideliter repetita in Veneta, erroribus nonnisi operarum et paucissimis interpolationibus correctori, ut opinor, subnatis, sed plerumque pravis, discrepante ab illa. Venetam(**) deinde, non Veronensem, ut ratus est Wakefieldus, emendavit Hieronymus Avancius, qui scite interdum, frequentius tamen, ut Italorum tunc temporis mos erat, audacissimi interpolatoris, quam circumspecti critici partes agere maluit. Profitetur ille quidem, nescio qua gloriola ductus, se Lucretii poëma sine antiquo exemplari emendasse, sed eundem veteratorem hac in re deprehendi, quippe qui versus aliquot minime subditicios, quamvis a praecedentibus, si fides Gerardo, omnibus omissos (2, 1139. 3, 866. 5, 1011.) suis locis inseruerit. Hanc autem Aldinam priorem examinare quum neglexisset Wakefieldus, eum in errorem incidit, ut quae Avancii essent, cuncta Pio perperam tribueret. Pius enim rarissime ab Avancio discessit (1, 123. 2, 591.) bona atque inepta pariter subripiens; prisca vero exemplaria, quae identidem laudat, passim interpolationis suspecta sunt, Marulli praesertim codex.

In Catulli Epithalamio Pelei ac Thetidis(***) recensendo usus sum Aldina utraque, Parisina c. n. Var. anni 1604.,

---

(*) Glasguae 1813. 4. Vol. 8. Magna dos huius editionis est collatio Ed. Brixiensis s. a. (1472.) Veronensis 1486. Venetae 1495. Avancii apud Aldum 1500. cum Bipontina 1782., quae Creechii, id est, Lambini ultimam recensionem sequitur, a Ioanne Gerardo accuratissime confecta.

(**) Cfr. I, 142. *efferre* Ver. *perferre* Ven. Av. 3, 1048. *infimus* Ver. *improbus* Ven. Av.

(***) Festivam allegoriam convivii illius nuptialis habes in Clementinis, Homilia 6, 14. — *τὸ δὲ συμπόσιον τὸ γαμήλιον, ἔνθα τὸ δεῖπνον ἐτέλει Ζεὺς ὑπέρ τε τῆς Νηρεΐδος Θέτιδος καὶ τοῦ καλοῦ Πηλέως, ἀλληγορίαν ἔχει ταύτην· — τὸ μὲν δὴ συμπόσιον, ὁ κόσμος· οἱ δὲ δώδεκα, οὐράνια τῶν μοιρῶν περιστηρίγματα, ἅτινα ζώδια καλοῦσιν· Προμηθεύς, ἡ προμήθεια, ὑφ' ἧς τὰ πάντα ἐγένετο· Πηλεὺς, ὁ πηλὸς ὁ ἀπὸ γῆς εἰς ἀνθρώπου γένεσιν περινοηθεὶς καὶ μιγεὶς τῇ Νηρεΐδι, τουτέστιν ὕδατι· ἐκ δὲ τῆς τῶν δύο μίξεως, ὕδατός τε καὶ γῆς, ὁ πρῶτος, οὐ γεννηθεὶς, ἀλλὰ πλασθεὶς τέλειος, διὰ τὸ μαζοῖς χείλη μὴ προσενεγκεῖν Ἀχιλλεὺς προσηγορεύθη κ. τ. λ.*

Vossii, Vulpii, Doeringii, Astii commentariis et lectionibus Mitscherlichii. Parum aut nihil praesidii subministrabat: *Libro di C. Valerio Catullo tradotto in versi italiani a rincontro del testo latino da Luigi Subleyras nell' anno MDCCLXX. Seconda edizione. Roma, de Romanis* 1812. 12. cuius lectionem e Corradiniana ac Vulpiana miro modo mixtam deprehendi. Plus sane debeo nupero editori Francogallico: *Les noces de Thétis et de Pélée, poëme de Catulle traduit par M. P. L. Ginguené. Paris, Michaud.* 1812. 12. quamquam ille neque codices Lutetiae asservatos neque editionem principem, qua par erat, diligentia contulit, maiorem etiam, quam merebatur, Alexandri Guarini recensioni auctoritatem tribuens. — Versus aliquot nulla iam arte sine melioribus libris sanandos asterisco praefixo dedi, ut leguntur in Codicibus nunc notis; praestat enim, opinor, hac in re artifices imitari, qui antiquorum simulacra trunca picturasque evanidas omissis recentiorum supplementis repraesentare, quam mentita integritate fallere oculos malunt.

In eiusdem poëtae Elegia de coma Berenices praeter subsidia iam memorata ac Valckenarium (*Callimachi Elegiarum fragmenta cum elegia Catulli Callimachea collecta atque illustrata a L. C. Valckenaer. Lugd. Bat.* 1799. 8.) magno mihi emolumento fuit Hugonis Foscoli [amici mei, Mediolani quum degerem, probe mihi cogniti, postea generosissimi exsulis, Londinii nuper mortui] liber inscriptus: *La Chioma di Berenice, poema di Callimaco, tradotto da Valerio Catullo, volgarizzato ed illustrato da Ugo Foscolo. Milano dal Genio tipografico* 1803. 8. Nam quamvis animi causa optimus poëta eam ediderit, ut umbraticos doctores describeret ac salse derideret, haud indiligenter tamen enotavit varietatem codicum Ambrosianorum quattuor Y. (M. 38.) A. (S. 67.) B. (H. 46.) C. (D. 24.) omnium quidem recentiorum seculi quinti decimi, et, quo pollebat pulchri exquisito sensu, rectius de vera lectione saepe statuit, quam ipse Valckenarius, qui hoc in carmine edendo non minus, etsi alio modo, lusisse censendus est, ut scilicet ingenio indulgeret omnesque doctrinae copias prodige effunderet.

Facilius iam res procedebat in Tibullo post Heynii, Wunderlichii, Vossii, Huschkii ac Bachii curas, ex quibus, nulli obnoxius, quae potissimum placerent, meos in usus converti.

In Propertio, consultis etiam Bahrdtio, Burmanno, Kuinoelio, Lachmannum praecipuum ducem habui. In Ovidii Elegiis Burmannum, in Persio vero Passovium ac Nicolaum Achaintre secutus sum, ratione habita etiam eorum, quae Casaubonus, Reizius, Montius (*Satire di A. Persio Flacco, traduzione di Vincenzo Monti. Milano, Genio typogr.* 1803. 8.) ac Meisterus (variis in opusculis) ad huius poëtae interpretationem contulerunt. Koenigii commentario careo. Editio quidem Norimbergensis anni 1803. praeter Ebneriani codicis lectiones passim excerptas bonae frugis nihil subministrabat. Primus vero excussi codicem bibliothecae Civium Turicensium (Mss. C. 135.) membranaceum, elegantissime ab Italo librario seculi tertii decimi exaratum ac plerumque cum melioris notae libris facientem.

Quum Sulpiciae satiram denuo recensendam susciperem, ante omnia dispiciendum erat, quaenam obtinuisset lectio ante Vinetum, qua de re ex Schwarzii, Burmanni ac Wernsdorfii editionibus non semper licebat tuto iudicare. At destitutus Ausonii editionibus antiquis, Basileensem anni 1523. apud Valentinum Curionem typis expressam atque ex toto cum Aldina conspirantem pro novae recensionis fundamento habui, ita ut, ubi opus esset, vitiis Aldinae Virorum doctorum measque emendationes substituerem.

Ut ad Iuvenalis satiras quasdam selectas novi saltem aliquid accederet, consului praeter Henninii ac Rupertii editiones codicem membranaceum Turicensem (C. a. 24.) seculi quinti decimi, manu Italica nitide scriptum, cui plerumque cum Parisinis Achaintrii atque editione principe convenit.

His subiunxi primo loco delectum Epigrammatum concinnatum ex Anthologia Burmanni, Collectione Pisaurensi, Martiale et Ausonio, aptumque, ut opinor, et ad lectores exhilarandos et ad usum magistri, qui, dum eum interpretatur, varia literaturae et antiquitatis Romanae capita

strictim attingere poterit. In alteram appendicem conieci locos quosdam luculentos Lucani, Silii Italici, et Claudiani, in quibus explicandis commode disputabitur de poësi historica, de oraculo Delphico, de vera Carthaginiensium religione, ab ea, quam Silius iisdem tribuit, prorsus diversa.

Valerii autem Flacci, poëtae ubique fere sui similis, id est, languidi et probabili quadam mediocritate contenti (*), locum Lib. VIII. v. 1—190. non tam propter argumenti praestantiam aut singularem aliquam venustatem selegi, quam quod unum saltem specimen hic exstare volebam, quo adolescentium industria converteretur ad eam criticae partem tractandam, cui subditicia a veris discernere propositum est. Nam uti nuper Aristophanis Nubes posteriores, invito poëta, duobus priorum versiculis [a Reisigio] oneratas vidimus, ita sexdecim a Weicherto V. C. ditata sunt Valerii Argonautica, quum antea illi apud Diogenem Laërtium, hi vero in Pii adnotationibus prostitissent potius quam delituissent.

(*) Inique et praepostere me de Valerio Flacco iudicasse asseveravit Paldamus *Propert.* p. 246.: „esse enim hunc „„*pro tempore suo*““, ut consentaneum erat, egregium poëtam.“ *Pro tempore suo*, non nego: sed ego, ad omnia secula atque nationes Valerium exegeram secutusque eram omnium nationum atque seculorum sincerum iudicium certumque consensum, ex quo Valerius Flaccus ex illis est unus, de quibus Horatius, *mediocribus*, inquit, *esse poëtis non homines, non di, non concessere columnae*, fortasse nec ipse concedet Paldamus, ubi adolescens generosus magis etiam imbutus erit arte, sensu, sermone Latinorum poëtarum. *Ed. alt.*

PRAEFATIO SECUNDAE EDITIONIS.

Haec scripseram novem ante annos. Severiorem meam rationem et paene βεκκεσέληνον, qua Latinorum poëtarum carmina integra discipulis audacter tradideram atque in iis exhibendis criticam potius disciplinam quam interpretationem a magistro ipso petendam eram secutus, permultis tamen probatam vidi. Nunc nonnulla consulto delevi; haud pauca addidi; permulta, ut officium requirebat, correxi.

Scribebam Turici Kalendis Septembribus M.DCCC.XXXII.

In altera hac Ed. consului exactissimum apographum varietatis antiquissimi Fragmenti Gottorpiani collati a Gudio ad Ed. Raphelengii 1595.; quod debeo Silligii V. C. benignitati: Codicem Basileensem chartaceum communicatum mecum a Gerlachio meo: maximopere ideo memorabilem, quia nitidissime atque accuratissime a Pomponio Laeto in carcere conscriptus est. Ille autem vir magnus atque infelix propter inanem coniurationis suspicionem a Paulo II. Pontifice Max. in vincula coniectus tormentisque laceratus est anno MCCCCLXVIII. Quum tamen eius ceterorumque sociorum Academiae Romanae innocentia demonstrata esset, anno iam sequente MCCCCLXIX. rursus sunt liberati. Ipse Pomponius in fine libri, quantum in illis adversae fortunae procellis debuerit Lucretio, pulcherrimo hoc epigrammate testatus est:

Exscriptum hoc opus est fatis, o lector, iniquis:
  Tempore namque illo carcere vinctus eram:
Praebuit heu toties solamen dulce tenebris,
  Fecit et horrendo libera corda iugo.
Tu lege, sed liber, librum, captiva notavit
  Quem manus, et pro me da pia thura Iovi.

Praeterea habui varietatem Cod. Ambrosiani perboni E. 125. part. sup. Sec. XV., qui fuit olim Pii II. Pontif. Max., et in usum meum accurate collatus est ad edit. Cominianam 1751. ab Hieronymo Mencinio, V. C. doctore Ambrosiano; optimam Forbigeri editionem, Pinzgeri censuram prioris meae editionis cet. — Notarum explicatio haec est: G. = Gottorp. fragm. C. = Codex Pomponii Laeti. E. = Ambrosianus. Edd. vett. = Brixiana, Veronensis, Veneta. Av. = Avancius cum assecla Pio. (P.) A. = Aldina secunda. L. = Lambinus. Gif. = Gifanius. H. = Havercamp. B. = Bentleius. W. = Wakefield, cuius coniecturas, quas recipere ipse ausus non est, ( ) inclusi. Eich. = Eichstaedtius. F. = Forbigerus.

T. LUCRETII CARI
LIBRORUM SEX DE RERUM NATURA
ECLOGAE.

Lib. I. vers. 1—151.

Aeneadûm genetrix, hominum divômque voluptas,
Alma Venus, caeli subter labentia signa
Quae mare navigerum, quae terras frugiferenteis
Concelebras; per te quoniam genus omne animantum
Concipitur visitque exortum lumina solis:
Te, Dea, te fugiunt ventei, te nubila caeli,
Adventumque tuum: tibi suaveis daedala tellus
Summittit flores; tibi rident aequora ponti
Placatumque nitet diffuso lumine caelum.
Nam simul ac species patefacta est verna diei
Et reserata viget genitabilis aura Favoni,
Aëriae primum volucres te, Diva, tuumque
Significant initum perculsae corda tua vi.
Inde ferae pecudes persultant pabula laeta,
Et rapidos tranant amneis, ita, capta lepore,
[Illecebrisque tuis omnis natura animantum]
Te sequitur cupide, quo quamque inducere pergis.

2. (*sub te* W. coni.) 4. „uno tempore frequentas, permeas, incolis." Wak. 5. (*limina* id.) 7. Sic G. C. E. — *adventuque tuo* Codd. 3. A. — *ad ventumque tuum* Turneb. 9. *pacatum* C. Iunta. A. 11. *genitabilis* satis firmatur ab antiquiss. Gottorp., ex quo διαῤῥήδην notatur, C. et E. — *genitalis* ex aliis Cdd. Edd. vett. praetulerunt H. Pinzg. F. Nullam tamen video causam, cur contra optimas auctoritates licentia hic intrudatur nullo pacto necessaria. Varro de L. L. 4. pag. 7. Bip. *Lucretius* (Lucilius?) *suorum unius et viginti librorum initium fecit hoc: Aetheris et terrae genitabile quaerere tempus.* Ib. (*ora Favoni* W. coni.) 13. *percussae* Gif. 14. *ferae et pecudes* B. — *ferae*, *pecudes* Eich. Ib. *persaltant* W. 16. Deest in Codd. 5. (ut videtur, omnibus, certe etiam G. C. E.) Edd. vett. Av. Comparet in Iunt. Ald. ac debetur procul dubio interpolatori Italo v. c. Marullo. Scil. interpolator non vidit ad v. *capta* et *quamque* nomen generale eliciendum esse e praecedd. *Aëriae volucres*, *ferae pecudes*.

Denique per maria ac monteis fluviosque rapaceis
Frondiferasque domos avium camposque virenteis
Omnibus incutiens blandum per pectora amorem,
Efficis, ut cupide generatim secla propagent.
  Quae quoniam rerum naturam sola gubernas,
Nec sine te quidquam dias in luminis oras
Exoritur neque fit laetum nec amabile quidquam;
Te sociam studeo scribundis versibus esse,
Quos ego de rerum natura pangere conor
Memmiadae nostro: quem tu, Dea, tempore in omni
Omnibus ornatum voluisti excellere rebus.
Quo magis aeternum da dictis, Diva, leporem.
Effice, ut interea fera moenera militiaï
Per maria ac terras omneis sopita quiescant.
Nam tu sola potes tranquilla pace iuvare
Mortaleis: quoniam belli fera moenera Mavors
Armipotens regit, in gremium qui saepe tuum se
Reiicit aeterno devictus volnere amoris:
Atque ita, suspiciens tereti cervice reposta,
Pascit amore avidos, inhians in te, Dea, visus
Eque tuo pendet resupini spiritus ore.
Hunc tu, Diva, tuo recubantem corpore sancto
Circumfusa super, suaveis ex ore loquelas
Funde, petens placidam Romanis, incluta, pacem.
Nam neque nos agere hoc patriaï tempore iniquo
Possumus aequo animo; nec Memmi clara propago
Talibus in rebus communi dêsse saluti.

22. Empedoclis fragm. ed. Peyron. p. 54. *Κύπριδος* (i. e. *φιλίας*) *ἐν παλάμῃσιν ὅτε ξὺν πρῶτ' ἐφύοντο.* 23. *luminis oras* Codd. cuncti. Edd. vett. Ennius de Romulo: *tu produxisti nos intra luminis oras.* Cfr. Virg. Ge. 2, 47. ibique Voss. Lachmannus tamen ad Prop. I, 1, 31. „Sic ubique *luminis* et *aëris auras* dissentientibus quamvis saepe libris, non *oras* scribimus, quia *aëris auras* Lucretium I, 208, 801, 1086. dedisse certum est." Sed differunt, opinor, *luminis orae* (immo et *aetheris orae* 6, 61.) ab *aëris auris*, v. 3. 847. Cfr. etiam 5, 779. 27. C. Memmius Gemellus L. F. Trib. pl. u. c. 687. Lucullum, et praetor u. c. 695. Caesarem proconsulem vexavit; anno 699. ipse a Q. Erucio ambitus accusatus et damnatus Athenas in exilium secessit, quo Cicero a. 702. ad eum dedit Epp. ad Div. 13, 1, 2, 3. Poësi quoque studuit, et quidem impudicae: Ovid. Trist. 2, 433. Plin. Ep. 5, 3. v. Wetzel ad Cic. Brut. c. 70. 30. *Et face* B. 35. Ita Codd. Edd. vett. omnes. — *devinctus* L. H. de qua lectione non dubitarunt Bentl. et Valck. ad Callim. Fragm. pag. 117. Aen. 8. 294. *Tum pater aeterno fatur devinctus amore;* ubi eadem varietas, sed h. l. etiam cum G. C. E. F. praefero *devictus.* 36. *suspirans* quidam apud Pium. Ib. *repostam* Heins. pro-

Quod superest, vacuas aureis mihi, Memmius, et te,
Semotum a curis, adhibe veram ad rationem:
Ne mea dona tibi studio disposta fideli,
Intellecta prius quam sint, contempta relinquas.
Nam tibi de summa caeli ratione deûmque
Disserere incipiam et rerum primordia pandam;
Unde omneis natura creet res, auctet alatque;
Quoque eadem rursum natura perempta resolvat:
Quae nos materiem et genitalia corpora rebus
Reddunda in ratione vocare et semina rerum
Appellare suëmus et haec eadem usurpare
Corpora prima, quod ex illis sunt omnia primis.
[Omnis enim per se divôm natura necesse est
Immortali aevo summa cum pace fruatur,
Semota ab nostris rebus seiunctaque longe;
Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene promeritis capitur nec tangitur ira.]
Humana ante oculos foede quom vita iaceret
In terris, oppressa gravi sub Religione,
Quae caput a caeli regionibus ostendebat,
Horribili super aspectu mortalibus instans;
Primum Graius homo mortaleis tollere contra
Est oculos ausus primusque obsistere contra:
Quem neque fama deûm nec fulmina nec minitanti
Murmure compressit caelum; sed eo magis acrem
Irritât animi virtutem, effringere ut arta

bante Valck. l. l. sed obliti erant ambo imitationis Ovidianae: Met. 10, 558. *inque sinu iuvenis posita cervice.* 38. *resupino* E. — *resupinae* Heins. Valck. — *resupini* satis firmant G. C. Aeque falsa est Wak. suspicio *(oris.)* 42. *agere hoc*] „hoc ipsum, quod suscepimus attente et sine cura agere, in hoc studium incumbere." Lamb. 45. *Memmiada, et te* L. H. contra Cdd. Placet Wakefieldo lectio Cod. *Δ.* (et C.) — *quod superest, quaeso, vacuas mihi Memmius aures, Semotim.* 52. *quoque* Seneca Ep. 95. W. — *quove* Codd. Edd. ante W. 56. *sint* C. 57. Hi sex versus L. 2, 645. loco magis apto recurrunt, et h. l. a quibusdam libris abesse dicuntur; in Gott. C. E. Edd. vett. inseruntur post v. 44.; huc collocavit Av. 65. *obtendebat* W. in contextu, contra Codd. et Edd. omnes. 67. *tendere* Nonius, contra G. 69. *fana* Bentl. coni. a W. recepta. — „*fama deûm* est fama de diis, fabulae de ira eorum et de poenis, quibus contemptores suos afficiant." Forb. 71. Sic Non. Prisc. (v. Forb.) Cd. Σ. W. Eichst. — *Irritans animi virtutem effringere* C. — *Inritat animi virtute confringere* G. et alii, nisi quod *virtutem*. — *irritant virtutem animi confr.* E. — *Irritat virtutem animi confr.* Edd. vett., ego in Ed. pr. F. Omni auctoritate caret L. et H. scriptura *Virtutem irritât animi, confr.*

Naturae primus portarum claustra cupiret.
Ergo vivida vis animi pervicit et extra
Processit longe flammantia moenia mundi
Atque omne immensum peragravit mente animoque;
Unde refert nobis victor, quid possit oriri,
Quid nequeat; finita potestas denique quoique
Quanam sit ratione atque alte terminus haerens.
Quare Religio pedibus subiecta vicissim
Obteritur, nos exaequat victoria caelo.
  Illud in his rebus vereor, ne forte rearis
Impia te rationis inire elementa viamque
Indugredi sceleris; quod contra saepius illa
Religio peperit scelerosa atque impia facta.
Aulide quo pacto Triviaï virginis aram
Iphianassaï turparunt sanguine foede
Ductores Danaûm delectei, prima virorum.
Quoi simul infula virgineos circumdata comptus
Ex utraque pari malarum parte profusa est,
Et maestum simul ante aras adstare parentem
Sensit et hunc propter ferrum celare ministros,
Aspectuque suo lacrumas effundere civeis;
Muta metu terram, genibus summissa, petebat:
Nec miserae prodesse in tali tempore quibat,
Quod patrio princeps donarat nomine regem.
Nam sublata virûm manibus tremebundaque ad aram
Deducta est; non ut, sollemni more sacrorum
Perfecto, posset claro comitari hymenaeo;

72. *cupiret* firmat C. Nota falsam lect. *cuiret* i. e. *quiret* a Vossio Arist. I, 18. et Schneidero *Lat. Gramm.* 1. p. 322. laudatam. (G. E.: *cuperet.*) Ut *cupire* sic *parire* prisci. v. Forb. 78. *Quantum sit* G. C. E. Edd. ante Lamb., qui emendavit. 83. *Indugredi* G. C. E. W. — Hav.: *endogredi.* 86. *Iphianassaeo* Gryph. (Codd. pleriq. et Edd. vett. vel *Iphianasseo* [C. E. Ald. 2.] vel *Iphianassaio.*) *Iphianassaeo* sane rectum esset. Cfr. Apollon. Rhod. 1, 758: Πελοπήϊα νῶτα δαΐξαι. Catull. Com. Ber. 8. Epithal. Pel. 369. *Polyxenia - - caede.* Nunc tamen cedo auctoritati Prisciani p. 728. Putsch. et Cd. Gottorp. (Avanc. Recentt.) Ad totum Lucretii locum cfr. Aeschyli Agamemn. v. 183. Porson. Mox *dilecti* G. Ib. *prima virorum*] Apud Graecos hoc frequentius: τὰ πρῶτα τῶν ἀνδρῶν. 91. *celerare* Avancius, Pius. W. Eich. Nihil tamen notat ex Edd. vett. Gerardus. *Celare* utique Ald. 2. (Gryph.) L. H. Codd. omnes (etiam G. E.) et si fides Gerardo, qui raro dormitat, Edd. vett. Cupidius sane illud arripuit Wak. Poëta fortasse picturae memor fuit, in qua ferrum *celans* magis quam *celerans* conspiciebatur popa; etsi rhetor terrorem virgini incussurus illud sane praetulisset.

Sed casta inceste nubendi tempore in ipso
Hostia concideret mactatu maesta parentis,
Exitus ut classi felix faustusque daretur.
Tantum religio potuit suadere malorum!
Tutemet a nobis iam quovis tempore, vatum
Terriloquis victus dictis, desciscere quaeres.
Quippe etenim quam multa tibi iam fingere possum
Somnia, quae vitae rationes vortere possint
Fortunasque tuas omneis turbare timore!
Et merito: nam si certam finem esse viderent
Aerumnarum homines, aliqua ratione valerent
Religionibus atque minis obsistere vatum:
Nunc ratio nullast restandi, nulla facultas,
Aeternas quoniam poenas in morte timendum.
Ignoratur enim, quae sit natura animaï;
Nata sit, an contra nascentibus insinuetur;
Et simul intereat nobiscum morte dirempta,
An tenebras Orci visat vastasque lacunas;
An pecudes alias divinitus insinuet se,
Ennius ut noster cecinit, qui primus amoeno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam,
Per genteis Italas hominum quae clara clueret.
Etsi praeterea tamen esse Acherusia templa
Ennius aeternis exponit versibus edens,
Quo neque permanent animae neque corpora nostra,
Sed quaedam simulacra modis pallentia miris:
Unde sibi exortam semper florentis Homeri

93. *Δ. subnixa* probante W. p. 191. reiiciente p. 383. 96. *ad aram*] Sic Gott. Mutarunt fortasse *ad aras* (C. E. Vulgo.) e v. 90. Sed poëtae in talibus variare amant. 104. *Tutemet - - quaeres*] „Facillime profecto fieri potest, ut tute primo quoque tempore a nobis desciscens relabare in antiquos errores; tam irradicata est superstitio in mentibus etiam optimorum hominum; tantam in omnes exercet potentiam." Non est interrogatio, sed conquestio. 105. *possunt* A. — *qui multa tibi confingere possunt* B. 108. *Et merito*, et sane aliter fieri nequit, nisi ut superstitiones istae timore homines percellant ac veram beatitudinem vitae turbent cet. cfr. Forbig. *restandi* i. e. resistendi. Ib. *certam* G. C. E. Ed. Brix. — *certum* Ver. Ven. Av. A. 112. *τιμωρίας φοβητέον. timendo* G. Fortasse Lucr. ipse scripserat *timendumst.* 115. *perempta* Creech. 118. Ennius ap. Charis. I. p. 75. P. *memini fieri me pavum*. Id. ap. Cic. Acad. 2, 16. *Visus Homerus adesse poëta*. Horat. Ep. 2. 1, 50. Pers. 6. 10, 121. Ennius ap. Varronem L. L. 6, p. 81. *Acherusia templa*, *alta Orci*, *salvete*, *infera*. 123. Ita Ver. Ven. Av. A. cet. — *permaneant* G. C. E. Brix. — *perveniant* Pius solus.

Commemorat speciem lacrumas effundere salsas
Coepisse et rerum naturam expandere dictis.
Quapropter, bene quom superis de rebus habenda
Nobis est ratio, solis lunaeque meatus
Qua fiant ratione et qua vi quaeque gerantur
In terris; tum cum primis ratione sagaci,
Unde anima atque animi constet natura, videndum:
Et quae res nobis vigilantibus obvia menteis
Terrificet morbo affectis somnoque sepultis;
Cernere uti videamur eos audireque coram
Morte obita, quorum tellus amplectitur ossa.
Nec me animi fallit Graiorum obscura reperta
Difficile illustrare Latinis versibus esse;
Multa novis verbis praesertim quom sit agundum
Propter egestatem linguae et rerum novitatem:
Sed tua me virtus tamen et sperata voluptas
Suavis amicitiae quemvis ecferre laborem
Suadet et inducit nocteis vigilare serenas
Quaerentem dictis quibus et quo carmine demum
Clara tuae possim praepandere lumina menti,
Res quibus occultas penitus convisere possis.
Hunc igitur terrorem animi tenebrasque necessest

126. *salsas* firmant G. C. Sed E. *fulsas;* unde oritur eadem dubitatio, quae nos etiamnunc male habet in verss. Tragici apud Cic. Tuscul. I, §. 37. *animae obscura umbra*, *salso* (al. *falso*) *sanguine*, *mortuorum imagines*. 130. *genantur* L. 132. *animae* Iensius. B. 134. *terrificent* cod. Bodl. Gif. Pareus probante W. qui insuper hac coni. nos mactat: *(et quâ re - - Terrificent.)* 137. *animi* Macrob. 6, 2. G. C. E. A. — *animus* Cod. Bodl. Edd. vett. Av. 141. *spectata voluntas* Bodl. A. *(spectata voluptas* W.) Sed veram lectionem asserunt reliqui Codd. Edd. vett. 142. *perferre* C. Ven. Av. P. A. Cfr. Tragicum apud Cic. pro Sestio §. 102. *Te id, quod multi invideant multique expetant, inscitia'st postulare, si tu laborem summa cum cura ecferas* (al. perperam *afferas*) *nullum.* 143. *severas* Bentl. 150. Ita scripsit W. *Cuius principium hinc nobis* Av. P. — *Principium cuius hinc nobis* G. C. E. Alii Cdd. Brix. Ver. Ven. — *Principium hinc cuius nobis* A. L. H. Frequentes sunt eiusmodi transpositiones vel metro vel sententiae contrariae etiam in Gott. v. c. 118. *Ennius ut primum cecinit, qui noster amoeno* cet.

Lib. I. v. 706—749.

707. Cfr. I. 636. *Quapropter quei materiem rerum esse putarunt Ignem atque ex igni summam consistere solo, Magno opere vera lapsei ratione videntur: Heraclitus init quorum dux proelia primus, Clarus ob obscuram linguam magis inter inaneis, Quamde graveis inter Graios, quei vera requirunt. Omnia enim stolidei magis admirantur amantque, Invorsis quae sub verbis latitantia cernunt, Veraque constituunt, quae belle tangere pos-*

Non radii solis neque lucida tela diei
Discutiant, sed naturae species ratioque:
Quoius principium hinc nobis exordia sumet,
Nullam rem e nihilo gigni divinitus unquam.

Lib. I. v. 706—749.

Quapropter, quei materiem rerum esse putarunt
Ignem atque ex igni summam consistere posse;
Et quei principium gignundis aëra rebus
Constituere; aut humorem queiquomque putarunt
Fingere res ipsum per se; terramve creare
Omnia et in rerum naturas vortier omneis:
Magno opere a vero longe dêrrasse videntur.
Adde etiam, quei conduplicant primordia rerum,
Aëra iungentes igni terramque liquori;
Et quei quattuor ex rebus posse omnia rentur,
Ex igni, terra atque anima procrescere et imbri.
Quorum Agragantinus cum primis Empedocles est,
Insula quem triquetris terrarum gessit in oris;
Quam fluitans circum magnis amfractibus aequor
Ionium glaucis aspergit virus ab undis,
Angustoque fretu rapidum mare dividit undis

sunt Aureis et lepido quae sunt fucata sonore. 708. Cic. in Lucullo 37. *Princeps Thales - - ex aqua dixit constare omnia, at hoc Anaximandro, populari et sodali suo, non persuasit; is enim infinitatem naturae dixit esse, e qua omnia gignerentur. Post eius auditor Anaximenes infinitum aëra, — Empedocles haec pervulgata et nota quattuor.* Ita videlicet Emped. v. 26. Sturz. p. 514. *Τέσσαρα τῶν πάντων ῥιζώματα πρῶτον ἄκουε· Ζεὺς ἀργής, Ἥρη τε φερέσβιος, ἠδ' Ἀϊδωνεύς, Νῆστις θ' ἣ δακρύοις τεγγει κρούνωμα βρότειον.* (sive *βροτοῖσιν* ex Struvii coni.) 710. Aristot. Metaphys. 1, 3—7. p. 490. Casaub. *καί τοι διὰ τί ποτ' οὐ καὶ τὴν γῆν λέγουσιν, ὥσπερ οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων; πάντα γὰρ εἶναί φασιν τὴν γῆν.* Xenophanes, de rebus tantum terrestribus procul dubio, asseruit: *ἐκ γαίης γὰρ πάντα, καὶ ἐς γῆν πάντα τελευτᾷ.* v. Sext. Emp. adv. Math. 10, §. 315. 712. *longei* Codd. 3. W. F. — *deerrasse* unus. *derrasse* duo. *longique derrasse* unus. Reliqui (etiam C. E. et Edd. vett.) — *longeque errasse* H. Sed scribendum cum Gott. *longe derrasse.* Idem habet *Magno opere.* 714. *igni* Oenopides Chius. — *liquori* Xenophanes: *γῆ καὶ ὕδωρ πάνθ' ὅσσα γίνονται ἠδὲ φύονται.* v. Brandis Commentatt. Eleat. p. 10. et 45. 718. Quintil. 1, 6, 30. *Nonnunquam etiam barbara ab emendatis conatur discernere* (etymologia) *ut quum Triquetram dici Siciliam, an Triquedram — oporteat, quaeritur.* ubi Spalding: *Ab ἕδρα sane, an a quadra?* 719. An litoris, an maris? Bentl. cfr. Passow. ad Tac. Germ. 1. p. 83. de voce *sinus*, cuius eadem est ratio. 720. *aspargit* G. W. 721. A. Gell. 12, 20. *Ciceroni mollius teretiusque visum est in quinta in Verrem fretu scribere quam freto.* Ib. *(ulnis* W.)

Aeoliae terrarum oras a finibus eius.
Hic est vasta Charybdis et hic Aetnaea minantur
Murmura flammarum rursum se colligere iras,
Faucibus eruptos iterum vis ut vomat igneis,
Ad caelumque ferat flammaï fulgura rursum;
Quae quom magna modis multis miranda videtur
Gentibus humanis regio visundaque fertur
Rebus opima bonis, multa munita virûm vi:
Nil tamen hoc habuisse viro praeclarius in se
Nec sanctum magis et mirum carumque videtur.
Carmina quin etiam divini pectoris eius
Vociferantur et exponunt praeclara reperta;
Ut vix humana videatur stirpe creatus.
Hic tamen et, supra quos diximus, inferiores
Partibus egregie multis multoque minores,
Quamquam multa bene ac divinitus invenientes
Ex adyto tamquam cordis responsa dedere
Sanctius et multo certa ratione magis, quam
Pythia quae tripode ex Phoebi lauroquė profatur,
Principiis tamen in rerum fecere ruinas
Et graviter magni magno cecidere ibi casu:
Primum, quod motus, exempto rebus inani,

722. Ita H. W. F. e Cod. Lugd. 2. a sec. m. — *Haeliae* Codd. 4. (etiam G.) — *Italiae terrarum* Reliqui (C. E.) Edd. vett. — *Italiae terrai* L. — *Aeoliam Liparen* dixit Virg. Aen. 8, 416. cfr. Plin. 3, 14. [Ceterum admodum notabilis est lectio Gott. *ac fractibus longi Ionium* (i. e. *amfractibu' longe Ionium*) *gl. aspargit virus ab undis;* cuius lect. constructio haec esset: „Siciliam magnis amfractibus circumfluitans Ionium virus (= salsugo, mare, subiecti loco) longe (usque e longinquo fluitans) ab undis glaucis aspergit (cum eodem obiecto, quod habet v. *circumfluitans* scil. Siciliam.) (pro *virus* male Cd. C. *litus.*) Ad v. 721. nota similem colorem habere versum incogniti poëtae, Ennii, puto, apud Cic. de N. D. 3, §. 24. *Europam Libyamque rapax ubi dividit unda.* Constructio autem haec est: „mare undis dividit a finibus Siciliae oras terrarum Aeoliae." — „Quum temporibus antiquis tota regio Aeolia audiret, terrâ freto perruptâ, partibus Siciliae divulsis id nomen potissimum inhaerescebat. Ibi Vulcani et Cyclopum domus, antra scilicet Aeolia, scriptoribus permultis decantata. Haec autem colliguntur ex scholio, quod ex libris suis nonnulli deprompsere: „Ea, quam Iocastes, Aeoli filius, ad fretum Siculum inhabitabat, pars dicta Aeolia." Wakef. Cfr. Diod. 5, 8.] 725. Sic L. F. — *vis ut omniat* G. Alii. — *iterum ut vis evomat* E. H. W. — *iterum vis evomat* C. 731. *clarumque* Fab. 740. *ex dio* Cod. Memm. ap. L. — Cod. C.: *a Phoebi:* sed cfr. Aristoph. Plut. 39. *τί δῆϑ' ὁ Φοῖβος ἔλακεν ἐκ τῶν στεμμάτων*; ut hic *ex tripode Phoebi.* 742. Iliad. 18, 26. *αὐτὸς δ' ἐν κονίῃσι μέγας μεγαλωστὶ ταvυσϑείς.* 743. Empedocles v. 183. St. *οὐδέ τι τοῦ παντὸς κενεὸν πέλει, οὐδὲ περισσόν.* Ib. *primum, qui* C.

Constituunt et res molleis rarasque relinquunt,
Aëra, solem, ignem, terras, animalia, fruges;
Nec tamen admiscent in eorum corpus inane:
Deinde quod omnino finem non esse secandis
Corporibus faciunt neque pausam stare fragori
Nec prorsum in rebus minumum consistere quidquam.

Lib. II. v. 1—59.

Suave, mari magno turbantibus aequora ventis,
E terra magnum alterius spectare laborem;
Non, quia vexari quemquam est iocunda voluptas,
Sed, quibus ipse malis careas, quia cernere suave est.
Per campos instructa tua sine parte pericli,
Suave etiam belli certamina magna tueri.
Sed nil dulcius est, bene quam munita tenere
Edita doctrina sapientum templa serena;
Despicere unde queas alios passimque videre
Errare atque viam palanteis quaerere vitae;
Certare ingenio, contendere nobilitate,
Nocteis atque dies niti praestante labore
Ad summas emergere opes rerumque potiri.
O miseras hominum menteis! o pectora caeca!
Qualibus in tenebris vitae quantisque periclis
Degitur hoc aevi quodquomque est! Nonne viderest,
Nil aliud sibi naturam latrare, nisi ut, quoi
Corpore seiunctus dolor absit, mente fruatur
Iocundo sensu, cura semota metuque?
Ergo corpoream ad naturam pauca videmus
Esse opus omnino, quae demant quomque dolorem,
Delicias quoque uti multas substernere possint;

Lib. II. v. 1 — 59.

1. *maris magni - - aequora* Markl. ad Statium. p. 144. 2. *(vastum* W.) 5 et 6. inverso ordine leguntur apud Av. Pium, A. Hav. Sed W. Codd., etiam C. E., et Edd. vett. secutus est. Ceterum C.: — *tui sine p. p.* 7. Pindarus ap. Plat. de rep. 2. C. 8. *πότερον δίκα* (al. *δίκας*) *τεῖχος ὕψιον, ἢ σκολιαῖς ἀπάταις* (al. *σκολιᾶς ἀπάτας*) *ἀναβάς, καὶ ἐμαυτὸν οὕτω περιφράξας διαβιῶ.* 12. *perstante* Pii membranae, prob. W. Horat. Sat. 2, 5, 39. *persta atque obdura.* 14. *stultas* plerique Codd. tribus apud Le Brun exceptis ap. Lact. 1, 21. 16. *videre est* Pii Cdd. Ω. W. — *videre* G. E. L. Gif. H. — *videtis* C. Edd. vett. ante Lamb. 1. 17. *quoi* Ad. W. — *qui* G. C. E. — *quom* Vulgo. 19. *semotu'* B. v. 2, 648. — *remota* G. 21. *quemque* A. L. 22. *nullas* L. Gif. Fab.

Gratius interdum neque natura ipsa requirit:
Si non aurea sunt iuvenum simulacra per aedeis,
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis ut suppeditentur;
Nec domus argento fulget auroque renidet;
Nec citharae reboant laqueata aurataque templa:
Quom tamen inter se, prostratei in gramine molli,
Propter aquae rivum, sub ramis arboris altae,
Non magnis opibus iocunde corpora curant:
Praesertim quom tempestas arridet et anni
Tempora conspergunt viridanteis floribus herbas.
Nec calidae citius decedunt corpore febres,
Textilibus si in picturis ostroque rubenti
Iactaris, quam si plebeia in veste cubandumst.
Qua propter, quoniam nil nostro in corpore gazae
Proficiunt neque nobilitas nec gloria regni,
Quod superest animo quoque nil prodesse putandumst:
Si non forte tuas legiones per loca campi
Fervere quom videas belli simulacra cienteis;
His tibi tum rebus timefactae religiones
Effugiunt animo pavidae mortisque timores
Tum vacuum tempus linquunt curaque solutum.
Quod si ridicula haec ludibriaque esse videmus,

25. Odyss. 7. 100. 27. *ostroque* Preigerus. 28. *citharae* pro dativo habeo; Forbigerus nom. plur. esse putat. Tertium casum voluerunt etiam Av. Iunt. A. — *citharis* edentes. Ib. *templa* i. e. laquearia fornicata. — „*tecta* Macrob. 6, 2. recte." Bentl. Sed altero loco ibid. recte est *templa*. 29. *Quin tamen* Gif. ex Macrobio, ut ait, sed Edd. laudatae habent *Cum tamen*. Gif. secutus est H. — *Attamen* L. 34. *Nec calido c. d. corpore f.* C. et in marg. *tempore*. 36. Sic L. Eichst. F. — *Iacteris* C. E. et e Gudii collat. ipse Gott. Av. H. W. Ceterum notandum Edd. vett. habere *Lacteris* ut 4, 993. et 5, 1067. ubi cfr. Interpretes. 39. Sic C. —*putandum* Cet. Post v. 41. in Gott. sequitur lemma hoc: SVBCIDIIS MAGNIS EPICURI CONSTABILITAS ORNATAS ARMIS ITASIVASTARIT ERE ANIMATAS (omnia sic) et in E.: *Subsidiis magnis epicuri constabilitas ornatas* ‖ *Amisit astatua stavitesque animatas*, et in C.: *Subsidiis magnis epycuri* (sic) *constabilitas Ornatas animis statuas statuasque animatas* ac similiter tamquam poëtae versus in Edd. vett. Av. ac Pio. Deleta sunt ista in Ed. Iunt. et Ald. sec.; tum reducta in Ed. Basil. 1531. Gryph. 1540. et 1546.; rursus inducta a Lamb. Seqq. Nec quid in iis lateat, pro certo exputari potest: nam me, qui inde aliquando feceram: *Subsidiis magnis fulciri constabilitas*, *Ornatas armis statuas turreisque animatas* optimo iure reprehenderunt Pinzg. et Forbig. Error meus inde ortus est maxime, quod, quum in Pii editione, qua tunc utebar, ipsius Lucretii verbis tamquam versus interpositi sunt, ego non satis attendebam ad codices, in quibus lemmatis s. tituli locum obtinent. Si Graeca a principio

Re veraque metus hominum curaeque sequaces
Nec metuunt sonitus armorum nec fera tela;
Audacterque inter reges rerumque potenteis
Vorsantur neque fulgorem reverentur ab auro
Nec clarum vestis splendorem purpureaï:
Quid dubitas, quin omni' sit haec rationi' potestas,
Omnis quom in tenebris praesertim vita laboret?
Nam veluti puerei trepidant atque omnia caecis
In tenebris metuunt: sic nos in luce timemus
Interdum, nihilo quae sunt metuenda magis quam
Quae puerei in tenebris pavitant finguntque futura.
Hunc igitur terrorem animi tenebrasque necessest
Non radiei solis neque lucida tela diei
Discutiant, sed naturae species ratioque.

Lib. II. v. 590—659.

Principio, tellus habet in se corpora prima,
Unde mare immensum volventes frigora fontes
Assidue renovent: habet, ignes unde oriantur.
Nam multis succensa locis ardent sola terrae;
Eximiis vero furit ignibus impetus Aetnae.
Tum porro nitidas fruges arbustaque laeta
Gentibus humanis habet unde extollere possit:

fuerunt, ut supra post v. 20. Gottorp. et similiter E. Edd. vett. habent: SARCOSFVSSTATESCATASTEMA i. e. σαρκὸς εὐσταθὲς κατάστημα. et Lib. 1. post v. 949. Cod. E.: *Topatia pironto gargepiras menonacroe* i. e., ni fallor, τὸ πᾶν ἄπειρον· τὸ γὰρ πεπερασμένον ἄκρον ἔχει — prodigialiter sunt corrupta. Et tamen tale portentum hic subesse potius suspicari libet, quam ut sint versus deformati aut ipsius Lucretii aut alius poëtae Latini. Hibrida sunt etiam illa Cod. E. Lib. 2, 1058. ASPIROS MUNDOS. Rursus post v. 41. Edd. post Lamb. inculcarunt διττογραφίαν Nonianam in *Fervit* p. 767. Gothofr.: *Fervere quom videas classem lateque vagari;* in qua ego potius σφάλμα μνημονικόν quam cum Forb. alterius recensionis vestigium agnosco. Ergo nunc sustuli, etiam de Pinzg. sententia. Gifanius autem ex his Nonianis et lemmate illo barbaro haec confinxit: *Si non forte tuas legiones per loca campi Fervere quom videas, classem lateque vagari Ornatamque armis belli simulacra cientem His tibi* cet. 42. *tum* Gottorp., optima auctoritas. A. L. — *cum* C. E. W. F. 43. *timore* Cod. Brit. 2. prob. Pinzg. Recte Forb. defendit nostram lect. firmatam a G. E. 44. *pectus* L. contra G. C. E. 51. *quin omne sit hoc rationis egestas.* Hanc Av. temerariam interpolationem omnes secuti sunt, usque ad Hav. a Preigero veri admonitum.

Lib. II. v. 590—659.

591. *frigora* i. e. aquam frigidam, Codd. vett. etiam Av. W. — *flumina* arbitraria Pii emendatio conservata ab omnibus, etiam Eichst.

Unde etiam fluidas frondeis et pabula laeta
Montivago generi possit praebere ferarum:
Quare magna deûm mater materque ferarum
Et nostri genetrix haec dictast corporis una.
Hanc veteres Graiûm doctei cecinere poëtae
Sedibus in curru biiugos agitare leones;
Aëris in spatio magnam pendere docentes
Tellurem neque posse in terra sistere terram.
Adiunxere feras; quod quamvis effera proles
Officiis debet molliri victa parentum:
Muralique caput summum cinxere corona;
Eximiis munita locis quod sustinet urbeis:
Quo nunc insigni per magnas praedita terras
Horrifice fertur divinae Matris imago.
Hanc variae gentes antiquo more sacrorum
Idaeam vocitant matrem Phrygiasque catervas
Dant comites, quia primum ex ollis finibus edunt
Per terrarum orbem fruges coepisse creari.
Gallos attribuunt: quia, numen quei violarint
Matris et ingratei genitoribus inventei sint,
Significare volunt indignos esse putandos,
Vivam progeniem quei in oras luminis edant.

602. *sublimem* L. — *sedibus in superis* Bentl. Varro Lib. 16. rerum divinar. fragm. p. 220. Bip. *Eandem dicunt Matrem magnam, quod tympanum habeat, significari esse orbem; quod turres in capite, oppida; quod sedes fingantur circa eam, quum omnia moveantur, non moveri;* ubi Zoëga Bassirilievi I. p. 93. emendat: *quod sedens fingatur, circa eam quum omnia.* Cdd. (etiam meorum) lectionem recte sic explanat Forb.: „E sedibus suis (poëtice pro sede sua) in curru, i. e. sedens in curru." 614. *orbem* Cd.°C. A. Hav. — *orbeis* ex aliis Cdd. Wak. F. Sed, ut nunc video, e locis 2, 1075. *necesse est confiteare Esse alios aliis terrarum in partibus orbeis* et 5, 1345. *terrarum quolibet orbi* h. l. numerus plur. defendi nequit, utrobique quum sermo sit de variis terris, a nostris diversis, per universum sparsis; hoc autem loco de nostra dumtaxat terra. Ergo leg. *orbem* vel etiam, quod aliquando mihi in mentem venerat, *oras*, ut 4, 216. *in terrarum accidit oras.* 624. *(metus quei* W.) Amicus Hav. volebat *numini.* Uterque criticus scil. haesit in duplici ablativo, qui sic expediendus est: „quae per numen divae possint pectora vulgi conterrere metu." 626. *(multa* W.) Et sic E. a pr. m. 627. *iter omne viarum*] Sic Turn. L. Seqq. — *iter omnia mirum* E. — *iter, omnia circum Larg. st. d.* Cdd. aliq., meus C. Iunt. A. 629. *(roribus)* W. Horat. Carm. 3, 29. 3. *cum flore, Maecenas, rosarum.* 631. Codd. (C. E.) Ed. Brix. Ver.: — *forte catervas.* Ven.: — *forte caterva.* Av.: — *sorte catervae.* Pius. A.: — *forte catervae.* Wak. coni.: — *sorte catervis. (terque quaterve* Lamb. in Curis primis. Bentl.) Editores, (etiam Eichst.) inde a Lambino receperunt Turnebi coni. *forte catenas*, probatam etiam Viscontio Museo Pio. Clem. T. IV. pag. 61. Ed. Med. qui comparat Laconum

Tympana tenta tonant palmis et cymbala circum
Concava raucisonoque minantur cornua cantu
Et Phrygio stimulat numero cava tibia menteis;
Telaque praeportant, violenti signa furoris,
Ingratos animos atque impia pectora volgi
Conterrere metu quae possint numine divae.
Ergo, quom primum magnas invecta per urbeis
Munificat tacita mortaleis muta salute,
Aere atque argento sternunt iter omne viarum,
Largifica stipe ditantes; ninguntque rosarum
Floribus, umbrantes Matrem comitumque catervam.
Hic armata manus, Curetas nomine Graii
Quos memorant Phrygios, inter se forte catenas
Ludunt in numerumque exsultant, sanguine fletei;
Terrificas capitum quatientes numine cristas,
Dictaeos referunt Curetas, quei Iovis ollum
Vagitum in Creta quondam occultasse feruntur;
Quom puerei circum puerum pernice chorea
Armatei in numerum pulsarent aeribus aera,
Ne Saturnus eum malis mandaret adeptus
Aeternumque daret matri sub pectore volnus.
Propterea magnam armatei Matrem comitantur:

ὁρμόν. Fuerunt, qui *forte* antique pro *fortiter* positum esse putarent, quibus equidem assentiri nequeo. Nullum enim huius significationis exemplum exstat. Est autem: saltando tamquam catenas manibus sese invicem complexi ducunt, in gyrum velociter se moventes. Cfr. Lucian. de Salt. §. 12. p. 550. Schmied. Conferri possunt Statii (Sylv. 2, 1, 110.) *catenatae palaestrae* praeter Liv. 27, 37. — Appulei. Met. 10. p. 734. 11. p. 761. Oud. locus classicus de Cybele: *En adsum tuis commota, Luci, precibus, rerum Natura parens, elementorum domina, seculorum progenies initialis, summa numinum, regina Manium, prima caelitum, Deorum Dearumque facies uniformis; quae caeli luminosa culmina, maris salubria flamina, inferorum deplorata silentia nutibus meis dispenso: cuius numen unicum multiformi specie, ritu vario, nomine multiiugo totus veneratur orbis. Me primigenii Phryges Pessinunticam nominant Deûm matrem; hinc Autochthones Attici Cecropiam Minervam; illinc fluctuantes Cyprii Paphiam Venerem, Cretes sagittiferi Dictynnam Dianam: Siculi trilingues Stygiam Proserpinam; Eleusinii vetustam Deam Cererem; Iunonem alii, Bellonam, Hecatam isti, Rhamnusiam illi, et, qui nascentis dei Solis inchoantibus illustrantur radiis Aethiopes Ariique priscaque doctrina pollentes Aegyptii, cerimoniis me propriis percolentes, appellant vero nomine reginam Isidem.* 632. *fleti* Cod. 5. alii ap. Pium. H. — *flecti* C. — *freti* E. Alii Cdd. Edd. vett. — *laeti* Vind. A. L. — *Ludunt in numerum, atque exsultant sanguinolenti* Bentl. — *et* post *fleti* apud Hav. Codd. non agnoscunt. Cfr. Appul. Metam. 7. pag. 199. *mater - - fleta et lacrimosa.*

Aut, quia significant divam praedicere, ut armis
Ac virtute velint patriam defendere terram
Praesidioque parent decorique parentibus esse.
Quae, bene et eximie quamvis disposta ferantur,
Longe sunt tamen a vera ratione repulsa.
Omnis enim per se divôm natura necessest
Immortali aevo summa cum pace fruatur,
Semota a nostris rebus seiunctaque longe.
Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene promeritis capitur nec tangitur ira.
Terra quidem vero caret omni tempore sensu;
Sed, quia multarum potitur primordia rerum,
Multa modis multis effert in lumina solis.
Hic si quis mare Neptunum Cereremque vocare
Constituet fruges et Bacchi nomine abuti
Mavolt quam laticis proprium proferre vocamen;
Concedamus, ut hic terrarum dictitet orbem
Esse deûm matrem, dum vera re tamen ipse.

Lib. II. v. 991—1175.

Denique caelesti sumus omnes semine oriundei;
Omnibus ille idem pater est, unde alma liquenteis
Humoris guttas mater quom Terra recepit,
Feta parit nitidas fruges arbustaque laeta
Et genus humanum, parit omnia secla ferarum;
Pabula quom praebet, quibus omnes corpora pascunt
Et dulcem ducunt vitam prolemque propagant:
Quapropter merito maternum nomen adeptast.
Cedit item retro, de terra quod fuit ante,
In terras; et quod missumst ex aetheris oris,

646. Epicurus apud Diog. Laërt. 10, 139. *τὸ μακάριον καὶ ἄφθαρτον οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει, οὔτε ἄλλῳ παρέχει· ὥστε οὔτε ὀργαῖς οὔτε χάρισι συνέχεται.* 659. Scil. *dictitet*; „*wofern er nur bei dieser Benennung das Wahre sich denkt.*" Sic lect. Cdd. explico. Wak. contra: „dum revera sit ipse orbis terrarum, non animatum aliquid ac Deûm mater." Ita Codd. (E.) Edd. vett. Codex autem C.: *dum re vera tamen id sit.* — *dum vera re tamen haud sit* Av. P. A. — Edd. recentt. retinuerunt temerariam Lamb. coni. *dum re non sit tamen apse:* ex qua tamen hodieque docent *reapse* per tmesin disiungi posse. v. Beier ad Cic. de Off. I. p. 175.

Lib. II. v. 991—1175.

993. *humorem* Edd. vett. Hav. Sed Cdd. pleriq. etiam C. E. *humoris*; quod

Id rursum caeli relatum templa receptant:
Nec sic interimit mors res, ut materiaï
Corpora conficiat, sed coetum dissupat ollis:
Inde aliis aliud coniungit et efficit, omnes
Res ita convortant formas mutentque colores
Et capiant sensus et puncto tempore reddant;
Ut noscas referre, eadem primordia rerum
Cum quibus et quali positura contineantur
Et quos inter se dent motus accipiantque:
Neve putes aeterna parum residere potesse
Corpora prima, quod in summis fluitare videmus
Rebus et interdum nasci subitoque perire:
Quin etiam refert nostris in versibus ipsis,
Cum quibus et quali sint ordine quaeque locata:
Namque eadem caelum, mare, terras, flumina, solem
Significant, eadem fruges, arbusta, animanteis;
Si non omnia sint, at multo maxuma pars est
Consimilis; verum positura discrepitant res.
Sic ipsis in rebus item iam materiaï
Intervalla, viae, connexus, pondera, plagae,
Concursus, motus, ordo, positura, figurae
Quom permutantur, mutari res quoque debent.
Nunc animum nobis adhibe veram ad rationem.
Nam tibi vehementer nova res molitur ad aureis
Accidere et nova se species ostendere rerum.
Sed neque tam facilis res ullast, quin ea primum
Difficilis magis ad credundum constet; itemque
Nil adeo magnum neque tam mirabile quidquam,
Quod non paullatim minuant mirarier omnes.
Principio caeli clarum purumque colorem,
Quemque in se cohibent palantia sidera passim,

restituit W. Dubium remanet utrum *liquentis* (C. E. Alii.) genit. sit singul., an accus. plur. Hoc equidem praefero: *guttas liquentes*. 1005. *ut conv.* C. E. Av. — H. 1007. Cdd. 5. Wakef. et C. Edd. vett.: — *earum*, prob. Wak. Contra *eadem* Hav. H. W. idque firmat Cd. E. 1010. *penes* Codd. (C. E.) et Edd. vett. L. H. — *parum* Pii Codd. A. W. i. e. „neve putes, ideo quod atomos in summis rebus fluitare videmus, minime aeternas manere eas posse et interdum nasci ac subito perire." 1013. *Quando* Codd. 2. Ed. vett. usque ad Av. 1018. *haec* L. H. contra Cdd. 1024. *vehementer* tribus syllabis pronuntiandum, ut in Cod. Medic. Cic. Epp. ad Fam. fere semper scribitur *vemens*, *vementer*. 1029. *Principio, quod non minuant mirarier omnes Paullatim; ut caeli* L. coni. H.

Lunamque et solis praeclara luce nitorem:
Omnia quae nunc si primum mortalibus essent,
Ex improviso si sint obiecta repente;
Quid magis his rebus poterat mirabile dici,
Aut minus ante quod auderent fore credere gentes?
Nil, ut opinor; ita haec species miranda fuisset,
Quam tibi iam nemo, fessus satiate videndi,
Suspicere in caeli dignatur lucida templa.
Desine quapropter, novitate exterritus ipsa,
Exspuere ex animo rationem: sed magis acri
Iudicio perpende et, si tibi vera videntur,
Dede manus; aut, si falsumst, accingere contra.
Quaerit enim rationem animus, quom summa loci sit
Infinita foris haec extra moenia mundi,
Quid sit ibi porro, quo prospicere usque velit mens
Atque animi iactus liber quo pervolet ipse.
    Principio nobis in cunctas undique parteis
Et latere ex utroque infraque superque per omne
Nullast finis, uti docui res ipsaque per se
Vociferatur et elucet natura profundi.
Nullo iam pacto veri simile esse putandumst,
Undique quom vorsum spatium vacet infinitum,
Seminaque innumero numero summaque profunda
Multimodis volitent aeterno percita motu,
Hunc unum terrarum orbem caelumque creatum:

1032. *Lunamque*] Sic E. Ver. Ven. Av. P. W. — *Lunaeque* A. L. H. — *Et lunaï Δ*. — *Lunaï et* Cod. O. et meus C. Brix. prob. W. Forb. Minus nunc placet, quia *praeclarus nitor* Soli quidem aptissime tribuitur, non item pallidae Lunae. 1033. Ita Codd., etiam C. E. Edd. vett. W. — *adsint* A. L. H. Equidem malim: *exstent*, ut congruat tempus cum seq. *si sint*. 1034. *si* Codd. Edd. vett. W. — *ceu* Av. P. A. L. H. Eichst. 1038. *quam* Codd. Edd. vett. „i. e. secundum quam speciem, vel quod ad hanc speciem pertinet." W. Est potius: „haec species aeque tum miranda fuisset, ac nemo nunc tibi in caelum suspicere dignatur." Pinzg. et Forb. sic explicant: „duae construendi rationes *suspicere speciem* et *suspicere in caelum* hic in unum conflatae sunt (ut nobis dicere licet: *nach einer Erscheinung zum Himmel aufschauen)*. Verum dubito an Latini vel cogitatione unquam iunxerint *suspicere speciem*. — *quom* de Fabri et Bentl. coni. H. 1040. *(ipse* W. coni. confirmata a Cod. *П*.) 1041. *respuere* L. Cfr. Terent. Eun. 3, 1, 16. *quasi ubi illam* exspueret *miseriam ex animo*. 1042. *videtur* A — H. 1043. *Falsa est* iid. 1044. *rationem* C. E. Edd. vett. W. — *ratione* Codd. aliquot. L. H. Eichst. 1046. *valet* W. edidit. de coni. 1047. *iactus* (ἐπιβολή Epicuri) Cod. *П*. Gronov. coni. — *tuctus* Codd. Edd. vett. — *tractus* Av. Ib. *libero* Codd. 4. Brix. Ver. — *sit*

Nil agere olla foris tot corpora materiaï:
Quom praesertim hic sit natura factus et ipsa
Sponte sua forte offensando semina rerum
Multimodis temere incassum frustraque coacta
Tandem coaluerint ea, quae coniecta repente
Magnarum rerum fierent exordia semper,
Terraï, maris et caeli generisque animantum.
Quare etiam atque etiam taleis fateare necesse est
Esse alios alibi congressus materiaï,
Qualis hic est, avido complexu quem tenet aether.
Praeterea, quom materies est multa parata,
Quom locus est praesto nec res nec caussa moratur
Ulla, geri debent nimirum et confieri res.
Nunc, et seminibus si tanta est copia, quantam
Enumerare aetas animantum non queat omnis,
Visque eadem et natura manet, quae semina rerum
Coniicere in loca quaeque queat, simili ratione
Atque huc sunt coniecta: necessest confiteare
Esse alios aliis terrarum in partibus orbeis
Et varias hominum genteis et secla ferarum.
Huc accedit, uti in summa res nulla sit una,
Unica quae gignatur et unica solaque crescat;
Quin aliquoiu' siet secli permultaque eodem
Sint genere: in primis animalibus indice mente
Invenies sic montivagum genus esse ferarum.

quo volet ipse Codd. 2. ita, omisso *sit* Codd. 3. Brix. omisso *sit*, *quo volit ipse* Ver. Ven. — *liber quoquo velit ire* Av. Pius. A. — *quo pervolitare* Gronov. — *liber sit quo velit ipse* Pii exemplaria. W. — *liber quo pervolit ire* Eichst. secutus Pareum a Gifanii iudicio pendentem. Antiqui *volim* pro *velim* dixerunt, teste Prisc. 9. p. 848. P. — *quo pervolit ipse* Forb. Sed cur duplex forma *velit* - - *pervolit* sese sic excipiat, non intelligo. Reversus nunc sum ad lect. Cdd. aliq. L. H.: — *quo pervolet ipse* i. e. ultro. *(libero quo velit ipse* E. — *liber sit quo volet ipse* C.) 1054. *summâque profundâ* „*in dem gränzenlosen Weltall herum.*" Lib. 6, 650. *Ut reminiscaris summam rerum esse profundam.* Virg. Ge. 4, 222. *caelumque profundum.* 1060. *frustra queque iacta* (E.) Brix. Av. — *frustraque iacta* Codd. sex. Ver. Ven. — *iactataque frustra* Pii exemplaria. C. A. 1061. al. *colarint*, *colaerint*, *colarunt* (sic E.), *colerent*, *caelarunt*, *coierint*, *coierunt* (C.), *coartant*, *coarctarint; concrerint* Gron. — *cooluerint* L. H. — *coaluerint* W. de Gif. coni. 1079. De Gronovii coni. H. W. — *aliquoivis* Cdd. 1080. ita Codd. Edd. vett. (*iudice* Brix.) — *iniice mentem* Lips. — *inclute Memmi* Gron. H. In sermone soluto dicendum esset: „in primis in animalibus." H. l. *primis* magis, quam communiter fit in hac formula, adiectivi potestatem servat.

Sic hominum geminam prolem, sic denique mutas
Squamigerûm pecudes et corpora cuncta volantum.
Quapropter caelum simili ratione fatendumst
Terramque et solem, lunam, mare, cetera, quae sunt,
Non esse unica, sed numero magis innumerali;
Quandoquidem vitae depactus terminus alte
Tam manet haec et tam nativo corpore constant
Quam genus omne, quod his generatim rebus abundat.
Quae bene cognita si teneas, natura videtur
Libera continuo, dominis privata superbis,
Ipsa sua per se sponte omnia dîs agere expers.
Nam, pro sancta deûm tranquilla pectora pace,
Quae placidum degunt aevom multumque serenum!
Quis regere immensi summam, quis habere profundi
Indu manu validas potis est moderanter habenas?
Quis pariter caelos omneis convortere et omneis
Ignibus aetheriis terras suffire feraceis;
Omnibus inve locis esse omni tempore praesto,
Nubibus ut tenebras faciat caelique serena
Concutiat sonitu? tum fulmina mittat et aedeis
Saepe suas disturbet et in deserta recedens
Saeviat, exercens telum, quo saepe nocenteis
Praeterit exanimatque indignos inque merenteis?
Multaque post mundi tempus genitale diemque
Primigenum maris et terrae solisque coortum
Addita corpora sunt extrinsecus, addita circum
Semina, quae magnum iaculando contulit omne:

1082. *genitam* Av. P. — (*geminam* etiam C. E.) 1088. Ita Codd. Edd. vett. nisi quod *etiam* exhibent. — *manet his et tam nativo haec corpore* L. H. 1089. *abundat* Cod. Δ. A. L. H. — *abundans* C. E. Edd. vett. W. F. durissimâ tamen constructione. Explica: „quam omne genus, quod multa complectitur individua, quum illa (terra, sol, cet.) licet falso, nobis videantur in suo genere unica." 1094. *multumque serenum* i. e. „valde s." Cdd. aliq. C. Edd. vett. W. F. — *multamque* E. — *vitamque serenam* Cdd. aliq. e facili sane correctione. Av. P. L. H. 1102. *ipse* Lactant. 3, 17. sine varietate lectionis. W. E. Sed Lucretii Codd. omnes, Edd. vett. *saepe*. 1103. *quo* Edd. vett. Av. — *quod* C. E. A. L. H. W. E. 1110. (*templa* W.) Ceterum v. *apparere*, (a v. pario) „acquirere, adiungere", alibi nusquam reperitur; unde factum, ut nonnulli vellent *aptaret*. 1113. *recellunt* Gron. — *ad sua semina cedunt* Pii exempl. 1116. *Donicum* Cdd. aliq. etiam meus C. Mihi quidem interpolatio potius videtur: *Denique* Cdd. plerorumque. (E.) Edd. vett. W. — *Donicum* pro *donec* scripsi etiam v. 1130. cum Lamb. Hav. 1121. Ita Codd. plerique. Edd. vett. — *Sic* A. — *His* alii Cod. L. H. 1122. *hilarem gr. ad auctum*

Unde mare et terrae possent augescere et unde
Appareret spatium caeli domus altaque tecta
Tolleret a terris procul et consurgeret aër.
Nam sua quoique locis ex omnibus omnia plagis
Corpora distribuuntur et ad sua secla recedunt:
Humor ad humorem, terreno corpore terra
Crescit et ignem ignes procudunt aetheraque aether:
Donicum ad extremum crescundi perfica finem
Omnia perduxit rerum natura creatrix:
Ut fit, ubi nihilo iam plus est, quod datur intra
Vitaleis venas, quam quod fluit atque recedit.
Omnibus his aetas debet consistere rebus:
Hic natura suis refrenat viribus auctum.
Nam, quaequomque vides hilarum grandescere ad auctum
Paullatimque gradus aetatis scandere adultae,
Plura sibi assumunt, quam de se corpora mittunt;
Dum facile in venas cibus omneis inditur et dum
Non ita sunt late dispersa, ut multa remittant
Et plus dispendi faciant, quam vescitur aetas.
Nam certe fluere ac decedere corpora rebus
Multa manus dandum est: sed plura accedere debent,
Donec alescundi summum tetigere cacumen.
Inde minutatim vireis et robur adultum
Frangit et in partem peiorem liquitur aetas.
Quippe etenim, quanto est res amplior, augmine adempto,
Et quo latior est, in cunctas undique parteis
Plura modo dispergit et a se corpora mittit;

Codd. 2. A. — *(ad auctum* habent Codd. octo. Brix. Ver. Ven.) — *hilar* Codd. 4. — *hilari* Edd. vett. Av. — *hilaro* L. — *adaucta* Codd. 2. Av.—Hav. Eichst. sed *adauctus* nusquam alias reperitur ap. Lucret. — *hilare* (coni.) *gr. ad auctum* W. Nobis quidem prae reliquis placuit Aldina lectio, duobus codd. firmata (nunc etiam a C. et E.). Attamen ex antiquiore forma scrib. erat *hilarum* pro: *hilarem.* 1125. *inditur* Cdd. C. E. Lugd. uterq. Brix. Ver. Iunt. W. Forb. — *diditur* Vulgo cum Brit. 2. Ven. Ald. facili sane correctione petita e v. 1136. Verbo certe *indere* nusquam praeterea utitur Lucr. 1127. *pascitur* Amicus Lambini; *nancitur* a v. *nancior*, occupo, prehendo. XII. Tab. QVID PIGNERIS NANCITOR, SIBI HABETO. Fabri coni. „Sed *vesci* etiam cum accusativo construi potest." Forb. 1128. *ac decedere*] Vulgatam lect. servavi, quae satis firmatur aliis locis Lucr. (v. Indicem Eichst.) — *atque recedere* C. E. W. F. 1130. *Donicum olescendi* L. H. 1135. „Ordo est: Et quo modo latior est, eo modo plura dispargit, pronomine ex altera parte subaudito et ex altera substantivo: et quid his frequentius?" W, *modo* h. l. est: *ea pro mensura*, ut apud Celsum 1, 2. *quod modo par est.* — *Pluria eo* L. H.

Nec facile in venas cibus omnis diditur ei:
Nec satis est, pro quam largos exaestuat aestus,
Unde queant tantum suboriri ac suppeditare,
[Quantum opus est et quod satis est, natura novare.]
Iure igitur pereunt, quom rarefacta fluundo
Sunt et quom externis succumbunt omnia plagis:
Quandoquidem grandi cibus aevo denique defit;
Nec tuditantia rem cessant extrinsecus ullam
Corpora conficere et plagis infesta domare.
Sic igitur magni quoque circum moenia mundi
Expugnata dabunt labem putreisque ruinas.
Omnia debet enim cibus integrare novando
Et fulcire cibus, cibus omnia sustentare.
Nequidquam; quoniam nec venae perpetiuntur
Quod satis est neque, quantum opus est, natura ministrat.
Iamque adeo fractast aetas effetaque tellus
Vix animalia parva creat, quae cuncta creavit

1137. „Nec satis est supplementi pro aestibus iis, quam (i. e. in quantum) exaestuat largos aestus." Wak. — *aestus* autem sunt calidae et humidae particulae, quas sudando et exhalando corpora animantium continuo omittunt. Forb. 1138. *queant* scil. corpora. Sic etiam C. E. — *queat* A. L. H. Post v. 1144. aliquis apposuerat lemma *IAM SENEM MUNDUM ET OMNIA PUSILLA NASCI*, ut est in Cd. E. Hinc multi versum extuderunt, si diis placet, Lucretianum; Margo scil. E. *pusillaque omnia;* doctius C. cum aliis apud Wak.: *Iamque senem mundum et pusillius omnia nasci:* debuissent tamen scribere: *atque pusillius.* 1139. Hunc versum Codd. aliquot (etiam C. E.) et Edd. vett. omittunt; spurium iudicant Lamb. Bentl. Eiecit W. Comparet primum ap. Avanc. ita: *quod satis est et quantum opus est natura novare.* sic etiam P. A. 1151. Sic, scil. *fracta* - - *effetaque* Codex Memmii, Edd. vett. W. Forbig. (qui in eo, ut fit, errat, quod ait, Wak. sic edidisse „cum plurimis optimisque libris", quum is manifesto dicat, Cdd. *O.Δ.Π.Σ.Ω.* (adiungo meos C. E.) habere *facta.* — C. a pr. m. *affectaque* a sec. *effetaque.* (Margo E.: *effracta.*) In his autem duobus similibus verbis ita variarunt ac luserunt et librarii et critici, ut alii (A.) ederent: *effeta est aetas effetaque tellus*, alii (Hav.) *affecta est aetas effetaque tellus.* 1155. Significatur h. l. Iliad. 8, 17. *εἰ δ', ἄγε, πειρήσασθε, θεοί, ἵνα εἴδετε πάντες· σειρὴν χρυσείην ἐξ οὐρανόθεν κρεμάσαντες κ. τ. λ.* in quem simplicissimum locum veteris poëtae incredibile est, quot et cuiusmodi *insipientis sapientiae* somnia intulerint tum Stoici, contra quos oblique hic pugnat Lucretius, tum praesertim Neoplatonici (cfr. Creuzer Symbolik Edit. 2. T. 1. p. 97.) Sed his similia ac paria quotidie in similibus experimur, quibus veri philologi streuue ut obviam eant, semper optandum est. 1156. *(nec, fluctus plangentia, saxa* W. Sed quomodo a saxis plangantur fluctus?) 1160. *et pabula* E. Vulgo. 1163. *seris* Av. ut videtur coni. P. H. W. — *feris Π.* Edd. Brix. Ver. — *ferrint* Ven. — *ferrum* Codd. (certe E.) A. L. H. 1163. *suppeditati* significatu activo pro „suppeditantes". Verum et h. l. et apud Cic. ad Attic. 14, 18. verbum *suppetior*, quod Appuleius, strenuus talium captator, satis firmat, substituendum videtur inaudito v. deponenti *suppeditor.* 1164. *augent* intransitive, „augescunt, grandescunt", cuius usus exempla sunt

Secla deditque ferarum ingentia corpora partu.
Haud, ut opinor, enim mortalia secla superne
Aurea de caelo demisit funis in arva:
Nec mare nec fluctus plangentes saxa crearunt;
Sed genuit tellus eadem, quae nunc alit ex se.
 Praeterea nitidas fruges vinetaque laeta
Sponte sua primum mortalibus ipsa creavit;
Ipsa dedit dulceis fetus per pabula laeta,
Quae nunc vix nostro grandescunt aucta labore;
Conterimusque boves et vireis agricolarum
Conficimus, seris vix arvis suppeditatei.
Usque adeo pereunt fetus augentque labore!
Iamque, caput quassans, grandis suspirat arator
Crebrius in cassum magnum cecidisse laborem:
Et, quom tempora temporibus praesentia confert
Praeteritis, laudat fortunas saepe parentis.
Tristis item vetulae vitis sator atque fatiscens,

in Fragm. Catonis et Salustii. Hinc recte W. cum Cdd. aliq. Edd. vett. Av. *labore; laborem* C. E. Cdd. Pii.; *labores* A. L. H. 1166. *laborem* C. E. A. L. H. Forb. — *labores* Cdd. aliq. W. Sed tum iungendum: *in magnum cassum;* quod inauditum est; *manuum* pro *magnum* volebat Voss. 1169. Locus conclamatus, et in quo omnia experiri licet, nisi cum Lamb. Gif. Hav. versus corruptos eiicere malis quam tentare. Codd. (E.) ita fere habent: *Tristis item vetulae vitis sator atque (adque* Vind. 2. *aequa* Av. Pius) *fatigat.* hunc agnoscunt omnes, alterum Codd. dumtaxat quattuor cum Pio. (ap. Avanc., si fides Gerardo, non legitur) *Temporis incusat numen seclumque (nomen in seculumque* Vind. 2.) *fatigat.* Pius: „*aequa*, aeque, similiter, ut arator. Quidam *momen* (quo ducit etiam Vind. *nomen)* scribunt pro momento; dictio est Lucretiana (2, 220. 3, 145. cet. adde et Arnobiana). Scribo vel reclamantibus omnibus exemplaribus: *seclumque fatiscens.*" — Heinsius Adversar. p. 455. *vitis sator atque vietae.* — Wak. [*acta peragrans*] *Temporis, incusat numen caelumque fatigat.* At arbitrarium illud supplementum non uno nomine reprehendi debet, eo maxime quod molestam repetitionem v. 1167. ingerit. Praeterea offendit *numen* ita nude positum, quum Lucretius constanter habeat: — *numen divûm* — *divae* — *divinum* — *numina deûm sancta*, nisi ubi *nutum* s. *motum* significat 2, 633. 4, 180. Pressius igitur librorum vestigiis insistentes dedimus: *atque fatiscens.* In mentem quoque venerat *ante fatiscens*, ex Virg. Ge. 2, 417. *iam canit extremos effetus vinitor antes*, quod quominus numero quoque singulari dici potuerit, vix impediet Grammaticorum auctoritas, qui aliud, praeter Virgilii pervagatum illud exemplum haud meminerant. (Nonius pag. 499. Charis. I. pag. 19. qui inter pluralia tantum recenset etiam *lares*, *mores*, *natales*, *Quirites*, *vepres.* Diomed. I. p. 314. Phocas. p. 1708. P.) *momen* cum Pio, *caelumque fatigat* cum W. (cfr. de hoc verbo Huschke. Epist. p. 21. et Oudendorp. ad Appul. 6. p. 384.) unde probabilis saltem sensus enascitur, etsi Lucretii manum nondum tenemus. [Haec scripseram in Ed. pr. Secutus est meam rationem Forbig. Contra Pinzg. proposuit *Tristis item vetulae vitis sator et saturatus Temporis, incusat numen caelumque fatigat.* Verum *saturatus* s. potius *satur temporis* is esset, qui contentus est tempore iam praeterito nec ultra quid desiderat: sententia sane ab h. l. aliena.]

Temporis incusat momen caelumque fatigat;
Et crepat, antiquum genus ut pietate repletum
Perfacile angustis tolerarit finibus aevom,
Quom minor esset agri multo modus ante viritim:
Nec tenet omnia paullatim tabescere et ire
Ad capulum spatio aetatis defessa vetusto.

Lib. III. v. 1—93.

E tenebris tantis tam clarum extollere lumen
Qui primus potuisti illustrans commoda vitae,
Te sequor, o Graiae gentis decus! inque tuis nunc
Ficta pedum pono pressis vestigia signis;
Non ita certandi cupidus, quam propter amorem,
Quod te imitari aveo. Quid enim contendat hirundo
Cycnis? aut quidnam tremulis facere artubus haedei
Consimile in cursu possint, et fortis equi vis?
Tu, Pater! es rerum inventor; tu patria nobis
Suppeditas praecepta, tuis ex, inclute, chartis,
Floriferis ut apes in saltibus omnia limant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
Aurea, perpetua semper dignissima vita.
Nam simul ac ratio tua coepit vociferari
Naturam rerum divina mente coortam,
Diffugiunt animi terrores; moenia mundi

1175. *copulum* Codd. 2. Reliqui (etiam C. E.) et edd. *scopulum*, Hav. coni. *capulum* i. e. feretrum, mortem. Hinc senes *capulares*, prorsus decrepiti, similique ratione Graecis τυμβογέροντες, σορόπληκτοι, σοροπλῆγες dicti. Frustra Salmasius contendebat *scopulum* esse parvum scopum, metam, laudato Suet. Dom. 19. ubi nunc editur *pro scopo*. Quod in Ed. Ver. apud Hav. nescio quis adscripserat: *Proverbium illud est. Plautus Bacch.* refertur ad subditicia illa Act. I. Sc. I. suppos. v. 26. *Referam me ad scopulum ex naufragio.*

Lib. III. v. 1—93.

1. *O tenebris* Codd. 4. W. E. — *A ten.* Codd. 3. et C. — *E ten.* Reliqui (etiam E.) et Edd., quod revocavi, quum displiceret iterata interiectio. 4. *ficta* C. E. Edd. vett. Av. — *fixa* A. L. H. — „*ficta* i. e. se fingentia, effigiata, deformata." Wak. Imo audiendus Diomedes I. p. 373. P. *figor ambigue declinatur apud veteres tempore perfecto, reperimus enim fictus et fixus. Scaurus de vita sua, sagittis, inquit, confictus.* 5. *quam* Codd. Brix. — *que* Ver. Ven. unde W. *(quâ)* coni. 6. *imitari* Codd. (C. E.) Brix. — Eichst. *invitare* Ver. Ven. unde W. edidit: *imitare.* 9. *et* L. H. contra Cdd. etiam C. E. 11. *limant* Codd. C. E. Edd. vett. L. — *libant* Av. P. A. Hav. probante etiam Bentl. 15. *divina mente coortam* i. e. ut eam mente tua vere divina tibi informaveras ac descripseras. Cfr. 5, 8. Etenim ex significatu vulgari, quo

Discedunt; totum video per inane geri res:
Apparet divôm numen sedesque quietae;
Quas neque concutiunt ventei nec nubila nimbis
Aspergunt neque nix acri concreta pruina,
Cana cadens violat: semperque innubilus aether
Integer et large diffuso lumine ridet.
Omnia suppeditat porro natura neque ulla
Res animi pacem delibat tempore in ullo.
At contra nusquam apparent Acherusia templa;
Nec tellus obstat, quin omnia despiciantur,
Sub pedibus quaequomque infra per inane geruntur.
His ibi me rebus quaedam divina voluptas
Percipit atque horror; quod sic natura tua vi
Tam manifesta patens ex omni parte retectast.
Et quoniam docui, cunctarum exordia rerum
Qualia sint et quam variis distantia formis
Sponte sua volitent aeterno percita motu,
Quoque modo possint res ex his quaeque creari:
Hasce secundum res animi natura videtur
Atque animae claranda meis iam versibus esse;
Et metus ille foras praeceps Acheruntis agundus,
Funditus humanam qui vitam turbat ab imo,
Omnia suffundens mortis nigrore neque ullam
Esse voluptatem liquidam puramque relinquit.

v. c. Cic. de Nat. Deor. 2, 35. dubitasse quosdam dicit de mundo, casune ipse sit effectus aut necessitate aliqua, an *ratione ac mente divina*, et quo Lucretius ipse 2, 180. docet *nequaquam nobis divinitus esse creatam naturam mundi*, quum h. l. accipi neutiquam posset, Lamb. de Ianoctii coni. dedit: — *haud divina*, quod retinuerunt usque ad Wak. Hoc quidem loco lègi vix potest: *ratio - - coorta*, ut 4, 484. *ratio ab sensibus orta*, 5, 336. *natura haec rerum ratioque reperta est nuper.* 21. Sic C. Cantabr. Iunta. Ald. 2. — Hav. *semper innubilus aether* cum aliis Cdd. Forb. Verum adeo saepe *que* e Cdd. excidit, ut nolim propterea licentiam metricam introducere. — *semper in nubibus ae.* E. Alii Cdd. Hoc correctum ab Av. et Pio: *semper sine nubibus ae.*, sicque Wak. Cfr. Odyss. 6, 44. ἀλλὰ μάλ' αἴθρη πέπταται ἀνέφελος, λευκὴ δ' ἐπιδέδρομεν αἴγλη. 22. *ridet* C. E. A. H. *(riget* Brix.) — *ridit* Ver. Ven. W. 24. *delibrat* L. ex solito suo errore in hoc verbo. 26. *despiciantur*, quod hoc loco recte se habet, quoniam ex alto, quae subiecta nobis sunt, *despicimus*, praebent etiam mei C. E. Edd. vett. Ald. — *dispiciantur II.* L. H. 28. *ibi* Gron. Wak. coni. — *ubi* Codd. (C. E.) Edd. vett. — *tibi* L. H. 30. *patet - - retecta* L. H. 33. Plerique libri *alterno.* 39. E. et Edd. vett. *suffundans*, unde ex Wak. coni. Eichst. *suffuscans*, sed praestabat Cod. C. et Avancium cum reliquis Edd. sequi, *suffundens* scribentem ut 6, 479. *suffunduntque sua caelum caligine.*

Nam, quod saepe homines morbos magis esse timendos
Infamemque ferunt vitam quam tartara leti;
Et se scire animae naturam sanguinis esse
Aut etiam venti, si fert ita forte voluntas,
Nec prorsum quidquam nostrae rationis egere:
Hinc licet advortas animum magis omnia laudis
Iactari caussa, quam quod res ipsa probetur:
Extorres îdem patria longeque fugatei
Conspectu ex hominum, foedatei crimine turpi,
Omnibus aerumnis affectei denique, vivunt;
Et quoquomque tamen miserei venere, parentant
Et nigras mactant pecudes et manibu' divis
Inferias mittunt; multoque in rebus acerbis
Acrius advortunt animos ad religionem.
Quo magis in dubiis hominem spectare periclis
Convenit advorsisque in rebus noscere, quid sit:
Nam verae voces tum demum pectore ab imo
Eliciuntur et eripitur persona, manet res.
Denique avarities et honorum caeca cupido,
Quae miseros homines cogunt transcendere fineis
Iuris et interdum socios scelerum atque ministros
Nocteis atque dies niti praestante labore
Ad summas emergere opes: haec volnera vitae
Non minumam partem mortis formidine aluntur.
Turpis enim ferme contemptus et acris egestas
Semota ab dulci vita stabilique videntur
Et quasi iam leti portas cunctarier ante.
Unde homines, dum se falso terrore coactei
Effugisse volunt longe longeque remosse,

43. *animae* Wak. coni. Forb. — *animi* Cdd. (etiam C. E.) Vulgo. 44. Codd. et Edd. postponunt v. 46. et explicant *gloriolae*, *fumi* causa. Avancius ex interpolatione dedit *Aut vetiti.* Sed egregia illa transpositio Bentleio debetur. Empedocles v. 317. St. αἷμα γὰρ ἀνθρώποις περικάρδιόν ἐστι νόημα. Cic. Tusc. I. 9. *Empedocles animum esse censet cordi suffusum sanguinem. Animum autem alii animam, ut fere nostri.* Ib. *corde* pro *forte* E. a sec. m. 47. *Causam* W. ex Edd. vett. 52. *et manibus imis* C. 56. *quid sit* Ω. Ver. Ven. W. Eichst. F. — *qui sit* E. Brix. L. H. — *quis sit* C. — *qui sint* Av. P. A. qui cum Cdd. C. E. v. 55. habent *homines.* 61. *scelerumque ministros* C. — *scelerisque ministros* volebat Wak. e corruptela C1d. et Brix. *sceleris atque.* 64. *minimam in partem* C.; ut solent isti accusativi a librariis corrumpi insertis praeposs. *ad* vel *in*, aut mutari in *magna ex parte* cet. 65. *ferme* Codd. 4. — *forma* E. — *formae* C. Edd. vett. — *famae* Av. P. A. — *fama et contemptus* L. H. 69. *effugisse* Cdd. etiam C. E. W. F. — *refugisse* L. H.

Sanguine civili rem conflant divitiasque
Conduplicant avidei, caedem caede accumulantes:
Crudeles gaudent in tristi funere fratris
Et consanguineûm mensas odere timentque.
　Consimili ratione ab eodem saepe timore
Macerat invidia: ante oculos ollum esse potentem,
Ollum adspectari, claro qui incedit honore;
Ipsei se in tenebris volvi coenoque queruntur.
Intereunt partim statuarum et nominis ergo;
Et saepe usque adeo mortis formidine vitae
Percipit humanos odium lucisque videndae,
Ut sibi consciscant maerenti pectore letum;
Oblitei fontem curarum hunc esse timorem,
Hunc vexare pudorem; hunc vincula amicitiaï
Rumpere; et in summa pietatem evortere suadet.
Nam iam saepe homines patriam carosque parentes
Prodiderunt vitare Acherusia templa petentes.
Nam veluti puerei trepidant atque omnia caecis
In tenebris metuunt, sic nos in luce timemus
Interdum nihilo quae sunt metuenda magis quam
Quae puerei in tenebris pavitant finguntque futura.
Hunc igitur terrorem animi tenebrasque necessest
Non radiei solis neque lucida tela diei
Discutiant, sed naturae species ratioque.

Lib. III. v. 842—1107.

　Nil igitur mors est, ad nos neque pertinet hilum,
Quandoquidem natura animi mortalis habetur.
Et velut ante acto nil tempore sensimus aegri,

— *remosse* Ven. (*remotae* E. Brix. *remote* C. et alii Codd. 5.) — *recesse* L. 71. *caedi* L. H. 74. Abest a Cod. *Π.* perperam probante Wak. 76. *claroque incedere honore* Creech. H. lectio hibrida enata ex Lambini commentis *claroque incendit honore* Ed. 1. *clarumque incedere honore*, Ed. 2. ut actum agens iterum emendavit Creechianam lect. Markl. Epist. crit. pag. 81. scribens *claromque.* 80. *humanos* (item infra v. 849.), ut poëtae Francogallici *les humains* et inter recentiores Italos Foscolus *gli umani.* Certum exemplum est apud Iustinum 42, 3. *primusque humanorum post Herculem.* Dubius locus est Taciti Ann. 16, 25. *audiret senatus voces quasi ex aliquo numine, supra humanos* al. *humanus;* et in Ciceronis Ep. ad Att. 16, 21, 5. certa ex auctoritate reposui: *possum falli, ut homo* pro *ut humanus.* 84. *evortere fundo* Lamb. coni. H. 85. *Penateis* Markl. „haud dubie ob locum Virg. Ge. 2, 505. *Hic petit excidiis urbem miserosque Penates.*" Forb. Cfr. de eadem confusione Catulli Epith. Pel. v. 405.

Ad confligundum venientibus undique Poenis;
Omnia quom belli trepido concussa tumultu
Horrida contremuere sub altis aetheris oris,
In dubioque fuere, utrorum ad regna cadundum
Omnibus humanis esset terraque marique:
Sic, ubi non erimus, quom corporis atque animaï
Discidium fuerit, quibus e sumus uniter aptei,
Scilicet haud nobis quidquam, quei non erimus tum,
Accidere omnino poterit sensumque movere:
Non si terra mari miscebitur et mare caelo.
Et si iam nostro sentit de corpore postquam
Distracta est animi natura animaeque potestas;
Nil tamen est ad nos, quei comptu coniugioque
Corporis atque animae consistimus uniter aptei.
Nec, si materiam nostram collegerit aetas
Post obitum rursumque redegerit, ut sita nunc est,
Atque iterum nobis fuerint data lumina vitae;
Pertineat quidquam tamen ad nos id quoque factum,
Interrupta semel quom sit repetentia nostri.
Et nunc nil ad nos de nobis attinet, ante
Quei fuimus: nec iam de ollis nos afficit angor. [,]
[Quos de materia nostra nova proferet aetas.]
Nam quom respicias immensi temporis omne

847. *auris* Codd. et Edd. vett.: sed eadem constantia 5, 144, *altis aetheris oris* et 6, 61. *aetheris - - in oris.* unde hic quoque *oris* dedi cum Gifanio. Vossium enim ad Ge. 2, 47. verum vidisse arbitror. v. ad I, 23. Totum versum sic exhibet Cd. C.: *Omnia contremuere sub altas aetheris auras.* 848. *fuit sub utrorum regna* L. H. 851. Sic Lugd. sec. et meus E. L. H. — *haesimus* Reliqui. Edd. vett. sed cfr. v. 878. 856. *detracta* e duobus Codd. W. Eichst. sed contra Lucretii usum. cfr. 4, 32. cet. 857. Pro *est*, *hoc* A. L. H. — Ib. *coitu* A. — *coetu* L. H. v. 3, 260. 4, 31. 862. *quod factum* ex 2. Codd. Hav. 863. *repentia* Codd. aliquot. (C. E.) Edd. vett. A. — *retinentia* Av. P. Bentl. ex 3, 675. Sed *repetentia* L. H. W. quo vocabulo pro reminiscentia etiam Arnobius utitur. Ib. *nostris* Codd. (C. E.) Edd. vett. — *nobis* Av. — *nostri* Pii Codd. Gif. Bentl. — *nostra* A. L. H. — Recepi nunc *nostri*, quod omnium est simplicissimum. Ad v. *nostris* supplent *rebus* (Wak.) vel *luminibus* (Knebel.) Seqq. omisso versu subditicio sic explica: Et nunc ad nos nihil attinet de nobis *(den Individuen)*, qui antea fuimus nec minimus de iisdem illis nos angor afficit." 866. Abest versus a septem Codd. (etiam a C. E.) et Edd. vett. primumque comparet ap. Av. 869. „Verbo *multimodus*, *i*, usi sunt Appuleius, Prudentius et alii sequiores; non tamen adhibituri nisi in purissimis literarum monimentis invenissent." W. v. 2, 1055. 871. *reprehendere*, *ἀναλαμβάνειν*, etiam C. E. — *deprendere* *Δ*. A. L. H. 875. *quom* L. H. Firmant nunc C. E. et simplicissimum est, nisi forte malis *quo*. — *quoi* ex aliis Cdd. W.; sed

Praeteritum spatium, tum motus materiaï
Multimodei quam sint; facile hoc accredere possis
Semina saepe in eodem, ut nunc sunt, ordine posta:
Nec memori tamen id quimus reprehendere mente;
Inter enim iectast vitaï pausa vageque
Dêrrarunt passim motus ab sensibus omnes.
Debet enim, misere est quoi forte aegreque futurum,
Ipse quoque esse in eo tum tempore, quom male possit
Accidere: id quoniam mors eximit esseque prohibet
Ollum, quoi possint incommoda conciliari,
Haec eadem, quibus e nunc nos sumus, ante fuisse,
Scire licet nobis nil esse in morte timendum:
Nec miserum fieri, qui non est, posse; neque hilum
Differre, an nullo fuerit iam tempore natus;
Mortalem vitam mors quom immortalis ademit.
    Proinde, ubi se videas hominem indignarier ipsum,
Post mortem fore, ut aut putescat corpore posto
Aut flammis interfiat malisve ferarum;
Scire licet non sincerum sonere atque subesse
Caecum aliquem cordi stimulum; quamvis neget ipse
Credere se quemquam sibi sensum in morte futurum.
Non, ut opinor, enim dat, quod promittit et unde,
Nec radicitus e vita se tollit et eicit,

manifestum est pronomen personae hic falsam inferre sententiam. 876. *id* Codd. omnes. Edd. vett. Ib. *esseque prohibet* Codd. 2., quam synaloephen quum librarii non concoquerent, Codd. 4. (et C.) Brix. *esse prohibe* Ver. *esse prohibe inde* Ven. *esse inde* Av. *esse perinde* O. *esse proclive* Ω. *esse probatum.* Naugerius in Ald. *at quoniam mors eximit id prohibetque*, unde tandem emersit Lamb. (Hav. rel.) commentum: *at q. m. e. im prohibetque*, ex Macrob. Sat. 1, 4. *in XII. tabulis — haec sunt: si im aliquis occisit; — ab eo quod est is, non eum — sed im dixerunt.* 878. *e* Cdd. 3. Wakefieldi et mei duo. — *et* Edd. vett. L. H. Constructio sic explicanda: „Quoniam mors eximit *(aufhebt)* id, et fuisse ante (subiectum, τὸ προγεγονέναι) prohibet illum (qui tum vixit), cui possint incommoda accidere, esse haec eadem semina (constare his iisdem seminibus), e quibus nunc nos sumus compositi." Vulgata haec erat: — *Accidere: at quoniam mors eximit im prohibetque, Illum, quoi possint incommoda conciliari, Haec eadem, in quibus et nunc nos sumus, ante fuisse.* 881. *an nullo*] Sic etiam E. L. H. — *an ullo* e Lugd. utroque F. sicque etiam C. contra metrum. At vero duplex negatio recte se h. l. habet, ut in illis Cic. *nullum nummum debere nemini.* — *a nullo* cum Cdd. aliqq. Edd. vett. Wak. — *Differre, nullo* Eichst. 882. *quom* e Cdd. W. — *quoi* E. L. H. 883. *miserarier* L. 884. — *putes* miro errore Codd. plerique et Edd. vett. — *putrescat* Av. P. F. Retinui cum Cod. O. et meo C. Wakefieldi *putescat.* Cfr. Cic. de Nat. D. 2, §. 160. Arnob. 7, 17. 889. *unde* E. C. Brix. — *inde* Ver. Ven. Av. Hav. — *pr. abunde* A. L.

Sed facit esse sui quiddam super inscius ipse.
Vivus enim sibi quom proponit quisque futurum,
Corpus uti volucres lacerent in morte feraeque,
Ipse sui miseret: neque enim se dividit hilum
Nec removet satis a proiecto corpore; et illud
Se fingit sensuque suo contaminat astans.
Hinc indignatur se mortalem esse creatum,
Nec videt in vera nullum fore morte alium se:
Qui possit vivus sibi se lugere peremptum,
Stansque iacentem se lacerari urive dolere.
Nam si in morte malumst malis morsuque ferarum
Tractari, non invenio, quî non sit acerbum
Ignibus impositum calidis torrescere flammis
Aut in melle situm suffocari atque rigere
Frigore, quom summo gelidi cubat aequore saxi,
Urgerive superne obtritum pondere terrae.
„Nam iam non domus accipiet te laeta neque uxor
„Optuma nec dulces occurrent oscula natei
„Praeripere et tacita pectus dulcedine tangent.
„Non poteris factis florentibus esse, tuisque
„Praesidium: misero misere" aiunt „omnia ademit
„Una dies infesta tibi tot praemia vitae."
Illud in his rebus non addunt: „Nec tibi earum

892. *Vivus* E. C. Brix. A. L. H. Eich. — *unius* Ver. — *unus* Ven. Av. P. Wak. 894. *vindicat* L. Ib. *hilum* Cdd. 3. Wak. et meus C. Brix. Av. Hav. — *illum* E. Ver. 895. *illud* L. H. W. — *illum* Cdd. etiam C. E. Edd. vett. A. (*se dividit ipsum - - corpore; at illum* W. suspic.) 900. *se* deest in plerisque libris (etiam in E.), praeter Cantab. et meum C. Primus inseruit Av. P. tum W. — *nec lac.* Iunta. A. L. H. — *illum lac.* volebat Bentl. Ib. *dolere* C. a pr. manu. Pius. Lamb. Seqq. — *dolore* Cdd. cett. Iu. A. 901. *iam* Bentl. 904. *mole* Av. P. Xenophon H. Gr. 5, 3, 19. de Agesipoli: *Καὶ ἐκεῖνος μὲν ἐν μέλιτι τεθεὶς καὶ κομισθεὶς οἴκαδε ἔτυχε τῆς βασιλικῆς ταφῆς.* v. 905. et 906. transponendos censebat Bentl. immemor v. c. Nicolai Damasceni p. 275. Corai. *Φρύγες οὐ κατορύττουσι τοὺς ἱερεῖς τελευτήσαντας, ἀλλ' ἐπὶ λίθους δεκαπήχεας τιθέασιν ὀρθούς.* 905. *quom in* Vulgo, etiam contra C. E. 906. *obtritum* Av. P. H. W. — *obrutum* Codd. (C. E.) Edd. vett. — *obruptum* Bodl. — (*operitum* W.) 907. *Iam iam* C. E. — *At iam* Av. — Hav. *Nam iam* Cod. 1. W. Reliqui corrupte v. c. *amiam* Vind. (*atnuam* Brix. cet. 910. *factis florentibus* A. — *facti fl.* Codd. etiam C. E. Edd. vett. — *fatis* Av. P. — *factis tibi fortibus* Lamb. coni. Hav. 911. Ita Codd. Edd. vett. — *Praesidium, miser, o miser* Av. P. A. — *Praesidio miser, o (ah* Bentl.) *miser* L. H. 914. Ita Codd. 3. (Edd. vett. C. *rerum super insit*) *rerum super insidet* Av. P. A. — *insidet rerum insuper* L. Hav. Cfr. v. 931. 917. *lecto* Pii coni. ab uno Codice firmata. A. W. — *leto* Codd. (C. E.) Edd. vett. Av. — Hav. cfr. v. 923. — *leto* sic explicandum esset: „ut (semel) es leti

„Iam desiderium rerum insidet insuper una."
Quod bene si videant animo dictisque sequantur,
Dissolvant animi magno se angore metuque.
Tu quidem, ut es lecto sopitus, sic eris aevi
Quod superest cunctis privatu' doloribus aegris:
At nos horrifico cinefactum te prope busto
Insatiabiliter deflebimus aeternumque
Nulla dies nobis maerorem e pectore demet.
Illud ab hoc igitur quaerundumst, quid sit amari
Tanto opere, ad somnum si res redit atque quietem,
Quur quisquam aeterno possit tabescere luctu.
Hoc etiam faciunt, ubi discubuere tenentque
Pocula saepe homines et inumbrant ora coronis,
Ex animo ut dicant: „Brevis hic est fructus homullis:
„Iam fuerit; neque post unquam revocare licebit!"
Tamquam in morte mali cum primis hoc sit eorum,
Quod sitis exurat miseros atque arida torreat
Aut aliae quoius desiderium insideat rei.
Nec sibi enim quisquam tum se vitamque requirit,
Quom pariter mens et corpus sopita quiescunt;
Nam licet aeternum per nos sic esse soporem
Nec desiderium nostri nos attigit ullum;
Et tamen haudquaquam nostros tunc illa per artus

sopore occupatus, ita sine ullo sensu remanebis" cet. Pii lectionem sic interpretantur: „ut soles carere omni aegritudine, ubi somnus te in tuo lectulo occupavit" cet. Et hanc sententiam requirunt ea quae sequuntur v. 932. Recte etiam Gesnerus in Thes. v. *Sopitus*. „Al. *leto:* sed utitur Lucretius Socratica argumentatione, similem futuram conditionem vita functorum somno." 919. *de prope* Codd. 4. (C.) et alii Pii. — *te prope* Reliqui, etiam E. Edd. vett. A. L. H. Facit huc Marius Victorinus p. 1951. P. *Adverbiis adiici praepositiones negant omnes technici, quamvis licenter veteres usi sunt. Terentius in Hecyra, derepente: ita et Lucretius desubito.* Nonius p. 775. Gothofr. Nunc tamen cum Forb. praetuli *te*, ita tamen construens, quum *prope* cum dativo iungi nequeat: „deflebimus te cinefactum (in) horrifico busto, prope (bustum) astantes." 920. „Omnes Mss. (i. e. quattuor et E.), *deflevimus* quae vera lectio est." Bentl. cui iudicio nec Forb. neque ego accedere potuimus. 928. *Iam fuerit*, futur. exactum; „fuerit, neque adeo erit i. e. celerrime evanescet iste fructus." 930. *arida terra* C. E. et e suis Cdd. Lamb. Adeo haeserunt complures in v. *torreat* dissyllabo. 931. Nota tum *aliae* pro *alius*, et omnino *alius quis*, pro quo frequenter Latini *quis alius*, praecedentibus potissimum partt. *aut*, *sive* cet. saepe corruptum in *aliquis*. 932. *requirit* A. L. H. Latinitate sic postulante. — *requirit* - - *quiescunt*. Futurum *requiret*, quod habent Cdd. (etiam C. E.) Wak. Forb., ab iis profectum videtur, qui haec, in quibus de vivorum somno sermo est, perperam interpretabantur de mortis somno.

Longe ab sensiferis primordia motibus errant,
Quom correptus homo ex somno se colligit ipse.
Multo igitur mortem minus ad nos esse putandumst,
Si minus esse potest, quam quod nihil esse videmus.
Maior enim turbae disiectus materiaï
Consequitur leto nec quisquam expergitus exstat,
Frigida quem semel est vitaï pausa sequuta.
    Denique, si vocem rerum natura repente
Mittat et hoc aliquoi nostrûm sic increpet ipsa:
„Quid tibi tanto opere est, mortalis, quod nimis aegris
„Luctibus indulges? Quid mortem congemis ac fles?
„Nam gratîs fuerit tibi vita ante acta priorque,
„Et non omnia pertusum congesta quasi in vas
„Commoda perfluxere atque ingrata interiere;
„Quur non ut plenus vitae conviva recedis,
„Aequo animoque capis securam, stulte, quietem?
„Sin ea, quae fructus quomque es, periere profusa,
„Vitaque in offensost; quur amplius addere quaeris,
„Rursum quod pereat mali et ingratum occidat omne?
„Non potius vitae finem iacis atque laboris?
„Nam tibi praeterea quod machiner inveniamque
„Quod placeat, nihil est: eadem sunt omnia semper.
„Si tibi non annis corpus iam marcet et artus
„Confectei languent, eadem tamen omnia restant,
„Omnia si pergas vivendo vincere secla;
„Atque etiam potius, si nunquam sis moriturus:" —
Quid respondemus, nisi iustam intendere litem
Naturam et veram verbis exponere caussam?

938. i. e. tunc, quum (omnis) homo sese corripiens *(sich aufraffend)* ex somno se colligit ultro. Quum *correptus* interpretarentur Itali „increpitus", *sgridato*, factum est, ut Iunta, A. Vulgo scriberent *Quin correptus* i. e. „Quid, quod etiam homo ab altero increpitus vel appellatus se ex somno colligit?" Cdd. (etiam C. E.) lectionem recte restituit Wak. 948. Hic quoque sequendi erant optt. Cdd. Lugd. uterq. C. E. Alii. — *gratis* h. l. prima significatione, quae elucet ex opposito *ingratiis*, i. e. „grata, iucunda, tibi volenti." *Nam gratis fuit tibi vita* Cdd. (etiam C. E.) — *Nam gratum fuerit tibi vita* W. Eichst. soloece in v. *gratum:* recte *fuerit*. — *Nam si grata fuit tibi vita* ex interpol. A. L. H. *si* in talibus apud poëtas saepe omittitur. 954. *offensu est* L. H. 955. ita Codd. 6. (etiam C. E.) Edd. vett. W. — *male* Av. L. H. Construe: „quur quaeris addere amplius mali, quod rursum pereat et cet." 956. *Non* Codd. 6. et mei C. E. A. *nunc* Edd. vett. Av. *nec* Cod. unus. L H. 961. *perges* C. E. W. Ib. *vivere* Cod. *II*. 963. *respondeamus* L. H. 967. *barathre* Codd. etiam E. *baratre* C. Ed. Brix. *barde* Av. P. *bara-*

At qui obitum lamentetur miser amplius aequo,
Non merito inclamet magis et voce increpet acri?
„Aufer abhinc lacrumas, barathre, et compesce querelas."
Grandior hic vero si iam seniorque queratur:
„Omnia perfunctus vitaï praemia, marces;
„Sed quia semper aves, quod abest, praesentia temnis,
„Imperfecta tibi elapsast ingrataque vita,
„Et nec opinanti Mors ad caput astitit ante,
„Quam satur ac plenus possis discedere rerum.
„Nunc aliena tua tamen aetate omnia mitte,
„Aequo animoque agedum magnis concede: necessest.
Iure, ut opinor, agat, iure increpet inciletque.
Cedit enim rerum novitate extrusa vetustas
Semper et ex aliis aliud reparare necessest;
Nec quisquam in barathrum nec Tartara deditur atra.
Materies opus est, ut crescant postera secla:
Quae tamen omnia te vita perfuncta sequentur:
Nec minus ergo ante haec quam tu cecidere cadentque.
Sic alid ex alio nunquam desistet oriri
Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu.
Respice item, quam nil ad nos ante acta vetustas
Temporis aeterni fuerit quam nascimur ante.
Hoc igitur speculum nobis natura futuri
Temporis exponit post mortem denique nostram.
Num quid ibi horribile apparet? Num triste videtur
Quidquam? Non omni somno securius exstat?
Atque ea nimirum quaequomque Acherunte profundo
Prodita sunt esse, in vita sunt omnia nobis:

thro A. *balathro* Heins. Vide Valck. ad Ammon. p. 42. 969. *persructus* L. H. Ib. *maeres* Gif. 975. *magnis* Codd. Edd. vett. *iam aliis* Av. ex temeraria interpol. A. L. H. „*magnis* utique, ut opponatur vocibus *aliena tua aetate; grandibus aetate ac florentibus*, non autem, ut tu *grandioribus*." Wak. „An *magnis* dictum, ut *peritis* ap. Hor. Ep. 2, 2, 213. *Vivere si recte nescis, decede peritis?*" Hav. Immo *magnis* est neutrum plurale; a magnis, laetis illis rebus, quarum iacturam defles, iam procul discede. Plaut. Epid. 5, 2, 16. *num oculis concessi tuis?* Erat tamen, qui ex Aen. 10, 820. *vita per auras Concessit maesta ad manes*, hic quoque legendum arbitraretur: *maneis concede*, ut *concedere rus* dixit Terentius. Pinzg. coni. *magnus*. „*gross durch Gleichmuth verlasse das Leben*", quod mihi quidem Latinum non videtur. 976. *inciletque*] Sic etiam E. Nonius: „*Incilare* est increpare vel improbare." *incilietque* C. Alii. Iu. A. 979. *quidquam - - decidit* L. H. 982. *tu* Codd. sex. E. C. Brix. A. (*tu* excidit in Edd. Ver. Ven.) *tum* C. in marg. et Av. *nunc* L. H. 983. *desistit* Cod. C. Ald. Futurum firmatur ab E. 991. *Atque ea*

Nec miser impendens magnum timet aëre saxum
Tantalus, ut fama est, cassa formidine torpens;
Sed magis in vita divôm metus urget inanis
Mortaleis casumque timent, quem quoique ferat fors.
Nec Tityon volucres ineunt Acherunte iacentem;
Nec, quod sub magno scrutentur pectore, quidquam
Perpetuam aetatem possunt reperire profecto,
Quamlibet immani proiectu corporis exstet,
Qui non sola novem dispersis iugera membris
Obtineat, sed qui terraï totius orbem:
Non tamen aeternum poterit perferre dolorem
Nec praebere cibum proprio de corpore semper:
Sed Tityos nobis hic est, in amore iacentem
Quem volucres lacerant atque exest anxius angor
Aut alia quavis scindunt turpedine curae.
Sisyphus in vita quoque nobis ante oculos est,
Qui petere a populo fasceis saevasque secureis
Imbibit et semper victus tristisque recedit.
Nam petere imperium, quod inane est nec datur unquam,
Atque in eo semper durum sufferre laborem,
Hoc est advorso nixantem trudere monte
Saxum, quod tamen a summo iam vortice rursum
Volvitur et plani raptim petit aequora campi.
Deinde animi ingratam naturam pascere semper
Atque explere bonis rebus satiareque nunquam;
Quod faciunt nobis annorum tempora, circum
Quom redeunt fetusque ferunt variosque lepores,
Nec tamen explemur vitaï fructibus unquam:

nimirum quaec. Sic cum aliis Cdd. meus C. praeterea Codd. Prisciani Krehlii 1, 6. §. 35. p. 34. (qui tamen edidit *Atque ea nimirum etiam quaecunque;* verum correctus est error in Add.) et tres antiquissimi Turicenses a me propterea inspecti. Haec autem lectio sua se veritate satis tuetur. — *Atque animarum etiam quaecunque* E. cum plerisque. Edd. vett. Prisc. Putschii. Wak. (qui cum Aldd. Pio, Iunta *Atqui:*) Forb. Scil. quum semel *Atque nimirum* corruptum esset in *Atque animarum*, versus fulciendi causa intruserunt *etiam*. Satis autem contorte defensores huius depravationis ita fere interpretabantur: „quae de animis apud Acherontem prodita sunt, ea omnia reapse sunt in vita hominum." 996. *quemcunque* L. H. (contra C. E.) 998. *quod* h. l. sane rectum tuetur C. Ald. habentque L. H. — *quid* Cdd. pleriq. etiam E. Brix. Wak. Forb. — *qui* Av. P. Gryph. 999. *possunt* Cdd. septem ante noti, et meus C. Brix. W. — *possent* Ver. Ven. Av. — *poterunt* A. L. H. Eichst. et ex accurata Mencini collatione etiam Cd. E. 1001. *dispensis* Turneb. L. H. 1006. *volucris lacerat* W. coni. 1007. H. l. Codd. (etiam C. E.) et Edd. vett. magno

Hoc, ut opinor, id est, aevo florente puellas
Quod memorant laticem pertusum congerere in vas,
Quod tamen expleri nulla ratione potestur.
Cerberus et Furiae iam vero et lucis egestas,
Tartarus, horriferos eructans faucibus aestus;
Quei neque sunt usquam nec possunt esse profecto:
Sed metus in vita poenarum pro male factis
Est insignibus insignis; scelerisque luela
Carcer et horribilis de saxo iactus eorum,
Verbera, carnufices, robur, pix, lamina, tedae:
Quae tamen etsi absunt, at mens sibi conscia factis,
Praemetuens adhibet stimulos torretque flagellis,
Nec videt interca, qui terminus esse malorum
Possit nec quae sit poenarum denique finis:
Atque eadem metuit magis, haec ne in morte gravescant:
Hinc Acherusia fit stultorum denique vita.
Hoc etiam tibi tute interdum dicere possis:
„Lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit;"
Qui melior multis quam tu fuit, improbe, rebus.
Inde aliei multei reges rerumque potentes
Occiderunt, magnis quei gentibus imperitarunt.
Ille quoque ipse, viam qui quondam per mare magnum
Stravit iterque dedit legionibus ire per altum
Ac pedibus salsas docuit superare lacunas
Et contempsit equis insultans murmura ponti,
Lumine adempto, animam moribundo corpore fudit.
Scipiades, belli fulmen, Karthaginis horror,
Ossa dedit terrae, proinde ac famul infimus esset.

consensu *turpedine* vel *torpedine*. Sed hic quoque Lamb. Hav. *cuppedine*, maxime propter 5, 46. *Quantae tum scindunt hominem cuppedinis acres sollicitum curae?* cfr. 6, 25. 1010. *victus semper* C. 1024. Ita Cdd. omnes, etiam mei; sed hanc quoque lectionem Alterus codicis vitiis accensuit: tum Edd. Brix. Ver. Wak. Forb. Contra Ven. Av. P. A. L. H.: *egenas*. Audacius illud vocabulum desumptum videtur e vetustiore aliquo poëta Latino. 1026. *haec* (pro *quei*) A. L. H. 1028. *numela* Av. P. nimis docta interpolatione ex Plauti Asin. 3, 2, 5. A. *luela* revocavit. 1029. *deorsum* L. H. 1031. *facti* Cd. meus E. (C., ut nos.) Av. P. A. L. H. 1032. *torquetque* Heins. 1034. *nec quae sit*] Sic meus C. A. L. H. quo alludit etiam corruptela Codd. aliq. (etiam E.) Codd. *neque sit; nec qui sit* Cod. 1. Edd. vett. Av. *quive siet* ex Cod. *A*. Sec. XV. dedit. W. (Eichst.) 1038. Ennius: *Postquam lumina sis oculis bonus Ancu' reliquit.* 1044. *super ire* L. H. 1045. *aquis* L. H. Ceterum iunge *equis*, casu sexto, *insultans mari;* aliter ac W. *contempsit equis murmura.* 1048. *infimus* Codd. Brix. Ver. A. L. H. *improbus* Ven. A. P.

Adde repertores doctrinarum atque leporum;
Adde Heliconiadum comites; quorum unus Homerus
Sceptra potitus eadem aliis sopitu' quiete est.
Denique Democritum postquam matura vetustas
Admonuit memores motus languescere mentis,
Sponte sua leto caput obvius obtulit ipse.
Ipse Epicurus obît, decurso lumine vitae,
Qui genus humanum ingenio superavit et omneis
Restinxit, stellas exortus uti aetherius sol.
Tu vero dubitabis et indignabere obire,
Mortua quoi vitast prope iam vivo atque videnti?
Qui somno partem maiorem conteris aevi
Et vigilans stertis nec somnia cernere cessas,
Sollicitamque geris cassa formidine mentem;
Nec reperire potes, quid sit tibi saepe mali, quom
Ebrius urgeris multis miser undique curis
Atque animo incerto fluitans errore vagaris.
Si possent homines, proinde ac sentire videntur
Pondus inesse animo, quod se gravitate fatiget,
E quibus id fiat caussis quoque noscere et unde
Tanta mali tamquam moles in pectore constet,
Haud ita vitam agerent, ut nunc plerumque videmus

1049. *leporum*] „literarum amoeniorum omnium (eloquentiae praesertim) praeter poëticas elegantias, de quibus in versu prox." Wak. 1051. *resopitus* C. Sed verbum *sopire* primam habet longam, nomen *sopor* brevem; et omnino dubia est auctoritas v. *resopire*. 1053. *memorem* L. H. 1054. *obtulit. Ipse, Ipse* Hav. 1057. *restinxit* Codd. (etiam C. E.) *restrinxit* Ed. vett. Av. *extinxit* A. *praestinxit* Lamb. ex perpetua confusione inter *praestringere oculos*, quod legitimum est, *perstringere* (v. c. *aures* Horat. Od. 2, 1, 18.) et *praestinguere*. — Codd. tantum non omnes, etiam C. E. Edd. vett. *aërius sol*, pro qua lectione depugnat Wak. „*Aërius sol*, inquit, is est, qui in *aëra* emergit ex oceano; *aetherius* autem *sol*, qui medium caeli vel saltem altiores caeli tractus perequitat." Ego vero hoc discrimen Latinis ignotum astraque ab iis in aethere, non in aëre collocata fuisse censeo. Cic. de Nat. Deor. 2, 15. *sidera aethereum locum obtinent.* Ib. 19. *sol autem - - astrorum obtinet principatum.* Unde *aetherius* perpetuum apud Lucretium est solis epitheton: 5, 216, 268, 282, 390. ubi libri constanter *aetherius*, ut h. l. exhibent Lact. 3, 17. (sine ulla varietate in Codd. v. Bünemann et Le Brun.) Ald. L. H. *aeriae* Lucretio sunt *volucres*, *aurae;* imo 2, 151. *solis lumen tardius ire Cogitur*, *aërias quod sic diverberet undas* (i. e. *aëris mare* 5, 277.) *longe infra se positas*. *Aërii* montes quoque dicuntur, non *aetherii* ap. Catull. 64, 259. Tibull. 1, 7. 15. v. Huschk. 1059. Cicero pro Sestio §. 59. *vivus ut aiunt et videns:* ubi vide in Ed. min. 1065. *animi* L. H. contra Codd. Triplicem etsi hic versus admittit distinctionem notante W., maioris caesurae tamèn vis nos iubet iungere *atque vagaris errore*, *fluitans animo*

Quid sibi quisque velit, nescire et quaerere semper,
Commutare locum, quasi onus deponere possit.
  Exit saepe foras magnis ex aedibus ille,
Esse domi quem pertaesumst, subitoque reventat;
Quippe foris nihilo melius qui sentiat esse.
Currit agens mannos ad villam praecipitanter,
Auxilium tectis quasi ferre ardentibus instans:
Oscitat extemplo, tetigit quom limina villae;
Aut abit in somnum gravis atque oblivia quaerit
Aut etiam properans urbem petit atque revisit.
  Hoc se quisque modo fugit: at, quem scilicet, ut fit,
Effugere haud potis est, ingratis haeret et odit;
Propterea, morbi quia caussam non tenet aeger:
Quam bene si videat, iam rebus quisque relictis
Naturam primum studeat cognoscere rerum;
Temporis aeterni quoniam, non unius horae,
Ambigitur status, in quo sit mortalibus omnis
Aetas post mortem, quae restat quomque, manendum.
  Denique tanto opere in dubiis trepidare periclis
Quae mala nos subigit vitaï tanta cupido?
Certa quidem finis vitae mortalibus astat
Nec devitari letum pote, quin obeamus.

incerto. Scil. distinguere possumus: 1) *Atque, animo incerto fluitans, errore vagaris.* 2) *Atque animo incerto, fluitans errore, vagaris.* 3) *Atque animo, incerto fluitans errore, vagaris.* *incertus* B. 1068. *E* Cdd. aliq., etiam E. Brix. *Et* reliqui Codd. et Edd. Ib. *cognoscere* Av. P.—H. 1071. „Deleo punctum ad *semper* et iungo *quaerere commutare*." Bentl. Sed ita nimis tenuis erit prior sententia, *quid sibi quisque velit, nescire;* ac simile asyndeton habes 2, 10. 1074. Ultimum voc. deest in Cdd. aliq., etiam E. Contra C. Brix. Ver. Ven. *revertit*. Av.—H. *reventat*, verbum alias inauditum, Codd. *Ω*. et alii Pii; hocque praetulit W. 1076. *villam hic p.* A. L. H. contra Codd. Edd. vett. 1082. *odit* Codd. omnes. Brix. Av. (*adit* Ver. Ven.) *angit* A. L. H. *obit* W. „coniectura indubitabili - - quasi *obbit* scriptum esset". — Sed nunquam primam huius verbi syllabam producit Lucretius, aliaque prorsus est ratio vocabuli *obex* (= *obiex*,) quod ille frustra in auxilium vocat. *odit* h. l. ut ita dicam, mitiore aliquanto, quam solito, significatu dictum est, ut ap. Horat. Ep. 1, 14. 20. *odit, quae tu pulchra putus.* Explica: *improbat se, pudet pigetque illum sui.* Ad v. *haeret* autem supple, *circa, apud eundem.* 1088. *manendum*] Sic *Π*. *manendo* libri, etiam C. E. et A., tum Wak.; quod ortum e scriptura *manendom* nec ullam rectam constructionem admittit. — *manenda* L. H. Nostrae autem lectionis eadem est constructio, quae reperitur Lib. 5, 44. *quae proelia nobis Atque pericula sunt ingratis insinuandum!* 1091. *Certe equidem* C. Brix. Wak. — *Certa equidem* E. — *Certe quidem* Ver. Ven. — *Certa quidem* Av.—H. Eichst. Rursum librariis displicuit *finis* genere fem.

Praeterea vorsamur ibidem atque insumus usque;
Nec nova vivendo procuditur ulla voluptas.
Sed, dum abest, quod avemus, id exsuperare videtur
Cetera; post aliud, quom contigit illud, avemus
Et sitis aequa tenet vitaï semper hianteis:
Posteraque in dubio est fortunam quam vehat aetas,
Quidve ferat nobis casus quive exitus instet.
Nec prorsum vitam ducundo demimus hilum
Tempore de mortis; nec delibrare valemus,
Quo minus esse diu possimus morte peremptei.
Proinde, licet quot vis vivendo condere secla,
Mors aeterna tamen nihilo minus illa manebit:
Nec minus ille diu iam non erit, ex hodierno
Lumine qui finem vitaï fecit, et ille,
Mensibus atque annis qui multis occidit ante.

Lib. IV. v. 1—25.

Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita solo: iuvat integros accedere fonteis
Atque haurire; iuvatque novos decerpere flores
Insignemque meo capiti petere inde coronam,
Unde prius nulli velarint tempora Musae.
Primum, quod magnis doceo de rebus et artis
Religionum animum nodis exsolvere pergo;
Deinde, quod obscura de re tam lucida pango
Carmina, Musaeo contingens cuncta lepore:
Id quoque enim non ab nulla ratione videtur.
Nam veluti pueris absinthia tetra medentes
Quom dare conantur, prius oras pocula circum

1101. *delibare* h. l. Poor. Iunt. A. Gifanius. (*deliberare* C. E. Sic in nostra Chrestomathia Frontoniana N. 1. pro corrupto v. *deliberamenta* Laberio restituimus *delibamenta*. Haec tria vv. ubique confundi tralatitium est.) 1104. (*Nox aeterna* W.)

Lib. IV. v. 1—25.

Iidem versus leguntur L. 1. 924. 4. (*metere* W. coni.) 7. *animos* E. A. L. H. Eichst. *animum* cum Cdd. aliq. etiam meus C. Edd. vett. Av. W. F. Eadem varietas Lib. 1, 931. Praetuli nunc singularem numerum maxime propter Lib. 5, 50. *ex animoque* (non *ex animisque) expulerit dictis*. 8. *pando* ex Codd. quibusdam dedit W. sed *pango*, quod verum est, idem retinuit L. 1, 932. [Cd. meus E. a pr. manu *pando*, quod praetulit Forb. „*obscura* de re *lucida* carmina *pando*, i. e. quasi expando, omnium oculis aperio." Sed certe utrobique eadem lectio exhibenda erat: nam hoc quidem loco inepta esset variatio. Tum a manu sec. E.: *pango* sicque C.] 12. *conamur* Ver. Ven., quam lect.

Contingunt mellis dulci flavoque liquore,
Ut puerorum aetas improvida ludificetur
Labrorum tenus; interea perpotet amarum
Absinthi laticem deceptaque non capiatur,
Sed potius tali attactu recreata valescat:
Sic ego nunc, quoniam haec ratio plerumque videtur
Tristior esse, quibus non est tractata, retroque
Volgus abhorret ab hac, volui tibi suaviloquenti
Carmine Pierio rationem exponere nostram
Et quasi Musaeo dulci contingere melle;
Si tibi forte animum tali ratione tenere
Versibus in nostris possem, dum percipis omnem
Naturam rerum ac persentis utilitatem.

Lib. V. v. 1—235.

Quis potis est dignum pollenti pectore carmen
Condere pro rerum maiestate hisque repertis?
Quisve valet verbis tantum, qui fingere laudes
Pro meritis eius possit, qui talia nobis
Pectore parta suo quaesitaque praemia liquit?
Nemo, ut opinor, erit mortali corpore cretus.
Nam si, ut ipsa petit maiestas cognita rerum,
Dicundum est, Deus ille fuit, Deus, inclute Memmi,
Qui princeps vitae rationem invenit eam, quae
Nunc appellatur Sapientia; quique per artem
Fluctibus e tantis vitam tantisque tenebris
In tam tranquillo et tam clara luce locavit.
Confer enim divina aliorum antiqua reperta:
Namque Ceres fertur fruges Liberque liquoris

Wak. dicit „pro pulchra varietate se amplexurum fuisse, si libri plures addixissent." A quo iudicio meum rursus multum distat. 13. *Adspirant* Quintil. 3, 1, 4. 17. *tali a tactu* Codd. aliq., etiam E. Edd. vett. Av. — *tali tactu* A. L. H. (*tali facto* 1, 941. quo hoc quoque loco alludunt Codd. lectiones *a tacto*, *attacto*.) [Recepi nunc facillimam Forb. emendationem *attactu* feliciter firmatam a Cd. meo C.] 24. *percipis* Cdd. etiam C. E. Edd. vett. W. F. *perspicis* Av. L. H. et 1, 948. sine var. Utrobique autem idem sive *percipis* praefers, quod magis mihi placet, sive *perspicis* ponendum.

Lib. V. v. 1—235.

2. Ita Lamb. e Mss., ut ait. — *maiestatisque repertis* Cdd. pleriq., etiam C. E. Edd. vett. — *maiestatis atque r.* Cdd. aliq. Alii denique, teste Lamb. *maiestate atque r.* 3. *fundere* L. — *pingere* Gif. Nostram lect. firmant C. E. 13. *illorum* Cd. 1. Brix. Ver. Ven. perpetua confusione. Rectam lect. habent C. E.

Vitigeni laticem mortalibus instituisse;
Quom tamen his posset sine rebus vita manere,
Ut famast aliquas etiam nunc vivere genteis:
At bene non poterat sine puro pectore vivi.
Quo magis hic merito nobis Deus esse videtur,
Ex quo nunc etiam per magnas didita genteis
Dulcia permulcent animos solatia vitae.
Herculis antistare autem si facta putabis,
Longius a vera multo ratione ferere.
Quid Nemeaeus enim nobis nunc magnus hiatus
Ille leonis obesset et horrens Arcadius sus?
Denique quid Cretae taurus Lernaeaque pestis,
Hydra, venenatis posset vallata colubris?
Quidve tripectora tergemini vis Geryonaï?
Et Diomedis equei spirantes naribus ignem,
Thracen Bistoniasque plagas atque Ismara propter,
Tanto opere officerent nobis [uncisque timendae
Unguibus Arcadiae volucres] Stymphala colentes?
Aureaque Hesperidum servans fulgentia mala,
Asper, acerba tuens, immani corpore serpens,
Arboris amplexus stirpem; quid denique obesset,

29. Codd. omnes (etiam C. E. et, ut opinor, Vind. etsi ambigue Alterus v. 31. 32. ab eo omitti refert.) Edd. vett. *Et Diomedis equei, spirantes naribus ignem Tanto opere officerent nobis Stymphala colentes Thracia Bistoniasque plagas atque Ismara propter?* cum varietate vix ullius momenti v. c. *efficerent*, *stimphala*, *Trhacia*, *Trhatia* v. Wak. Avancius primus vulgatam lectionem exhibet. Plura iamdudum h. l. turbata fuisse apparet, sed quum doctus aliquis interpolator versuum transpositione et supplemento illo *uncisque - - volucres* haud infeliciter ea redintegrare conatus sit, (nam hodieque artifices in fingendis Stymphalidibus sequuntur nostri emendatoris iudicium; v. Visconti Museo Pio-Clementino. T. IV. p. 263. Ed. Mediol.) nec respuendam duxi lectionem *Thracen;* cui ex codd. W. Eichst. substituerunt *Thracia; loca* enim cogitatione suppleri posse vix arbitror. In talibus profecto aut Codd. lectio quamvis manca sine ulla varietate retinenda est aut in levioribus quoque correctoris iudicio obtemperandum. *Thraciam* dissyllab. edidit Forb. 36. Ita Codd. 4. Edd. vett. Av. P. *Oceani propter* A. Alii Codd. *Propter Acianeum*, *Accianeum*, *Atianeum*, *Actianeum*, unde Lamb. demum *Propter Atlanteum* fecit. H. W. Eichst. Etenim ubique fere obliterare tentaverunt librarii adiectivum *Oceanus*, nisi ubi nulla denique ratione corrumpi poterat veluti Tac. Annal. 1, 9. *mari Oceano.* [Pompon. Mela 3, 3. *Germania - - Oceano litore obducta est:* quod exemplum rem conficit; habes iam in soluta oratione *Oceanum litus.* cfr. praeterea Oudend. ad Caesarem T. 1. p. 8. Ed. Stuttg. Ceterum Cd. E. hanc habet διττογραφίαν: *Oceanum propter litus pelagique sonora Propter actiane ubi litus pelagique severa.* Cd. C.: *Propter aectianeum litus pelagique s.*] — *pelagique severa* W. Eichst. Sed iidem 6, 619, ubi eadem varietas recurrit, dederunt *pelage*, ut inde a Lamb. h. l. quoque edebatur, cum

Oceanum propter litus pelageque severa,
Quo neque noster adit quisquam nec barbarus audet?
   Cetera de genere hoc quae sunt portenta perempta,
Si non victa forent, quid tandem viva nocerent?
Nil, ut opinor: ita ad satiatem terra ferarum
Nunc etiam scatit et trepido terrore repletast
Per nemora ac monteis magnos silvasque profundas:
Quae loca vitandi plerumque est nostra potestas.
   At nisi purgatumst pectus, quae proelia nobis
Atque pericula sunt ingratîs insinuandum!
Quantae tum scindunt hominem cupedinis acres
Sollicitum curae! quanteique perinde timores!
Quidve superbia, spurcitia ac petulantia, quantas
Efficiunt cladeis, quid luxus desidiaeque!
   Haec igitur qui cuncta subegerit ex animoque
Expulerit dictis, non armis; nonne decebit,
Hunc hominem numero divôm dignarier esse?
Quom bene praesertim multa ac divinitus ipsis
Immortalibu' de divis dare dicta suërit
Atque omnem rerum naturam pandere dictis.
   Quoius ego ingressus vestigia dum rationes

3. Codd. *pelagique sonora* Edd. vett. Av. A. „At *severa* inquit W. nescio quid doctius sapit et exquisitius", immo magis Lucretianum, nam (ut *severa silentia noctis* 4, 461.) solitudinem, vastitatem maris ac labores nautis illuc usque iter pergere ausis exantlandos significat. *pelage* nunc praetuli. 41. *scatit*] Cfr. Lib. 5, 597. *Largifluum fontem scatere atque erumpere lumen.* Poëta apud Cic. Tuscul. 1, §. 69. *Fontes scatere*, *herbis prata convestirier.* 45. *tunc* Codd. aliquot. L. H. 46. *tum scindunt* Wak. firmat etiam E. Contra: *conscindunt* C. L. H. cfr. tamen 3, 1007. 48. *spurcities*, *petulantia* L. H. 49. *desidiesque* A. L. H. 54. *ipsis Iam mortalibus e divis* Codd. aliq., etiam E. Edd. vett. Av. W. („praesertim quum iam suërit dare mortalibus bene multa dicta et divinitus *dicta*, e divis ipsis." W.) ita et Eichst. nisi quod scripsit: *mortalibu' de.* Sed h. l. Lambini iudicium sequi debui ex lectione Cd. mei C. Iuntae, Aldi *Immortalibus e divis* rescribentis: *Immortalibu' de divis. Ipsis* enim, quod a prima seq. v. voce ita divelli nequit, ut ad v. *divis* referatur, certissimam hanc emendandi loci iuxta Wakefield. lectionem perquam ambigui viam monstrat. *E divis* autem ab iis est, qui metro aliter succurrere nescirent. *Iam mortalibus* fortuita denique videtur aberratio per Codd. propagata, sicuti v. 166. pro *enim immortalibus* alii habent *enim mortalibus*, v. 1007. *prudentes* Codd. omnes pro *imprudentes.* 56. Ita Codd. etiam C. E. Edd. vett. *nunc* Av.—H. — *dum* h. l. est temporis particula absoluta, proprie „per hoc temporis, quo istam rem persequor, spatium." Ubi iteratur *dum* hoc absolute positum significat fere *modo - modo;* ut in illis Accii apud Cic. de N. D. 2, §. 89. *Ita dum interruptum credas nimbum volvier*, *Dum quod sublime ventis expulsum rapi Saxum*, cet.

Persequor ac doceo dictis, quo quaeque creata
Foedere sint, in eo quam sit durare necessum,
Nec validas valeant aevi rescindere leges.
Quo genere in primis animi natura repertast
Nativo primum consistere corpore creta,
Nec posse incolumem magnum durare per aevom:
Sed simulacra solere in somnis fallere mentem,
Cernere quom videamur cum, quem vita reliquit.
　Quod superest, nunc huc rationis detulit ordo,
Ut mihi mortali consistere corpore mundum
Nativomque simul ratio reddunda sit esse.
Et quibus ille modis congressus materiaï
Fundarit terram, caelum, mare, sidera, solem
Lunaïque globum; tum, quae tellure animantes
Exstiterint; et quae nullo sint tempore natae:
Quove modo genus humanum variante loquela
Coeperit inter se vesci per nomina rerum:
Et quibus ille modis divôm metus insinuarit
Pectora, terrarum qui in orbi sancta tuetur
Fana, lacus, lucos, aras simulacraque divôm.
　Praeterea, solis cursus lunaeque meatus,
Expediam, qua vi flectat Natura gubernans:
Ne forte haec inter caelum terramque reamur
Libera sponte sua cursus lustrare perenneis,
Morigera ad fruges augendas atque animanteis:
Neve aliqua divôm volvi ratione putemus.
Nam, bene quei didicere deos securum agere aevom;
Si tamen interea mirantur, qua ratione
Quaeque geri possint, praesertim rebus in illis,
Quae supra caput aetheriis cernuntur in oris;
Rursus in antiquas referuntur religiones
Et dominos acreis asciscunt, omnia posse
Quos miserei credunt, ignarei, quid queat esse,

62. *incolumis* A. L. H. 65. *nunc me huc* L. H. 73. *nosci* Codd. aliq., etiam E. Edd. vett. Av. L. A. „*vesci* i. e. vivere, vitam colere; secundario verbi significatu, quum vita nimirum cibis vescendis propagetur." Wak. Veram lect. *vesci* habet Cd. C. 96. Ita Codd. (etiam C. E.) Edd. vett. Av. A. *horum* L. H. Eichst. cfr. v. 135. 99. *accidat:* firmat hanc lect. C. — *accidit* cum plerisque Cdd. E. Edd. vett. W. Sed cfr. 1, 921. *Nec me animi fallit, quam sint obscura.* et ante omnia in v. seq. *quam difficile id mihi sit.* 104. Empedocles v. 302. St. (τὸ Θεῖον) οὐκ ἔστιν πελάσασθ', οὐδ' ὀφθαλμοῖσιν

Quid nequeat; finita potestas denique quoique
Quanam sit ratione atque alte terminus] haerens.
  Quod superest, ne te in promissis plura moremur,
Principio maria ac terras caelumque tuere:
Quorum naturam triplicem, tria corpora, Memmi,
Treis species tam dissimileis, tria talia texta,
Una dies dabit exitio multosque per annos
Sustentata ruet moles et machina mundi.
  Nec me animi fallit, quam res nova miraque menti
Accidat, exitium caeli terraeque futurum;
Et quam difficile id mihi sit pervincere dictis:
Ut fit, ubi insolitam rem apportes auribus ante
Nec tamen hanc possis oculorum subdere visu
Nec iacere indu manus, via qua munita fidei
Proxuma fert humanum in pectus templaque mentis.
Sed tamen effabor: dictis dabit ipsa fidem res
Forsitan et graviter terrarum motibus ortis
Omnia conquassari in parvo tempore cernes:
Quod procul a nobis flectat Fortuna gubernans;
Et ratio potius quam res persuadeat ipsa,
Succidere horrisono posse omnia victa fragore.
  Qua prius aggrediar quam de re fundere fata
Sanctius et multo certa ratione magis quam
Pythia, quae tripode e Phoebi lauroque profatur,
Multa tibi expediam doctis solatia dictis:
Religione refrenatus ne forte rearis
Terras et solem, caelum, mare, sidera, lunam
Corpore divino debere aeterna meare;
Propterea que putes ritu par esse Gigantum
Pendere eos poenas immani pro scelere omneis,
Quei ratione sua disturbent moenia mundi
Praeclarumque velint caeli restinguere solem,
Immortalia mortali sermone notantes.

ἐφικτὸν ἡμετέροις, ἢ χερσὶ λαβεῖν, ἧπερ τε μεγίστη πειθοῦς ἀνθρώποισιν ἁμαξιτὸς εἰς φρένα πίπτει. 106. Wak. distinxit: *et graviter terrarum, motibus ortis, Omnia conquassari*, ut constructio esset: *motibus ortis conquassari omnia terrarum;* sed et Latinitas ipsa et totius loci ratio hoc postulat: *et omnia conquassari ortis terrarum motibus*. Male C. L. H. *orbis* pro *ortis*. 108. *natura gubernans* C. cum aliis Cdd. „quod e v. 78. huc translatum est." Forb. 113. *a* C. Edd. vett. W. Sed *e* Av. H. Eichst. Cfr. Lib. 1, 740. 117. *manere* L. H. contra Cdd., etiam C. E.

Quae procul usque adeo divino ab numine distent
Inque deûm numero quae sint indigna videri,
Notitiam potius praebere ut posse putentur,
Quid sit vitali motu sensuque remotum.
  Quippe etenim non est, cum quovis corpore ut esse
Posse animi natura putetur consiliumque:
Sicut in aethere non arbos, non aequore salso
Nubes esse queunt neque pisces vivere in arvis
Nec cruor in lignis neque saxis sucus inesse:
Certum ac dispositumst, ubi quidquid crescat et insit;
Sic animi natura nequit sine corpore oriri
Sola neque a nervis et sanguine longius esse.
Quod si posset enim, multo prius ipsa animi vis
In capite aut humeris aut imis calcibus esse
Posset et innasci quavis in parte soleret
Quamde in eodem homine atque in eodem vase manere.
Quod quoniam nostro quoque constat corpore certum
Dispositumque videtur, ubi esse et crescere possit
Seorsum anima atque animus, tanto magis infitiandum,
Totum posse extra corpus formamque animalem
Putribus in glebis terrarum aut solis in igni
Aut in aqua durare aut altis aetheris oris.
Haud igitur constant divino praedita sensu,
Quandoquidem nequeunt vitaliter esse animata.
  Illud item non est ut possis credere, sedeis
Esse deûm sanctas in mundi partibus ullis.
Tenvis enim natura deûm longeque remota
Sensibus ab nostris animi vix mente videtur.
Quae quoniam manuum tactum suffugit et ictum,
Tactile nil nobis quod sit, contingere debet.
Tangere enim non quit, si tangi non licet ipsum,

124. *sic sint* L. — *sic sunt* H. 128. *conciliumque* E. et Ω. Sed cfr. Lib. 3, 615. *Denique quur animi nunquam mens consiliumque Gignitur in capite* cet. 129. *non aequore* Codd. Edd. vett. Av. P. A. W. — *nec in aequore* L. H. ipseque Eichst. immemor similium 3, 785. 5, 233. 134. *longiter* L. H. ut 3, 676. 135. *hoc si* Av.-H. 138. *Tandem - - manere* Codd. (E.) Edd. vett. — *Tandem - - maneret* Cd. C. Av.—H. h. l. et 3, 794. — *quamde in corde omni* (ap. Wakefield. T. 3. p. 18. sed T. 4. p. 441. *uno) - - manere.* Bentl. unde W. *Quamde - - manere* recepit. 153. *quit, quod si* Codd. (C.) Edd. vett. — *quit, si* Av. W. — *quit, quod* E. A. L. H. 155. *pro* L. „*de corpore* i. e. pro corpore, ad rationem et naturam corporis." Forb.

Quare etiam sedes quoque nostris sedibus esse
Dissimiles debent, tenues, de corpore eorum.
Quae tibi posterius largo sermone probabo.
   Dicere porro, hominum caussa voluisse parare
Praeclaram mundi naturam proptereaque
Allaudabile opus divôm laudare decere
Aeternumque putare atque immortale futurum
Nec fas esse, deûm quod sit ratione vetusta
Gentibus humanis fundatum perpetuo aevo,
Sollicitare suis ulla vi ex sedibus unquam
Nec verbis vexare et ab imo evortere summa,
Cetera de genere hoc affingere et addere, Memmi,
Desiperest: quid enim immortalibus atque beatis
Gratia nostra queat largirier emolumenti,
Ut nostra quidquam caussa gerere aggrediantur?
Quidve novi potuit tanto post ante quietos
Illicere, ut cuperent vitam mutare priorem?
Nam gaudere novis rebus debere videtur,
Quoi veteres obsunt; sed, quoi nihil accidit aegri
Tempore in ante acto, quom pulcre degeret aevom,
Quid potuit novitatis amorem accendere tali?
An, credo, in tenebris vita ac maerore iacebat,
Donec diluxit rerum genitalis origo?
Quidve mali fuerat nobis non esse creatis?
Natus enim debet, quiquomque est, velle manere
In vita, donec retinebit blanda voluptas:
Qui nunquam vero vitae gustavit amorem
Nec fuit in numero, quid obest non esse creatum?
   Exemplum porro gignundis rebus et ipsa
Notities hominum dîs unde est insita primum,
Quid vellent facere, ut scirent animoque viderent?

159. *Id laudabile* A. L. H. (*ad laudabile* Edd. vett.) *Id laudabile* cum alio Cd. habent etiam C. E. 164. *summa*] Ita libri, etiam C. E.; W. perperam *summâ* scripsit, explicans *in summâ;* sed est neutrum plurale. — *summam* Cod. Vat. ap. L. Hav. — *fundo* L. — *pessum* Bentl. 168. *adgredientur* Edd. vett. Av. W. nimis profecto religiose. Recte C. E., ut nos. 181. *in numero* etiam C. E. h. l. scil. viventium; sed magis absolute, quam si eiusmodi quid adiecisset, ut fere Graeci *ἐν ἀριθμῷ εἶναι.* Perperam Cdd. aliq. *in mundo.* 183. Ita Codd. 3. *divisum deest* E. Edd. vett. hinc Av. — Hav.: *divis unde insita.* — *divis est insita* C.

Quove modo est unquam vis cognita principiorum,
Quidque inter sese permutato ordine possent,
Si non ipsa dedit specimen Natura creandi?
Namque ita multimodis multis primordia rerum
Ex infinito iam tempore percita plagis
Ponderibusque suis consuerunt concita ferri
Omnimodisque coire atque omnia pertentare,
Quaequomque inter se possent congressa creare;
Ut non sit mirum, si in taleis dispositura
Deciderunt quoque et in taleis venere meatus,
Qualibus haec rerum geritur nunc summa novando.
Quod si iam rerum ignorem primordia quae sint,
Hoc tamen ex ipsis caeli rationibus ausim
Confirmare aliisque ex rebus reddere multis,
Nequaquam nobis divinitus esse paratam
Naturam rerum; tanta stat praedita culpa.
Principio, quantum caeli tegit impetus ingens,
Inde avidam partem montes silvaeque ferarum
Possedere, tenent rupes vastaeque paludes
Et mare, quod late terrarum distinet oras.
Inde duas porro prope parteis fervidus ardor
Assiduusque geli casus mortalibus aufert.
Quod superest arvi, tamen id natura sua vi
Sentibus obducat, ni vis humana resistat,
Vitaï caussa valido consueta bidenti
Ingemere et terram pressis proscindere aratris:
Si non fecundas vortentes vomere glebas
Terraïque solum subigentes cimus ad ortus,
Sponte sua nequeant liquidas exsistere in auras.
Et tamen interdum magno quaesita labore,

186. *Quidnam* L. H. 190. *consuerant* Bentl. 192. *possent* dedi ex E. pro vulg. *possint*. 195. Ex obstinato Lamb. errore ap. Hav. remansit: *genitur*. 202. *avidam*] „quasi sua portione parum contenti, omnia rapere vellent et haurire, i. e. permagnam partem." Wak. Quod quum non intelligeret Italus in marg. Cd. mei E. adscripsit: „Fortasse *hinc mediam partem*." 206. *geli*] Sic etiam C. E., sed in hoc superscr. *gelu*. Nonius bis antiquiorem formam firmat. 212. *cimus ad ortus*] Scil. fruges, germina; quod omittere poterat, quia nulla omnino ambiguitas ex obiecti omissione oriebatur. Wak. tamen suspicabatur excidisse versiculum aliquem huius fere sententiae: *Herbarum genera ac nitidarum semina frugum*. 225. *vitaï* de Mureti coni. Lambin. probb. Bentl. ac Preig. — „Notanda est constructio v. *indigus* cum ablativo." Forb. 227. Antiquus hic est locus communis de vagitu miseriae humanae teste.

Quom iam per terras frondent atque omnia florent,
Aut nimiis torret fervoribus aetherius sol
Aut subitei perimunt imbres gelidaeque pruinae
Flabraque ventorum violento turbine vexant.
Praeterea genus horriferum Natura ferarum,
Humanae genti infestum, terraque marique
Quur alit atque auget? quur anni tempora morbos
Apportant? quare Mors immatura vagatur?
Tum porro puer, ut saevis proiectus ab undis
Navita, nudus humi iacet, infans, indigus omni
Vitali auxilio, quom primum in luminis oras
Nixibus ex alvo matris Natura profudit;
Vagituque locum lugubri complet, ut aequomst,
Quoi tantum in vita restet transire malorum.
At variae crescunt pecudes, armenta feraeque:
Nec crepitacillis opus est nec quoiquam adhibendast
Almae nutricis blanda atque infracta loquela;
Nec varias quaerunt vesteis pro tempore caeli.
Denique non armis opus est, non moenibus altis,
Quî sua tutentur, quando omnibus omnia large
Tellus ipsa parit Naturaque daedala rerum.

Lib. V. v. 770—1457.

Quod superest, quoniam, magni per caerula mundi
Qua fieri quidquid posset ratione, resolvi:
Solis uti varios cursus lunaeque meatus,
Noscere possemus, quae vis et caussa cieret:
Quove modo soleant offecto lumine obire
Et nec opinanteis tenebris obducere terras,
Quom quasi connivent et aperto lumine rursum

cfr. Plin. Hist. nat. 7. prooem. *Hominem tantum natura nudum et in nuda humo natali die abiecit ad vagitum statim et ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lacrimas, et has protinus vitae principio. At hercules risus, praecox ille et celerrimus, ante quadragesimum diem nulli datur.* 229. *validae* Bentl. 230. Ita Pii Codd. Tres ap. W. Iuntina atque Ald. Rariorem hanc formam servabat etiam Tertullianus adv. Iud. 9., antequam castigaretur. Cfr. Heins. ad Claudian. in Eutrop. 1, 262. — *nec crepitacula eis opus est* Av. P. Hav. — *opu' sunt* L. Gif. Festive Italus in marg. E. „*Nec crepitu ancillis.*" 234. *quae* Av. — *queis* C. A. L. H. Sed rectum est *quí*, ut ambiguitatis vitandae causa scripsi nunc cum Cd. E. pro *quei* Wak.

Lib. V. v. 770—1457.

775. *neque opinanteis* C. E. Wak. Attamen in his *nec opinatus*, *nec ma-*

Omnia convisunt clara loca candida luce:
Nunc redeo ad mundi novitatem et mollia terrae
Arva; novo fetu quid primum in luminis oras
Tollere et incertis † credunt committere ventis.
   Principio genus herbarum viridemque nitorem
Terra dedit circum colleis camposque per omneis
Florida fulserunt viridanti prata colore:
Arboribusque datumst variis exinde per auras
Crescundi magnum immissis certamen habenis.
Ut pluma atque pilei primum setaeque creantur
Quadrupedum membris et corpore pennipotentum,
Sic nova tum tellus herbas virgultaque primum
Sustulit; inde loci mortalia secla creavit
Multa modis multis, varia ratione coorta.
Nam neque de caelo cecidisse animalia possunt,
Nec terrestria de salsis exisse lacunis.
Linquitur, ut merito maternum nomen adepta
Terra sit, e terra quoniam sunt cuncta creata.
Multaque nunc etiam exsistunt animalia terris,
Imbribus et calido solis concreta vapore:
Quo minus est mirum, si tum sunt plura coorta
Et maiora, nova tellure atque aethere, adulta.
   Principio, genus alituum variaeque volucres
Ova relinquebant exclusae tempore verno:

nifestus, *nec mancipi* ac similibus (*nec funera* Catull. Epith. Pel. 83.), ubi *nec* simpliciter negat, antiqui semper primaria forma *nec*, non vero prolungata ac molliore *neque* videntur esse usi. 780. Ita Codd. (C. E.) Edd. velt. *tendat committere* Pii exemplaria, *tendunt committere*. A. *tentarit credere* L. H. „per exsecrandum facinus et detestabile." Wak. Amicus noster: *creduint* per synecphonesin pro *crediderint; confisa*, *ausa sint arva*, quamvis deficiente exemplo; *creduis* quidem et *creduit* habes apud Plautum. Etenim adduci ille haud poterat, ut cum W. ad v. *credunt* suppleret: *philosophi*, Empedocles scil. ap. Pseudo-Plutarch. de placitis phil. 5, 26. et Theophrastus ap. Porphyr. de abstin. 2, 5. Forb. amici mei coni. *creduint* recepit. Poterat mehercule melius etiam *creduit* scil. terra: dummodo haec forma esset perfecti coniunctivi; quod falso tradunt Grammatici et Lexicographi nonnulli: sed *creduis*, *creduit* apud Plautum, ut *duim* et *perduim* cet. semper est praesens coni. Nihilominus sententia manifesto requirere videtur, quod audaci interpolatione intulit Lamb. *tentarit credere*. Verum nunc censeo: *crerint*, decreverint, iudicarint, statuerint. Catull. Epith. Pel. 150. *Potius germanum amittere crevi*. Locus autem Theophrasti apud Porphyrium hic est: *Ἐμπεδεκλῆς πρῶτα τῶν ζώων τὰ δένδρα ἐκ γῆς ἀναδῦναί φησιν. — Δένδρα μὲν γὰρ δὴ πρὸ ζώων ἀνέδωκεν ἡ γῆ· τῶν δένδρων δὲ πολὺ πρόσθεν τὴν ἐπέτειον γεννωμένην πόαν.* 787. *in membris* L. H. 789. *corda* unus Cod. O. W. desertus ab Eichst. Recte, puto, licet Forb. quoque praetulerit *corda*, quod

Folliculos ut nunc tereteis aestate cicadae
Linquunt sponte sua victum vitamque petentes.
Tum tibi terra dedit primum mortalia secla:
Multus enim calor atque humor superabat in arvis.
Hoc, ubi quaeque loci regio opportuna dabatur,
Crescebant uterei terrae radicibus aptei:
Quos ubi tempore maturo patefecerat aetas
Infantum fugiens humorem aurasque petissens,
Convortebat ibi Natura foramina terrae
Et sucum venis cogebat fundere apertis
Consimilem lactis: sicut nunc femina quaeque,
Quom peperit, dulci repletur lacte, quod omnis
Impetus in mammas convortitur ille alimenti.
Terra cibum pueris, vestem vapor, herba cubile
Praebebat multa et molli lanugine abundans.
At novitas mundi nec frigora dura ciebat
Nec nimios aestus nec magnis viribus auras:
Omnia enim pariter crescunt et robora sumunt.
Quare etiam atque etiam maternum nomen adepta
Terra tenet merito, quoniam genus ipsa creavit
Humanum atque animans prope certo tempore fudit
Omne, quod in magnis bacchatur montibu' passim,
Aëriasque simul volucreis variantibu' formis.
Sed quia finem aliquam pariundi debet habere,

v. tum demum locum haberet, ubi de sensu aliquo humano sermo esset. Credo ortum hoc esse in uno illo Wak. Cod. e praecepto negligentius v. *coorta* versiculi seq., unde dormitans librarius hic intulerit *corda; secla* firmant C. E. 790. *creata* Edd. vett. Av. P. 798. *adulto* L. H. Iunge *maiora adulta*, in maius aucta. Ceterum cfr. Pomponium Melam 1, 9, 3. *Nilus adeo efficacibus aquis ad generandum alendumque ut - - glebis etiam infundat animas ex ipsaque humo vitalia effingat. Hoc eo manifestum est, quod ubi sedavit diluvia ac se sibi reddidit, per humentes campos quaedam nondum perfecta animalia, sed tum primum accipientia spiritum et ex parte iam formata, ex parte adhuc terrea visuntur.* 805. *hoc* i. e. ideo, propterea; non *hoc modo*, ut ratus est W. — *hinc* Av.—Hav. — *hic* adv. Bentl. Ib. *(ubiquomque* W. coni.) 806. *terrae* casu tertio, *radicibus*, sexto; ita certe locum intellexit Censorinus C. 4. *Epicurus - - credidit limo calefacto uteros nescio quos radicibus terrae cohaerentes primum increvisse. terrâ* ex uno codice Ω. W. Eichst. 809. *ibus* L. 821. *animal* Av.-H. 823. *aëriasque* Cd. meus C. Av.-Hav. *aëriae* omisso *que* Brix. quod erroris originem detegit: nam quum semel in Cod. aliquo ἀρχετύπῳ ita erratum esset, librarii metro consulturi temere scripserunt *aëriaeque*, ut habent Codd. sex. (etiam E.) Merum hunc soloecismum receperunt Alterus, professionem suam hoc certe loco conficiens, et Wak. elegantiam lectionis admiratus. „Poëta, inquit, constructionem immutatam voluit, ut alibi saepissime."

Destitit ut mulier spatio defessa vetusto.
Mutat enim mundi naturam totius aetas
Ex alioque alius status excipere omnia debet
Nec manet ulla sui similis res: omnia migrant,
Omnia commutat Natura et vortere cogit.
Namque aliud putrescit et aevo debile languet:
Porro aliud concrescit et e contemptibus exit.
Sic igitur mundi naturam totius aetas
Mutat et ex alio terram status excipit alter:
Quod potuit, nequeat; possit, quod non tulit ante.
    Multaque tum tellus etiam portenta creare
Conatast, mira facie membrisque coorta;
Androgynem inter utras nec utramque et utrinque remotum:
Orba pedum partim, manuum viduata vicissim;
Muta sine ore etiam, sine voltu caeca reperta;
Vinctaque membrorum per totum corpus adhaesu:
Nec facere ut possent quidquam nec cedere quoquam
Nec vitare malum nec sumere, quod volet usus.
    Cetera de genere hoc monstra ac portenta creabat:
Nequidquam; quoniam Natura absterruit auctum:
Nec potuere cupitum aetatis tangere florem
Nec reperire cibum nec iungi per Veneris res.
Multa, videmus, enim rebus concurrere debent,
Ut propagando possint procudere secla.
Pabula primum ut sint; genitalia deinde per artus
Semina, quae possint membris manare remissis,

834. *quod tulit, ut nequeat* Bentl. 837. *Androgynum inter utrum, nec utrumque et utrinque* H. Cum W. Codd. et Cod. vett. sequi maluimus in versu e Graeco, ni fallor, fonte haud nimis feliciter detorto, veluti nunc succurrit Orphei Hymn. 42, 4. ἄρσενα καὶ ϑῆλυν, διφυῆ λύσειον Ἴακχον. Brix. confirmat W. *utrinque*. Libb. *utrumque* vel *utrunque*. Spurium iudicaverunt Lamb. Bentl. al. Explica: „Androgynem, naturam inter utras velis naturas virilem ac muliebrem positam, nec tamen utramque (οὖσαν), sed aeque ab utraque remotam." Ceterum e Cd. C. inserui *et*, quod a W. et F. abest. 839. Libri vett. universi: *multa*. *muta* ex Aldina (cum Hav.) recepit W. Pertinent huc versus Empedoclis ap. Peyron. pag. 54. ᾗ πολλαὶ μὲν κόρσαι ἀναύχενες ἐβλάστησαν, Γυμνοὶ δ' ἐμπλάζοντο βραχίονες εὔνιδες ὤμων, Ὄμματα τ' οἶ' ἐπλανᾶτο πενητεύοντα μετώπων. 842. *foret* L. H. F. — Cdd. C. E. *volet*. Futurum indic. hic vix locum habet: vide ne fuerit *volit* pro *velit*; *foret* sane recte se haberet; sed improbabile est, ex hoc factum esse *volet*. 847. *debent* e Codd. duobus W. *debere* reliqui (etiam E.) et Edd. omnes. „sed istud hypermetrum carmen in Lucretium non temere recipiam." W. Talium deliciarum amator in primis erat Gifanius, ita ut 2, 631. legendum proponeret: —

Feminaque ut maribus coniungi possit, habere
Mutua, quî nectant inter se gaudia uterque.
Multaque tum interiisse animantum secla necessest
Nec potuisse propagando procudere prolem.
Nam quaequomque vides vesci vitalibus auris,
Aut dolus aut virtus aut denique mobilitas est
Ex ineunte aevo genus id tutata reservans.
Multaque sunt, nobis ex utilitate sua quae
Commendata manent, tutelae tradita nostrae.
Principio, genus acre leonum saevaque secla
Tutata est virtus, volpeis dolus et fuga cervos.
At levisomna canum fido cum pectore corda
Et genus omne, quod est veterino semine partum,
Lanigeraeque simul pecudes et bucera secla,
Omnia sunt hominum tutelae tradita, Memmi.
Nam cupide fugére feras pacemque sequutae
Sunt et larga suo sine pabula parta labore,
Quae damus utilitatis eorum praemia caussa.
At, queis nil horum tribuit natura, neque ipsa
Sponte sua possent ut vivere nec dare nobis
Utilitatem aliquam, quare pateremur eorum
Praesidio nostro pasci genus esseque tutum,
Scilicet haec aliis praedae lucroque iacebant
Indupedita suis fatalibus omnia vinclis,
Donec ad interitum genus id Natura redegit.
Sed neque Centaurei fuerunt nec tempore in ullo

catervatim Ludunt. 848. *procudere*, quod v. 854. est sine controversia ac propter hoc ipsum, ut devitaretur inepta et quaesita varietas, hîc quoque praeferendum erat, habent Cd. *Ω*. L. H. — *praecludere* C. E. — *producere* Brix. Av. P. W. F. 850. *semina*, *quae* E. a sec. m. Av. P. Wak. — *qua* C. E. a pr. m. Edd. vett. A. L. H. 852. *qui*] ita meliores Codd., etiam C. E. Edd. vett. — *queis* Codd. 3. Av. illud praetuli. Ib. *metuent* Codd. 7. E. Ed. vett. *metuunt Δ*. *metuant Π*. *mutuent* C. *nectent* Av. P. *nectant* A. L. H. Eichst. *meterent* W. coni. ideoque et v. praecedente contra Codd. scripsit *posset*. Ib. *uterque* Libri omnes. Edd. vett. A. *utrisque* L. H. 857. Construe: „mobilitas est tutata id genus, idem reservans, ita ut idem conservaret." 861. *et* E. a sec. m. Av.-H. *a fuga* E. a pr. m. Nec tamen propter seqq. *At levisomna* h. l. scribere possumus *at*. — *ut* C. Ald. W. 866. *secuta* L. Bentl. 872. Male in Edd. vulg. etiam in Forbig. ponitur signum interrog. post v. *tutum*. Una scil. est periodus *At*, *queis* - - - *Natura redegit:* et *quare* non est partic. interrog., sed causalis, „quam ob causam, propter quam utilitatem." 876. *fuerunt* (*e* brevi) Cdd. pleriq. Vulgo, etiam Eichst. Forb. — *fuerant* C. E. Edd. vett. Wak.

Esse queunt; duplici natura et corpore bino
Ex alienigenis membris compacta potestas,
Hinc illinc par vis ut non sic esse potissit.
Id licet hinc quamvis hebeti cognoscere corde.
Principio, circum tribus actis impiger annis
Floret equus; puer haud quaquam, quin saepe etiam tunc
Ubera mammarum in somnis lactantia quaeret.
Post ubi equum validae vires aetate senecta
Membraque deficiunt fugienti languida vita,
Tum demum, puerili aevo florente, iuventas
Officit et molli vestit lanugine malas:
Ne forte ex homine et veterino semine equorum
Confieri credas Centauros posse neque esse,
Aut rabidis canibus succinctas semimarinis
Corporibus Scyllas et cetera de genere horum,
Inter se quorum discordia membra videmus:
Quae neque florescunt pariter nec robora sumunt
Corporibus neque perficiunt aetate senecta
Nec simili Venere ardescunt nec moribus unis
Conveniunt neque sunt eadem iocunda per artus:

877. *queunt* etiam C. E. — *queat - - compacta potestas* Av.-Hav. Immoratur huic opinioni refellendae respiciens non solum fortasse ad fabulam de Centauris, sed etiam ad Empedoclis illud: (v. 214. St.) *πολλὰ μὲν ἀμφιπρόσωπα καὶ ἀμφίστερνα φύεσθαι, βουγενῆ, ἀνδρόπρωρα, τὰ δ' ἔμπαλιν ἐξανατέλλειν ἀνδροφυῆ, βούκρανα μεμιγμένα τὰ μὲν ὑπ' ἀνδρῶν, τῇ δὲ γυναικοφυῆ σκιεροῖς ἠσκημένα γυίοις.* Ceterum Centauros Scyllasque apud poëtas et in antiquis monumentis passim coniungi observat Visconti Museo Pio-Clem. 5. p. 21. Lucr. 4, 736. Aen. 6, 286. Stat. Silv. 5, 3, 280. 879. „Ita ut ex utraque parte monstri, ex homine puta et equo constantis, nequeat esse par utilitas membrorum." Wak. Ceterum Brix. Av. Iu. A.: *Hinc illinc par vis ut non par esse potis sit.* Contra E.: *Hinc illinc ut non sit pars esse potis sit.* Cd. C.: *Hinc illinc parib.: ut non sit pars esse potis sit;* adeo ut minime errarit Wak., quod arbitratus est Forb. 882. In Codd. atque Edd. vett. deest et *ita*, et *quin;* Cd. E. *haud quanquam saepe etiam nunc.* In margine: „Addo *sed;* muto *quaquam.*" Cd. C. — *haud quaquam etiam nunc* om. *quin saepe.* Huius loco Av. P. inseruerunt *quia.* Ald. *quin. (haudquaquam, quin saepe etiam nunc)* idque revocavi; *quin* scil. absorptum fuit a praecedente syllaba *quam.* Italam interpolationem sapit illud *ita* unius Cod. recentissimi Ω. quem secuti sunt W. Eichst. *haud ita quaquam; saepe etiam nunc*, pro quo Av. P. non male *etiam tunc.* [quod nunc praetuli.] 883. *in somnis*] ita Codd. Edd. omnes Eichst. idque verum censeo. Puer triennis somnians tantum mammam quaerit. *insomnis* Wak. coni. („difficilis, querulus.") Per similem *ἀβλεψίαν* rerum naturalium Hav. *laetantia* ex 3 Codd. (etiam E.) recepit. Ib. *quaeret.* Ita Codd. Hav. W. — *quaerit* Av. L. 886. Ita C. E. a pr. m. A. W. A sec. m. in E. superscr. *a;* ut sit *florenta;* et sic:

Quippe videre licet pinguescere saepe cicuta
Barbigeras pecudes, homini quae est acre venenum.
    Ignea flamma quidem quom corpora fulva leonum
Tam soleat torrere atque urere quam genus omne
Visceris in terris quodquomque et sanguinis exstet:
Quî fieri potuit, triplici cum corpore ut una,
Prima leo, postrema draco, media ipsa chimaera
Ore foras acrem flaret de corpore flammam?
    Quare etiam tellure nova caeloque recenti,
Talia qui fingit potuisse animalia gigni,
Nixus in hoc uno novitatis nomine inani,
Multa licet simili ratione effutiat ore.
Aurea tum dicat per terras flumina volgo
Fluxisse et gemmis florere arbusta suësse:
Aut hominem tanto membrorum esse impete natum,
Trans maria alta pedum nixus ut pandere posset
Et manibus totum circum se vortere caelum.
Nam, quod multa fuere in terris semina rerum,
Tempore quo primum tellus animalia fudit,
Nil tamen est signi mixtas potuisse creari

puerili aevo florenta Vind. Ver. Ven. *(puerili aevo florentae* Brix.); unde W. volebat *florata*, vocabulum nihili. — *pueris aevo florente* Av.-H. 887. *Officit* cum aliis Cdd. etiam C. E. Wak. „Obstat, interponit se levori genarum." Inde ab Avancio ediderunt *Occipit*, quod Lucretianum non est: illo frequenter utitur. 890. *rabidis* Heins. Bentl. coni. W. *rupidis* Codd. Edd. omnes ante W. 894. *perficiunt* ex uno Cod. W. Ceteri (C. E.) Edd. vett. *proficiunt*, unde *proiiciunt* Turneb. L. H. *perficiunt robora* explica cum Wak. „ad finem ducunt, ita ut nequeant progredi." 899. Brix. *Ignia (Ignea* Av. P.) *flamma quidem quom corpora* — omisso: *vero*. In Cd. E. Ver. Ven. deest et *Ignea* et *vero*, quod comparet iam ap. Iunt. et Ald.: *Flamma quidem vero quom corpora fulva l.* Vides utrumque esse ex suppl. Immo Criticus in margine E. tertium pravissimum protulit: *Flamma quidem febris quom c. f. l.* Lectio autem Brix. quum magis poëtica videretur, languere contra istud *vero*, illam etsi incertam praetulimus. Nec vero male Pomponius Laetus in Cd. C.: *Ardua flamma quidem quom c. f. l.* Possum etiam coniicere: *Fervida flamma* cet. ut infra v. 1098. *flammai fervidus ardor.* 903. Ex aliq. Codd. (etiam E.) W. Eichst. *medio.* Sed Il. ζ, 181. Hesiodi Theog. 323. πρόσϑε λέων, ὄπιϑεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα, δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος αἰϑομένοιο. 904. Ita A. L. H. *Ore feras* Codd. 3. Edd. velt. Av. P. *Ore ferens* Cod. unus. (*Horriferas* alius.) *Ore ferox* tertius. Patet posteriora haec omnia ex interpolatione esse; neque erat cur Wak. Eichst. suo calculo probarent *ferox*, quum *foras* Lucretio in deliciis sit, (6, 1153. cet.) magisque corruptioni obnoxium fuisse videatur quam *ferox*. (E. a pr. m. *Ore feras* [sicque C.], a sec. *Ore ferens.)* Ib. *efflaret* L. H. Ib. *(de pectore* W.) 912. Ita Cod. unus. Av. *pondere* Codd. Edd. vett. *ponere* A. L. H.

Inter se pecudes compactaque membra animantum:
Propterea, quia, quae de terris nunc quoque abundant,
Herbarum genera ac fruges arbustaque laeta,
Non tamen inter se possunt complexa creari;
Sed si quaeque suo ritu procedit et omnes
Foedere naturae certo discrimina servant.
Et genus humanum multo fuit illud in arvis
Durius, ut decuit, tellus quod dura creasset;
Et maioribus et solidis magis ossibus intus
Fundatum, validis aptum per viscera nervis,
Nec facile ex aestu nec frigore quod caperetur
Nec novitate cibi nec labi corporis ulla.
Multaque per caelum solis volventia lustra
Volgivago vitam tractabant more ferarum.
Nec robustus erat curvi moderator aratri
Quisquam nec scibat ferro molirier arva;
Nec nova defodere in terram virgulta neque altis
Arboribus veteres decidere falcibu' ramos.
Quod sol atque imbres dederant, quod terra crearat
Sponte sua, satis id placabat pectora donum:

920. *possint* L. H. 921. „Sed tunc dumtaxat possunt creari, si quaeque cet." Sic Cdd., etiam C. E. W. — *Sed sic* Margo Cd. E. Av. P. A. — *Res sic* L. Hav. 922. *Foedera naturae certo discrimine servant* C. 925. *e solidis* Ver. Ven. Av. P. „Sed Arnobius non patitur vulgatam vocem de loco moveri. Scil. is Lib. 2. p. 54. *Ossibus illis fundata sunt corpora et nervorum colligatione devincta.*" Wak. 926. *et validis* Av.-Hav. 932. *quidquam* Codd. 4. Edd. vett. (unde *quidquam nec scibant.* W. coni.) *quisquam* servant G. E. Tum C. E. *mollirier.* 942. Sic C. E. Alii Cdd. W. *dura* Brix. A. *dia* Av. P. L. H. 943. *ad sedare* Macrob. 6, 6. L. H. 945. H. l. omnes Cdd. et Edd. vett. corruptelis deformantur; v. c. *claricitati a te.* E. — *clarituti ate* Brix. — *claritati a te* Ver. Ven. Tum e coni. *clarior accitat* Pomp. Laetus sive Cd. C. Av. P. A.; cuius verbi quantitas et auctoritas dubia est. Omnes postea de Sim. Bosii coni. ediderunt: *Claricitat late* i. e. clare citat, verbum omni auctoritate atque etiam analogia destitutum, nam *altitonans*, *altivolans*, *blandiloquens*, quae laudant, toto genere diversa sunt: siquidem nemo inter Latinos dixisset: *altivolat*, *blandiloquitur*. Vocabulum legitimum h. l. esset: *Allectat late*, quod ne literarum quidem ductibus magnopere discrepat a corruptae lectionis vestigiis. [Ne verbum monstruosum deturparet etiam hanc Edit., recepi nunc bonam Forb. coni. *Claru' citat.*] 946. Ita Margo Cd. E. A. L. H. (*nocte vagi* Bentl.) — *nota magis* C. — *nota vagis* E. Cdd. Alii. W. Sed altera lectio manifesto vera: „quum noctu vagarentur cubile quaerentes, sese recipiebant in antra." Contra in altera lectione, si qui significatus inest, hic est: „etiam per diem tenebant, habitabant antra, quae palantes aliquando invenerant." Sed hoc utique minus aptum. Et habet alibi v. *noctivagus* Lucr. Pro *Nympharum* Pinzg. volebat *Lympharum.* 947. *aestibant* Edd. vett. *exibant* Av. Hav. quod reposui. *escibant* Codd. aliq., etiam E. ex qua Italorum scriptura, *(esce, uscivano)* natum aliq. Codd. (C.) *excibant* a Wak. et Forb. re-

Glandiferas inter curabant corpora quercus
Plerumque; et, quae nunc hiberno tempore cernis
Arbuta puniceo fieri matura colore,
Plurima tum tellus, etiam maiora, ferebat:
Multaque praeterea novitas tum florida mundi
Pabula dira tulit miseris mortalibus ampla.
  At sedare sitim fluviei fontesque vocabant;
Ut nunc montibus e magnis decursus aquaï
Claru' citat late sitientia secla ferarum.
Denique noctivagei silvestria templa tenebant
Nympharum, quibus exibant humore fluenta
Lubrica, proluvie larga lavere humida saxa,
Humida saxa super viridi stillantia musco,
Et partim plano scatere atque erumpere campo.
  Necdum res igni scibant tractare neque uti
Pellibus et spoliis corpus vestire ferarum:
Sed nemora atque cavos monteis silvasque colebant,
Et frutices inter condebant squalida membra,
Verbera ventorum vitare imbreisque coactei.
  Nec commune bonum poterant spectare neque ullis
Moribus inter se scibant nec legibus uti.

ceptum; („exsuscitabant aquas et properabant Nymphae.") Ita et 6, 1215. Av. P. *exciret* male pro *exiret* (Brix.) Sed Epicuro ita iubente ubique Lucretius negat talia Deorum opera administrari, veluti 4, 579. quem locum, quum ex pulchrioribus sit, totum huc apponam: *Sex etiam aut septem loca vidi reddere voces, Unam quom iaceres: ita colles collibus ipsei, Verba repulsantes iterabant dicta referri. Haec loca capripedes Satyros Nymphasque tenere Finitumei fingunt et Faunos esse loquuntur, Quorum noctivago strepitu ludoque iocanti Affirmant volgo taciturna silentia rumpi Chordarumque sonus fieri dulceisque querelas, Tibia quas fundit digitis pulsata canentum: Et genus agricolûm late sentiscere, quom Pan, Pinea semiferi capitis vallamina quassans, Unco saepe labro calamos percurrit hianteis, Fistula silvestrem ne cesset fundere musam. Cetera de genere hoc monstra ac portenta loquuntur; Ne loca deserta ab divis quoque forte putentur Sola tenere, ideo iactant miracula dictis; Aut aliqua ratione alia ducuntur; ut omne Humanum genus est avidum nimis auricularum.* Ceterum explica „quibus exibant fluenta partim lavere, (ut laverent) humida saxa, ipsorum scil. antrorum solum *(Boden)* opertum musco, unde in subiectas antro rupes aqua desuper stillabat, partim ut aqua per rimas rupium absorpta dein de plano campo per fontes erumperet." Amabant autem antiqui eiusmodi repetitiones: Homerus Iliad. 22, 127. *ὀαριζέμεναι ἅτε παρθένος ἠΐθεός τε Παρθένος ἠΐθεός τ' ὀαρίζετον ἀλλήλοιϊν.* Cic. de Divin. 1, §. 14. *acredula vocibus instat, Vocibus instat* cet. Horat. Epod. 16, 41. *arva beata Petamus arva* cet. 955. *imbrisque* est scriptura Cdd., etiam C. E. Hinc dubitatum est utrum esset genit. singul., an accus. plur. Hoc praestat. 957. *scibant* exhibent Pius—Hav. *sciebant* Codd. aliq. C. E. Ven., unde fluxit inanis W. coni. *scierant* ab Eichst. retenta.

Quod quoique obtulerat praedae fortuna, ferebat,
Sponte sua sibi quisque valere et vivere doctus.
Et Venus in silvis iungebat corpora amantum:
Conciliabat enim vel mutua quamque cupido
Vel violenta viri vis atque impensa libido
Vel pretium, glandes atque arbuta vel pira lecta.
Et manuum mira fretei virtute pedumque
Consectabantur silvestria secla ferarum
Missilibus saxis et magno pondere clavae;
Multaque vincebant, vitabant pauca latebris;
Setigerisque pares suibus silvestria membra
Nudabant terrae, nocturno tempore captei,
Circum se foliis ac frondibus involuentes.
Nec plangore diem magno solemque per agros
Quaerebant pavidei, palantes noctis in umbris:
Sed tacitei respectabant somnoque sepultei,
Dum rosea face sol inferret lumina caelo.
A parvis quod enim consuerant cernere semper
Alterno tenebras et lucem tempore gigni,
Non erat, ut fieri posset mirarier unquam
Nec diffidere, ne terras aeterna teneret
Nox in perpetuum detracto lumine solis.
Sed magis illud erat curae, quod secla ferarum
Infestam miseris faciebant saepe quietem;
Eiecteique domo fugiebant saxea tecta
Spumigeri suis adventu validique leonis;

965. Ita Codd., etiam C. E. Brix. Av. H. *conflectabantur* Ver. Ven. unde W. dedit *conflictabantur* recte desertus ab Eichst. 968. *silvestria* Codd. Brix. Av. P.-H. i. e. agrestia, rustica. Horat. A. P. 390. *silvestres homines.* Plin. H. N. 7, 2. *regio est, quae vocatur Abarimon, in qua silvestres vivunt homines.* — *silvestribus* Ver. Ven. W. Eichst. sed parum placet duplex istud *suum* epitheton. 969. *nuda dabant* L. H. 971. Stoicorum ista opinio fuit, quam oppugnat Lucretius. cfr. Manil. 1, 66. *Rudis vita - - operum ratione carebat Et stupefacta novo pendebat lumine mundi: Tum velut amissis maerens, tum laeta renatis sideribus.* 977. Explica: „Non erat, ut fieri posset (= fieri non poterat), ut mirarentur unquam vel diffiderent cet." 983. *setigeri* Cd. meus C. L. H. ex v. 968. 987. *labentis* de Mureti coni. L. H. 991. Ennius p. 141. Hessel. *Volturis in silvis miserum mandebat homonem; Heu quam crudeli condebat membra sepulcro!* Dionys. Long. 3. p. 9. Toup. *ταύτῃ καὶ τὰ τοῦ Λεοντίνου Γοργίου γελᾶται „Ξέρξης, ὁ τῶν Περσῶν Ζεύς," καὶ „Γύπες ἔμψυχοι τάφοι."* quin audacius etiam Appul. 4, 72. feras appellat: *generosa illa damnatorum capitum funera.* 995. *privarant* cum Cdd. (etiam C. E.) W. Eichst. Plusquamperfecti notio in eo cernitur, quod vermina (*τέτανος, krampfhafte Zuckungen*), eos vitâ *privarant*, antequam

Atque intempesta cedebant nocte paventes
Hospitibus saevis instrata cubilia fronde.
Nec nimio tum plus quam nunc mortalia secla
Dulcia linquebant lamentis lumina vitae:
Unus enim tum quisque magis deprensus eorum
Pabula viva feris praebebat, dentibus haustus;
Et nemora ac monteis gemitu silvasque replebat,
Viva videns vivo sepeliri viscera busto.
At quos effugium servarat, corpore adeso,
Posterius tremulas super ulcera tetra tenentes
Palmas horriferis accibant vocibus Orcum:
Denique eos vita privarant vermina saeva,
Experteis opis, ignaros quid volnera vellent.
At non multa virûm sub signis milia ducta
Una dies dabat exitio: nec turbida ponti
Aequora laedebant naveis ad saxa virosque;
Nec temere, incassum, frustra mare saepe coortum
Saevibat leviterque minas ponebat inaneis;
Nec poterat quemquam placidi pellacia ponti
Subdola pellicere in fraudem ridentibus undis;
Improba navigii ratio tum caeca iacebat.
Tum penuria deinde cibi languentia leto
Membra dabat: contra nunc rerum copia mersat.
Ollei imprudentes ipsei sibi saepe venenum
Vergebant: nunc dant aliis sollertius ipsei.
Inde casas postquam ac pelleis ignemque pararunt,

ullam opem reperissent. — *privarunt* Vulgo. Forb. Sed perfecto vel aoristo nullus hic locus est; esset fortasse imperfecto *privabant*. Ib. *Denique* Cdd., etiam C. E. W. *Donec* Iunta, A. *Donicum* vulgo. 1000. *Nec temere, incassum, frustra mare*] Sic Cdd., etiam C. E. Brix. Ver. Ven. Wak. — *Nec temere, incursu fluctus mare* Pii exemplaria, Iunta; Eichst., quem inconsideratius aliquando secutus eram. Ceterum pro *Nec* scripserunt *Sed* L. H., quod primo adspectu sane aptius videtur probatumque est etiam a Pinzgero; adversum quem Forb. monuit *nec* referri non tantum ad v. *saevibat*, sed ad totam sententiam. Scil. retento *Nec* sic explicandum: „nec, ut nunc quidem fit summo cum navigantium periculo, mare temere coortum saeviebat, sed minas inanes, quippe quae nulli mortalium tunc temporis perniciem afferrent, rursus deponebat." Opponuntur sibi *nec*)(*que*. 1001. *ponebat*] Adeo turbant Cdd. (— *poscebat* C. — *potebas* E. a pr. m. A sec. *ponebat.*), ut Forb. coniecerit *poscebat;* sed non nimis huic v. convenit adv. *leviter*. 1004. *navigiûm* Osann. — *navigi* Bothe v. Weich. ad Val. Fl. pag. 61. et Forb. ad h. l.; qui recte defendit formam per duplex *i*. Pinzgero totus versiculus erat suspectus. 1007. *imprudentes* Av. correctio. P. A. L. H. W. — *prudenter* Edd. vett. — *prudentes* Codd.

Et mulier coniuncta viro concessit in unum,
Castaque privatae Veneris connubia laeta
Cognita sunt prolemque ex se videre creatam;
Tum genus humanum primum mollescere coepit.
Ignis enim curavit, ut alsia corpora frigus
Non ita iam possent caeli sub tegmine ferre:
Et Venus imminuit vireis puereique parentum
Blanditiis facile ingenium fregere superbum.
Tunc et amicitiem coeperunt iungere habentes
Finitumei inter se nec laedere nec violare;
Et pueros commendarunt muliebreque seclum
Vocibus et gestu, quom balbe significarent
Imbecillorum esse aequom misererier omni.
Non tamen omnimodis poterat concordia gigni:
Sed bona magnaque pars servabant foedera castei;
Aut genus humanum iam tum foret omne peremptum
Nec potuisset adhuc perducere secla propago.
  At varios linguae sonitus natura subegit
Mittere et utilitas expressit nomina rerum:
Non alia longe ratione, atque ipsa videtur
Protrahere ad gestum pueros infantia linguae;

1014. *alsia* Codd. plerique etiam Pii et mei C. E. Ver. Ven. — *algida* Margo E. Brix. Av. 1018. Ut nos, C. W. *amicitiam* E. a sec. m. L. H. 1019. Ita Codd. aliq. etiam E. Pius in notis (qui tamen pro *habentes* volebat *aventes*.) — *finitim* Codd. 4. Edd. vett. *finitima* Av. P.-H. *habentes* antique ut ap. Ennium ac Varronem pro *habitantes*. 1022. Ita Codd. Edd. vett. *omnium* Av.-H. „per synizesin scil." 1024. *servabant* Cdd. aliq., etiam E. A. L. H. Forb. — *servabat* ex aliis (C.) W., quod accommodatum est ad v. *pars*. Tum *custe* C. et E. a sec. m. 1027. Hic locus, si cum Epicuri Epist. ad Herodotum §. 44. Schneid. studiose conferatur, in primis docebit, quanam arte Lucretius in praeceptoris pedestri sermone reddendo expoliendoque versatus sit. Sic autem ille: *Ἀλλὰ μὴν ὑποληπτέον, καὶ τὴν τῶν ἀνθρώπων φύσιν πολλὰ καὶ παντοῖα ὑπὸ τῶν αὐτῶν πραγμάτων διδαχθῆναί τε καὶ ἀναγκασθῆναι· τὸν δὲ λογισμὸν τὰ ὑπὸ ταύτης παρεγγυηθέντα καὶ ὕστερον ἐπακριβοῦν καὶ προσεξευρίσκειν, ἐν μέν τισι θᾶττον, ἐν δέ τισι βραδύτερον· καὶ ἐν μέν τισι κατὰ περιόδους καὶ χρόνους μείζους ἀπὸ τῶν τοῦ ἀπείρου, ἐν δέ τισι κατ' ἐλάττους. Ὅθεν καὶ τὰ ὀνόματα ἐξ ἀρχῆς μὴ θέσει γενέσθαι, ἀλλ' αὐτὰς τὰς φύσεις τῶν ἀνθρώπων, καθ' ἕκαστα ἔθνη ἴδια πασχούσας πάθη καὶ ἴδια λαμβανούσας φαντάσματα, ἰδίως τὸν ἀέρα ἐκπέμπειν, στελλόμενον ὑφ' ἑκάστων τῶν παθῶν καὶ τῶν φαντασμάτων, ὡς ἄν ποτε καὶ ἡ παρὰ τοὺς τόπους τῶν ἐθνῶν διαφορὰ εἴη. Ὕστερον δὲ κοινῶς καθ' ἕκαστα ἔθνη τὰ ἴδια τεθῆναι, πρὸς τὸ τὰς δηλώσεις ἧττον ἀμφιβόλους γενέσθαι ἀλλήλοις καὶ συντομωτέρως δηλουμένας. Τινὰ δὲ καὶ οὐ συνορώμενα πράγματα εἰσφέροντας τοὺς συνειδότας παρεγγυῆσαί τινας φθόγγους· [ὧν τοῖς μὲν] ἀναγκασθέντας ἀναφωνῆσαι, τοὺς δὲ τῷ λογισμῷ ἑπομένους κατὰ τὴν πλείστην αἰτίαν, οὕτως ἑρμηνεῦσαι.*

Quom facit, ut digito, quae sint praesentia, monstrent.
Sentit enim vim quisque suam quod possit abuti.
Cornua nata prius vitulo quam frontibus exstent,
Ollis iratus petit atque infensus inurget:
At catulei pantherarum scymneique leonum
Unguibus ac pedibus iam tum morsuque repugnant,
Vix etiam quom sunt dentes unguesque createi.
Alituum porro genus alis omne videmus
Fidere et a pennis tremulum petere auxiliatum.
Proinde putare aliquem tum nomina distribuisse
Rebus et inde homines didicisse vocabula prima
Desiperest: nam quur hic posset cuncta notare
Vocibus et varios sonitus emittere linguae,
Tempore eodem aliei facere id non quisse putentur?
Praeterea, si non aliei quoque vocibus usei
Inter se fuerant, unde insita notities est?
Utilitas etiam, unde data est huic prima potestas,
Quid vellet facere, ut sciret animoque videret?
Cogere item plureis unus victosque domare
Non poterat, rerum ut perdiscere nomina vellent:
Nec ratione docere ulla suadereque surdis,

1031. *monstrent* Iunta. A. L. H. Forb.; quod nunc praeferendum videbatur. — *monstret* Cdd., etiam C. E. Wak.; quasi subiectum sit „infantia linguae"; verum hoc nimis quaesitum. 1032. *quam* Av.-H. contra Cdd., etiam C. E. Construe: „Sentit enim quisque, (ad) quod possit abuti vim suam". Nota *abuti*, ut interdum *καταχρῆσθαι* significatu boni usûs, constructum cum accus. ut *frui*, *fungi*, *potiri*, *vesci*. Cfr. Forb. 1034. *infenstus* Brix. — *infessus* Codd. aliq. etiam E. Ver. Ven. unde W. dedit: *infestus;* quod ipsum habent Cd. C. Iunta, Ald. Celeri, etiam Eichst. *infensus*. 1038. Codd. 4. Edd. vett. *Alituum pro porro.* unde W. „impense laetatus ob huiusce loci tantum non certissimam restitutionem," dedit *Alitum proporro*, recte desertus ab Eichst. (Cd. E.: *Alitum proporito*, tum correctum: *proprito.* Cd. C.: *Alituum pro porro.*) 1047. Ita Codd. Edd. vett. nisi quod pro *etiam* habent *et*, vel *atque* (Codd. 2. Brix.) Inde vero ab Av. qui exhibet *etiam;* (P. tamen *et*) edunt: *Utilitas*, *et unde data est huic prima potestas*, *quid vellet facere*, *ut scirent animoque viderent?* — *facere* h. l. ut Hor. Ep. 1, 11, 17. *incolumi Rhodos et Mitylene pulchra facit*, *quod paenula solstitio.* — Semina lect. Avancianae insunt in Cd. C.: *Utilitatis et inde* (sic) *data est huic pr. p.* Construe: „Unde data est huic prima (ante ceteros omnes) facultas, ut sciret animoque videret, quid vellet facere i. e. quid praestitura esset utilitas huius reperti." Nequaquam enim construi potest, nisi dicas v. *utilitas* vicem sustinere nominativi absoluti, ita: „unde data est huic prima potestas, ut sciret pervideretque etiam utilitatem eius, quod ipse vellet facere scil. reperire sermonem"; ut accepisse videtur Knebelius: *wie hatte der Eine nur das Vermögen zu wissen und durchzusehen den Nutzen dessen*, *was könnt' entstehen*, *was er selbst vorhatte zu machen:* quasi vero esset: *quod vellet facere.*

Quid sit opus facto; faciles neque enim paterentur,
Nec ratione ulla sibi ferrent amplius aureis
Vocis inauditos sonitus obtundere frustra.
Postremo, quid in hac mirabile tanto opere est re,
Si genus humanum, quoi vox et lingua vigeret,
Pro vario sensu varias res voce notaret;
Quom pecudes mutae, quom denique secla ferarum
Dissimileis soleant voces variasque ciere,
Quom metus aut dolor est et quom iam gaudia gliscunt?
Quippe etenim licet in rebus cognoscere apertis.
Irritata canum quom primum magna Molossûm
Mollia ricta fremunt duros nudantia denteis,
Longe alio sonitu rabies districta minatur,
Et quom iam latrant et vocibus omnia complent.
At catulos blande quom lingua lambere tentant,
Aut ubi eos lactant pedibus morsuque petentes
Suspensis teneros imitantur dentibus haustus,
Longe alio pacto gannitu vocis adulant,
Et quom desertei baubantur in aedibus aut quom
Plorantes fugiunt summisso corpore plagas.
Denique non hinnitus item differre videtur,
Inter equas ubi equus florenti aetate iuvencus
Pinnigeri saevit calcaribus ictus Amoris,
Et fremitum patulis sub naribus edit ad arma,
Et quom sic alias concussis artubus hinnit?
Postremo, genus alituum variaeque volucres,
Accipitres atque ossifragae mergeique marinis
Fluctibus in salso victum vitamque petentes

1052. „nequissimi bipedum editores (i. e. L. H.) *quid facto esset opus.*" Wak. 1057. *varia res* Bentl. 1061. *licet id* Gryph. — *id licet e* L. H. 1063. Ita inde ab Av. *premunt* Codd. (etiam C. E.) Edd. vett. A. — *tremunt* Nonius 3, 185. 1067. *iactant* L. H. ut 4, 990. Ib. *potentes* ex Codd. 4. W. Eichst. sed *petentes*, quod reliqui omnes (etiam C. E.) praebent, restituimus. 1068. *veros* Fab. coni. 1075 et 1076. „Hos versus transponunt Ed. Iunt. A. Idem „ex ingenio" prius quam illam inspexisset, fecerat Wak. recte desertus ab Eichst. 1076. *Ac quom sis* L. H. Explica: „quum alio tempore *sic* temere, nullo instinctu amoris nec bellicae ferociae hinnit." 1078. *marini* Bentl. 1079. *salsis* L. H. Dubia est constructio; utrum *in salso*, *marinis fluctibus victum petentes* per appositionis speciem, an „degentes in marinis fluctibus, victum petentes in salso." Ad illud tamen animus inclinat. 1083. Ita Cdd. et E. Edd. vett. Av. P. W. Eichst. *et* omiserunt; reliqui (inde ab A.) *et* in *ut* mutarunt. Rectum autem *et -- que*. 1091. *terras* A. L. H. (non Cdd.) 1092. *diditus* Bentl. 1093. *insita* Libri omnes (etiam C. E.) idque restituit W. Recte, puto:

Longe alias alio iaciunt in tempore voces,
Et quom de victu certant praedaque repugnant.
Et partim mutant cum tempestatibus una
Raucisonos cantus cornicum et secla vetusta
Corvorumque greges, ubi aquam dicuntur et imbreis
Poscere et interdum ventos aurasque vocare.
Ergo, si variei sensus animalia cogunt,
Muta tamen quom sint, varias emittere voces;
Quanto mortaleis magis aequomst tum potuisse
Dissimileis alia atque alia res voce notare!
Illud in his rebus tacitus ne forte requiras:
Fulmen detulit in terram mortalibus ignem
Primitus; inde omnis flammarum diditur ardor.
Multa videmus enim caelestibus insita flammis
Fulgere, quom caeli donavit plaga vapores.
Et ramosa tamen quom ventis pulsa vacillans
Aestuat in ramos incumbens arboris arbor,
Exprimitur validis extritus viribus ignis:
Emicat interdum flammaï fervidus ardor,
Mutua dum inter se ramei stirpesque teruntur:
Quorum utrumque dedisse potest mortalibus ignem.
Inde cibum coquere ac flammae mollire vapore
Sol docuit; quoniam mitescere multa videbant
Verberibus radiorum atque aestu victa per agros:
Inque dies magis hi victum vitamque priorem
Commutare novis monstrabant rebus et igni,
Ingenio quei praestabant et corde vigebant.
Condere coeperunt urbeis arcemque locare

„quibus *insita* sunt, in quibus absconduntur semina flammarum caelestium, aetheris scil. particulae." Cfr. 1, 901. *non est lignis tamen insitus ignis, Verum semina sunt ardoris multa* cet. 4, 331. — *incita* ex Nonio 10, 12. A. L. Eichst. Forb. i. e. „fulmine percussa." Sed vide ne hoc insit in vv. *quum caeli donavit plaga vapores.* 1094. (*roravit* W.) 1095. „Nec fulgor unica causa est ignis terrestris, sed etiam cet." Male C. E. Alii: *Ut ramosa.* 1104. *magis hi victum* A. L. facili sane coni. — *magis invictum* E. Edd. vett. — *magis in victum* Cdd. aliq. (C.) H. W. Eichst. „Et *commutare in victum* dictum est exemplo locutionis perquam notabili pro *commutare victum.* Haverc. affirmat phrasin esse elegantem." Wak. Satis mire profecto. *Invictum* Pinzg. et Forb. explicant „*βίον ἄβιον*, victum, qui proprie victus dici nequeat." Sed est voc. inauditum nec bene componitur cum seq. *vitam*, id quod requireret epitheton aliquod eiusmodi vitae miseriam declarans. Idem dictum esto de priore mea coni. *magis incultum*, quae saltem Latina erat.

Praesidium reges ipsei sibî perfugiumque:
Et pecudes et agrôs divisere atque dedere
Pro facie quoiusque et viribus ingenioque.
Nam facies multum valuit viresque vigebant:
Posterius res inventa est aurumque repertum,
Quôd facile et validis et pulcris dempsit honorem.
Divitioris enim sectam plerumque sequuntur
Quamlibet et fortes et pulcro corpore cretei.
Quod si quis vera vitam ratione gubernat,
Divitiae grandes homini sunt vivere parce
Aequo animo; neque enim est unquam penuria parvi.
At claros homines voluerunt se atque potenteis,
Ut fundamento stabili fortuna maneret
Et placidam possent opulentei degere vitam:
Nequidquam; quoniam ad summum succedere honorem
Certantes iter infestum fecere viaï.
Et tamen e summo quasi fulmen deiicit ictos
Invidia interdum contemptim in Tartara tetra:
Ut satius multo iam sit parere quietum
Quam regere imperio res velle et regna tenere.
Proinde sine, incassum defessei sanguine sudent
Angustum per iter luctantes ambitionis:
Invidia quoniam ceu fulmine summa vaporant
Plerumque et quae sunt aliis magis edita quomque:
Quandoquidem sapiunt alieno ex ore petuntque
Res ex auditis potius quam sensibus ipsis:
Nec magis id nunc est neque erit mox, quam fuit ante.
Ergo regibus occisis subvorsa iacebat

1109. *Et pecudes atque agros divisim ut quisqnis haberet* Cd. C. 1112. *inventa est res* C. 1116. *gubernet* L. H. contra Cdd., etiam C. E. 1119. *At claros se homines voluere esse atque* L. H. 1130 et 1131. spurios iudicant Creech. Bentl. 1131. *aliis*] Sic Cd. meus C. L. H. — *altis* E. cum cett. Cdd. Reliqui, Iu. A. W.; in qua tamen lectione falsum inest acumen, vix Lucretianum. Ferrem in Lucano, Statio, Claudiano. Tum e Cd. C. *neque erit*, pro *nec erit.* Amant enim et Lucr. et Cic. hanc variationem *nec - - neque; neque - - nec.* 1140. *recidat* Codd. (E.) Edd. vett. — *recidit* Cod. unus, unde W. fecit: — *residit*, quae proba est etiam perfecti forma, non solum praesentis; cfr. quae notavi ad Sestianam §. 44. Ed. min. Hactenus igitur recte Wak. Attamen temporis ratione habita, imperfectum aliquod aptius videtur quam perfectum; unde retinui *redibat* Cod. mei C. Av. A. L. H. Ad significatum v. *res* h. l. cfr. Cic. pro Sestio §. 47. *non ad servos videtis rem venturam fuisse?* 1141. *summatum* videtur ἅπαξ λεγόμενον, non tamen magis in suspicionem adducendum quam *potentatus* apud Cic. de Republ. 2, 8., Caesarem ac La-

Pristina maiestas soliorum et sceptra superba;
Et capitis summi praeclarum insigne cruentum
Sub pedibus volgi magnum lugebat honorem:
Nam cupide conculcatur nimis ante metutum.
Res itaque ad summam faecem turbasque redibat,
Imperium sibi quom ac summatum quisque petebat.
Inde magistratum partim docuere creare
Iuraque constituére, ut vellent legibus uti.
Nam genus humanum defessum vi colere aevom
Ex inimicitiis languebat; quo magis ipsum
Sponte sua cecidit sub leges artaque iura.
Acrius ex ira quod enim se quisque parabat
Ulcisci, quam nunc concessumst legibus aequis,
Hanc ob rem est homines pertaesum vi colere aevom.
Inde metus maculat poenarum praemia vitae.
Circumretit enim vis atque iniuria quemque
Atque, unde exortast, ad eum plerumque revortit;
Nec facilest placidam ac pacatam degere vitam,
Qui violat factis communia foedera pacis.
Etsi fallit enim divôm genus humanumque,
Perpetuo tamen id fore clam diffidere debet:
Quippe ubi se multei per somnia saepe loquentes
Aut morbo delirantes protraxe ferantur
Et celata diu in medium peccata dedisse.
Nunc quae caussa deûm per magnas numina genteis
Pervolgarit et ararum compleverit urbeis
Suscipiendaque curarit sollemnia sacra,
Quae nunc in magnis florent stata rebu' locisque:

ctantium. 1144. *vincere* Codd. (etiam E.) Edd. vett. Unus Cod: — *vigere*. Voss: — *vi gerere* prob. W. — *vi colere* ut v. 1149. C. Av. H. — (*vi terere* W.) 1150. *unde* A. L. H. 1155. *humanûmque* W. coniectura inani. 1158. *protraxe* Codd. Edd. vett. A. — *prograxe* Av. — *procraxe* a κράζω, si Diis placet, L. H. 1163. *florent sacra rebus locisque* Codd. Edd. vett. A. L. H. W. in quibus magnopere offendit ingrata repetitio vocabuli *sacra*, diversa, quamvis aeque legitima, primae syllabae quantitate. Deest *sacra* ap. Av. P. *florent rebusque locisque*. Nos de propria coni. rescripsimus *stata*. Pinzg. quidem et Forb. meam coni. reiecerunt. Sed omnino mira paupertas sermonis inest in vulg., utrovis modo construas: „sollemnia sacra, quae sacra nunc florent in magnis rebus publicis atque urbibus": qui est sermo mere pedestris, sive: „sacra, quae nunc in magnis civitatibus florent sacra ὄντα"; intolerabili pleonasmo. Eo autem magis mihi persuasum est ipsam Lucretii manum a me restitutam esse, quod ubique hanc consuetudinem loquendi reperio, ut iungantur *sollemnia* et *stata sacra*. Cicero Tuscul. 1, 49. *sollemne et statum*

Unde etiam nunc est mortalibus insitus horror,
Qui delubra deûm nova toto suscitat orbi
Terrarum et festis cogit celebrare diebus:
Non ita difficilest rationem reddere verbis.
  Quippe etenim iam tum divôm mortalia secla
Egregias animo facies vigilante videbant,
Et magis in somnis, mirando corporis auctu.
His igitur sensum tribuebant, propterea quod
Membra movere videbantur vocesque superbas
Mittere pro facie praeclara et viribus amplis:
Aeternamque dabant vitam, quia semper eorum
Suppeditabatur facies et forma manebat:
Et tamen omnino, quod tantis viribus auctos
Non temere ulla vi convinci posse putabant,
Fortunisque ideo longe praestare putabant,
Quod mortis timor haud quemquam vexaret eorum,
Et simul in somnis quia multa et mira videbant
Efficere et nullum capere ipsos inde laborem.
  Praeterea, caeli rationes ordine certo
Et varia annorum cernebant tempora vorti;
Nec poterant quibus id fieret cognoscere caussis.
Ergo perfugium sibi habebant omnia divis
Tradere et ollorum nutu facere omnia flecti.
  In caeloque deûm sedeis et templa locarunt,
Per caelum volvi quia nox et luna videtur;
Luna, dies et nox et noctis signa severa
Noctivagaeque faces caeli flammaeque volantes,

sacrificium. Seneca in Troadibus Ed. Gronovii 1682. vers. 777. *nec stato lustri die sollemne referens Troici lusus sacrum.* 1165. *toto nova* C. 1176. *(Et manet omnino) et quod* L. H. Cfr. v. 1095 et 1124. „Et tamen vel ob eam rationem solam, quae sequitur, illis aeternam vitam facile tribuerent; ne confugiam ad praecedentem causam." Wak. 1188. Ita Codd. Edd. vett. A. W. *sol et luna videntur* Av.-H. 1189. *severa*] „Brit. 2. *serena*, quod Lamb. Gassendoque placuit. Sed librorum (etiam C. E.) auctoritas non temere vilipendenda, quum *severa* i. e. „„cum (sacro) quodam horrore veneranda"", et ipsum aptam sententiam praebeat." Forb. 1191. *nubila, sol, imbreis (imber* Pius.) Codd. Edd. vett. A. quae lectio, si v. 1188. *nox* retinetur, necessaria est. Quum vero mirum accideret editoribus *solem*, quem iam 1188. intruserant, hic iterari inter meteora, dederunt *ros* Lamb. (haud monito lectore.) H. *(venti flamina* W. quia Ver. Ven. habent *flumina*, sed Brix. *fulmina). (Sol* autem h. l. intellige praecipue de iubare solis post nubila denuo, ac saepe subito sese expandente. *Rori* inter φαινόμενα stuporem mortalium excitantia omnino locus non est.) 1197. *ulla velatum est* Codd. plerique Edd. vett. —

Nubila, sol, imbres, nix, ventei, fulmina, grando
Et rapidei fremitus et murmura magna minarum.
O genus infelix humanum! talia divis
Quom tribuit facta atque iras adiunxit acerbas:
Quantos tum gemitus ipsei sibi quantaque nobis
Volnera, quas lacrumas peperere minoribu' nostris!
Nec pietas ullast velatum saepe videri
Vortier ad lapidem atque omneis accedere ad aras;
Nec procumbere humi prostratum et pandere palmas
Ante deûm delubra neque aras sanguine multo
Spargere quadrupedum nec votis nectere vota;
Sed mage placata posse omnia mente tueri.
Nam, quom suspicimus magni caelestia mundi
Templa super stellisque micantibus aethera fixum
Et venit in mentem solis lunaeque viarum,
Tunc aliis oppressa malis in pectore cura
Olla quoque expergefactum caput erigere infit,
Ne quae forte deûm nobis immensa potestas
Sit, vario motu quae candida sidera vorset.
Tentat enim dubiam mentem rationis egestas,
Ecquaenam fuerit mundi genitalis origo;
Et simul, ecquae sit finis, quoad moenia mundi
Et tanti motus hunc possint ferre laborem:
An, divinitus aeterna donata salute
Perpetuo possint aevi labentia tractu
Immensi validas aevi contemnere vireis.
Praeterea, quoi non animus formidine divôm

ulla est velatum (sic C. E.) Av.-H. W. — *(ulli velatum est* W.) 1198. *vortier* proprio significatu, *περιστρέφεσθαι*. Cfr. Sueton. Vit. 2. *primus C. Caesarem adorari ut deum instituit, quum - - non aliter adire ausus esset, quam capite velato circumvertensque se, deinde procumbens.* 1202. *pacata* C. L. H. 1206. *pectore* Brix. Av.-Hav. Forb. — *pectora* Cdd. aliq. (etiam C. E.) Ver. Ven. W. Eichst. constructione et significatione nimis contorta. 1208. *Ne quae* Codd. Edd. vett. W. verissime, in huiusmodi dubitatione cum pavore mixta. Cfr. v. 1223. — *Et quae* Cd. C. Av. — *Ecquae* Pii Codd. A. L. H. Eichst. 1211 et 1212. Hic contra A. L. H. Eichst. secutus sum, scribens *Ecquaenam - - ecquae.* Codd. Edd. vett. W. *Et quaenam - - et quae.* 1213. *tanti* Brit. 2. Av. L. H. — *taciti* C. E. Pleriq. Cdd. W. Eichst. Sed huius epitheti rationem vix quisquam recte explicare poterit. Contra *tanti*, tam ingentes motus τοῦ παντὸς per se intelliguntur. Peius etiam est, quod Wak. et Knebelio placuit *Et taciti motûs*, „*wie lange die Mauern des Weltbaus können die Last austragen auch dieser so stillen Bewegung.*" Etenim *Et taciti motus* nunquam dicere poterat pro „huius quantumvis taciti motûs."

Contrahitur? quoi non correpunt membra pavore,
Fulminis horribili quom plaga torrida tellus
Contremit et magnum percurrunt murmura caelum?
Non populei gentesque tremunt? regesque superbei
Corripiunt divôm perculsei membra timore,
Ne quod ob admissum foede dictumve superbe
Poenarum grave sit solvundi tempus adactum?
Summa etiam quom vis violenti per mare venti
Induperatorem classis super aequora verrit
Cum validis pariter legionibus atque elephantis,
Non divôm pacem votis adit ac prece quaesit
Ventorum pavidus paces animasque secundas?
Nequidquam: quoniam violento turbine saepe
Correptus nihilo fertur minus ad vada leti.
Usque adeo res humanas vis abdita quaedam
Obterit et pulcros fasceis saevasque secureis
Proculcare ac ludibrio sibi habere videtur.
Denique, sub pedibus tellus quom tota vacillat
Concussaeque cadunt urbes dubiaeque minantur:
Quid mirum, si se temnunt mortalia secla
Atque potestates magnas mirasque relinquunt
In rebus vireis divôm, quae cuncta gubernent?
Quod superest, aes atque aurum ferrumque repertumst
Et simul argenti pondus plumbique potestas,
Ignis ubi ingenteis silvas ardore cremarat
Montibus in magnis seu caeli fulmine misso,
Sive quod inter se bellum silvestre gerentes

1222. *perculsi* Codd. 5. A. L. H. — *percussi* C. E. Edd. vett. Av. 1224. „Plura exempla, ubi gerundia in *di* genitivum plur. pro accusativo admittunt collecta videas a Ruddim. *Inst. Gr.* 2. p. 245." Forb. Ib. *adactum*] Sic C. E. Av.-H. Simpliciter explica: „tandem advenerit." — *ad actum* Brix. — *aduauctum* Cdd. aliq. — *ad auctum* Cd. Ω. Ver. W., qui explicare tentat: „ad plenam maturitatem suam perductum": verumtamen Latinitati repugnat, ut: *hoc vel illud est ad auctum* aut omnino dici queat aut illum in modum explicari. Ut enim aliquis ita locutus esset (quod minime credo), hoc significaturus fuisset: „hoc facit, iuvat ad auctum, augendum." 1225. *summa* Cd. meus C. Av.-H. Forb. ut 6, 71. *summa deûm vis.* Vix enim iungi ita poterit: *super aequora summa. Summe* E. Ver. Ven. W., ut construatur: *vis venti summe* (summopere) *violenti.* At ubi compararis 4, 255. *summe celeri*, perspicias necesse est vix tribus verbis v. *summe* a suo adiectivo separari potuisse. 1236. *dubiaeve* Bentl. 1243. *ceu* Eichst. solus; sed cfr. v. 1091. seqq. 1245. *ignes* C. 1257. Ita C. E. Edd. vett. Av. A. „i. e. super terras." W. Est potius: adversus terras, terris iuxta metalla positis. *in terris* L. H. 1261. *fa-*

Hostibus intulerant ignem formidinis ergo;
Sive quod inductei terrae bonitate volebant
Pandere agros pingueis et pascua reddere rura
Sive feras interficere et ditescere praeda:
Nam fovea atque igni prius est venarier ortum,
Quam saepire plagis saltum canibusque ciere.
Quidquid id est, quaquomque ex caussa flammeus ardor
Horribili sonitu silvas exederat altis
Ab radicibus et terram percoxerat igni,
Manabat venis ferventibus in loca terrae
Concava conveniens argenti rivus et auri,
Aeris item et plumbi: quae, quom concreta videbant
Posterius claro in terras splendere colore,
Tollebant nitido captei lêvique lepore;
Et simili formata videbant esse figura,
Atque lacunarum fuerant vestigia quoique.
Tum penetrabat eos, posse haec liquefacta calore
Quamlibet in formam et faciem decurrere rerum
Et prorsum quamvis in acuta ac tenvia posse
Mucronum duci fastigia prócudendo,
Ut sibi tela parent silvasque et caedere possint,
Materiem lêvare, dolare ac radere tigna
Et terebrare etiam ac pertundere perque forare.
Nec minus argento facere haec auroque parabant
Quam validi primum violentis viribus aeris:
Nequidquam; quoniam cedebat victa potestas
Nec poterat pariter durum sufferre laborem.

vore Av. Pius: „sunt, qui *vapore* legant" — quod W. recepit. Sed *calore* Codd. et Edd. omnes. 1265. *et caedere* Codd. plerique. Ver. Ven. — *excidere* Brix. Av.-H. 1266. *materiemque dolare*, *levare ac radere tigna;* ita fere Edd. vett. W. quem si audias „necesse est *levare* sensum habere frondium exspoliandarum atque ramorum supervacuorum, ut Virg. Ge. 2, 400. *omne levandum Fronde nemus.*" Sed diversa miscet W. nec *levare* nude sic positum tolerari potest. Av. P. *materiemque dolare ac levia radere tigna*, unde L. et W. proposuerunt: *materiemque dolare ac levia reddere tigna.* Nos priscos Pii Codd. E. H. secuti sumus; corruptionis origo manifesto est verbi *levare* et significatio et quantitas ignorata. [Cd. C.: *silvasque et caedere possint Materiemque dolare et levare ac r. t.* Cd. E.: *silvasque caedere possint Materiemque doluret* (in marg. *dolare*) *levare ac r. t.* Forb. ut Wak., meam tamen explicationem secutus. Verum incredibile est Lucretium corripuisse primam syll. huius v. *lĕvare*.] 1271. *poterat* E. L. H. Eichst. — *poterant* scil. duae potestates auri et argenti, e Cdd. aliq. (C.) W. Forb. Sed vereor, ne, qui ita scripserunt, per errorem verbum istud retulerint ad *homines*.

Nam fuit in pretio magis aes, aurumque iacebat
Propter inutilitatem hebeti mucrone retusum:
Nunc iacet aes, aurum in summum successit honorem.
Sic volvunda aetas commutat tempora rerum:
Quod fuit in pretio, fit nullo denique honore;
Porro aliud succedit et e contemptibus exit
Inque dies magis appetitur floretque repertum
Laudibus et miro est mortaleis inter honore.
   Nunc tibi, quo pacto ferri natura reperta
Sit, facilest ipsi per te cognoscere, Memmi.
   Arma antiqua manus, ungues dentesque fuerunt
Et lapides et item, silvarum fragmina, ramei.
Et, flamma atque ignes postquam sunt cognita primum,
Posterius ferri vis est aerisque reperta:
Et prior aeris erat quam ferri cognitus usus,
Quo facilis magis est natura et copia maior.
Aere solum terrae tractabant aereque belli
Miscebant fluctus et volnera vasta serebant
Et pecus atque agros adimebant: nam facile ollis
Omnia cedebant armatis nuda et inerma.
Inde minutatim processit ferreus ensis
Vorsaque in obscoenum species est falcis ahenae,
Et ferro coepere solum proscindere terrae;
Exaequataque sunt creperi certamina belli.
   Et prius est armatum in equi conscendere costas
Et moderarier hunc frenis dextraque vigere
Quam biiugo curru belli tentare pericla.
Et biiugom prius est quam bis coniungere binos

1279. Ita Codd. pleriq. etiam C. Edd. vett. Av.-H. Sed W. de coni. *miro mortaleis inter honore est*, quia Codd. aliq., etiam E. *miro est m. i. honores.* Nostra autem ratio sane melior quam Forb.: *Laudibus et miro mortaleis inter honore.* 1281. *ipsum* Av.-H. 1284. Ita Codd. C. E. Av. *flammae* A. L. H. Subditivum hunc versum censebat Bentl. 1289. *luctus* - - *funera* Bentl. v. Huschke Analecta crit. p. 201. ubi ex Victorii Var. Lectt. 37, 7. laudat Theopompum, qui teste Plutarcho, dixerat ῥεῦμα καὶ κλύδωνα πολέμου. Ib. *ferebant* C. 1293. *obscoenum* ex Macrob. Sat. 2, 6. praetulit Bentl. reposuit W. Codd. Edd. omnes *opprobrium:* de vocis *obscaenus* vel *obscoenus* orthographia certant etiamnunc grammatici; v. Beier ad Cic. de Offic. 1. p. 226. „Poëta dicit falcem aënam, ut instrumentum militare (quidni potius rusticum?) in desuetudinem abiisse, ad usus magicos (ad desecandas scil. herbas philtris et incantationibus idoneas) conversam. Hinc pendet Horat. Epod. 5, 98. *ubi obscoenae anus* sunt veneficae (sagae)." Wak. 1295. *creperi*] In Cd. E. superscr. gloss. *dubii.* 1296. *reppertum* L. contra Cdd. notos, etiam C. E. 1297. *viere* Pii Cdd. —

Et quam falciferos armatum ascendere currus.
Inde boves Lucas, turrito corpore, tetros,
Anguimanos belli docuerunt volnera Poenei
Sufferre et magnas Martis turbare catervas.
Sic alid ex alio peperit discordia tristis,
Horribile humanis quod gentibus esset in armis,
Inque dies belli terroribus addidit augmen.
Tentarunt etiam tauros in moenere belli
Experteique sues saevos sunt mittere in hosteis;
Et validos partim prae se misere leones
Cum ductoribus armatis saevisque magistris,
Quei moderarier his possent vinclisque tenere:
Nequidquam; quoniam permixta caede calentes
Turbabant saevei nullo discrimine turmas,
Terrificas capitum quatientes undique cristas;
Nec poterant equites fremitu perterrita equorum
Pectora mulcere et frenis convortere in hosteis.
Irritata leae iaciebant corpora saltu
Undique et advorsum venientibus ora petebant
Et nec opinanteis a tergo diripiebant,
Deplexaeque dabant in terram volnere victos,
Morsibus affixae validis atque unguibus uncis.
Iactabantque suos taurei pedibusque terebant;
Et latera ac ventres hauribant subter equorum
Cornibus et terram minitanti mente ruebant.
At validis socios caedebant dentibus aprei,
Tela infracta suo tingentes sanguine saevei,
In se fracta suo tingentes sanguine tela,

ciere lunta. Explica: „dextra vero fortiter pugnare." Firmatur autem *vigere* a C. E. 1299. *biiugom* s. *biiugum* Wak. coni. Cod. *II*. *biiugem*. Ceteri omnes: *biiugo*. *biiugos* cum Fabro malebat Bentl. 1300. *inventum* Pii Codd. A. L. H. 1309. *Parthei* Codd. 4. aliique ap. Pium L. H. W. — *partim* Reliqui. Edd. vett. Av. A. probantibus Bentl. ac Preig. [Recepi nunc *partim* etiam cum Cdd. C. et E. i. e. nonnulli. Ipse enim v. 1340. seqq. incertum relinquit, utrum id unquam re vera factum sit necne. Non igitur h. l. certum eius incepti exemplum afferre poterat. *partim* sic usurpatum habes etiam Lib. 6, 1171 et 1207.] 1310. *doctoribus* Codd. aliq., etiam C. E. W. 1311. *hos* L. H. 1319. *deripiebant* L. H. 1320. i. e. arte amplexae. 1322. *suos* C. E. Brix. H. cet. — *sues* Ver. Ven. Av. L. 1324. *ad terramque minanti* A. L. H. ceterum Brix. *ad terram*. 1327. Subditivum iudicant plerique, in quibus Bentl. et Forb.; de duplici autem recensione cogitabat Hav. Sed vide ne similibus repetitionibus 5, 1189. 6, 15. defendi possit. Sicque accepit etiam Knebelius: *sie färbten mit Blut im Grimme die Waffen, Mit dem eigenen Blut die an*

Permixtasque dabant equitum peditumque ruinas.
Nam transvorsa feros exibant dentis adactus
Iumenta aut pedibus ventos erecta petebant:
Nequidquam; quoniam ab nervis succisa videres
Concidere atque gravi terram consternere casu.
Si quos ante domi domitos satis esse putabant,
Effervescere cernebant in rebus agundis
Volneribus, clamore, fuga, terrore, tumultu;
Nec poterant ullam partem reducere eorum:
Diffugiebat enim varium genus omne ferarum,
Ut nunc saepe boves Lucae ferro male mactae
Diffugiunt, fera facta suis quom multa dedere.
Sic fuit, ut facerent: sed vix adducor, ut ante
Non quierint animo praesentire atque videre,
Quam commune malum fueret foedumque futurum:
Et magis id possis factum contendere in omni,
In variis mundis varia ratione creatis
Quam certo atque uno terrarum quolibet orbi.
Sed facere id non tam vincundi spe voluerunt
Quam dare, quod gemerent hostes ipseique perire,
Quei numero diffidebant armisque vacabant.
Nexilis ante fuit vestis quam textile tegmen:
Textile post ferrum est; quia ferro tela paratur:
Nec ratione alia possunt tam lêvia gigni
Insilia ac fusei, radiei scapeique sonantes.
Et facere ante viros lanam natura coëgit

ihnen zersplitterten Waffen. 1329. Codd. Edd. vett. *aduauctus* vel *ad auctus. ad ictus* Pii coni. *adactus* A. L. H. quae quidem vox, ut *summatus* et alia ap. Lucret. caret exemplo. Hinc W. de coni. *ad actus*, *ἐλάσεις*. Verum *exire* alibi (6, 1216.) cum simplici accusativo construit Lucret. Nec vero cogitatione suppleri potest, quod volebat Wak., *apros;* ut construatur: „ad feros actus exibant apros." Ceterum E.: *dentibus adauctus;* C.: *dentibus ictus.* 1333. *sic* L. H. 1337. *variûm - - ferorum* W. inani coni. 1340. *Sic* Av. P. A. L. Eichst. — *si* Cdd. C. E. Edd. vett. Hav. W. Sed sententia manifesto hoc requirit: *fieri potuit, sic ut facerent. Adducor* nullo *credendi* verbo addito habes etiam apud Cic. vel cum part. *ut*, quemadmodum hic, vel cum infinitivo constructum. v. c. de Finn. 1, 5. *adduci vix possum ut ea - - tibi non vera videantur;* de Divin. 1, 18. *nec adducar - - in extis totum Etruriam delirare.* 1342. *fueret* Ver. Ven Av. P.; quae forma, etsi obsoleta, obliterari non debuit, iudice etiam Bentleio. Aliter se habet 3, 849. ubi Gif. edidit: *in dubioque fueret*, quasi dissyllabum esset: unde Forcellinus in v. *fuam* laudat: *in dubio fueret*, quae lectio omni caret auctoritate. — *fieret* Codd., etiam C. E. Brix. A. W. Eichst. — *fuerat* L. H. Etiam Forb. *fieret - - futurum;* id quod omnino

Quam muliebre genus; nam longe praestat in arte
Et sollertius est multo genus omne virile:
Agricolae donec vitio vortere severei,
Ut muliebribus id manibus concedere vellent
Atque ipsei pariter durum sufferre laborem,
Atque opere in duro durarent membra manusque.
At specimen sationis et insitionis origo
Ipsa fuit rerum primum Natura creatrix:
Arboribus quoniam bacaë glandesque caducae
Tempestiva dabant pullorum examina subter,
Unde etiam libitumst stirpeis committere ramis
Et nova defodere in terram virgulta per agros.
Inde aliam atque aliam culturam dulcis agelli
Tentabant; fructusque feros mansuescere terra
Cernebant indulgendo blandeque colundo.
Inque dies magis in montem succedere silvas
Cogebant infraque locum concedere cultis:
Prata, lacus, rivos, segetes vinetaque laeta
Collibus et campis ut haberent atque olearum
Caerula distinguens inter plaga currere posset
Per tumulos et convalleis camposque profusa:
Ut nunc esse vides vario distincta lepore
Omnia, quae pomis intersita dulcibus ornant
Arbustisque tenent felicibus obsita circum.
At liquidas avium voces imitarier ore
Ante fuit multo, quam lêvia carmina cantu

Latinum non esse contendo. 1350. *parantur* C. (non E.) Brix. L. H. 1352. v. Schneid. Ind. Scriptt. R. R. p. 371 et 376. *insilia* *κανόνες*, *ἀντίον*, liciatorium Vulgatae, lignum in quo licium *(Geschirr)* involvitur in tela pendula s. iugali, insubulum in tela plana ap. Isidorum 19, 29. arundo Ovid. Met. 6, 54. *radius* ital. *spola*, *Weberschiffchen*. — *scapi*, unde nostrum *Schaft*, idem fere quod apud alios *pecten*, *Weberlade.*, s. potius ea eius pars, quam vocant *Weberblatt*. 1358. *ipsi potius* L. H. Explica: „Agricolae severi vitio verterunt, exprobrarunt id ceteris viris, qui lanificio etiamtunc intenti erant; nec sine contumeliâ eos hortabantur, lanificium mulieribus ut committere vellent ipsique pariter (peraeque atque illi, qui iamdudum agro colendo vacabant) durum hoc rusticum opus suscipere; *utque* (an sic leg. pro altero *atque?)* in opere duro durarent membra." 1363. *pullorum examina*] Audacius etiam Eurip. Bacch. 709. *γάλακτος ἑσμούς* dixit, ubi vide Elmsley. 1370. *infraque suum* Ver. Ven. hinc: *i. situm* Av. P., quod recepit W. Auctoritatem Codd., etiam C. E. Brix. L. H. sequi maluimus quam Avancii correctionem. 1377. Aristoph. Acharn. 998. Elmsl. *καὶ περὶ τὸ χωρίον ἅπαν γ' ἐλᾶδας κύκλῳ*.

Concelebrare homines possent aureisque iuvare.
Et Zephyri cava per calamorum sibila primum
Agresteis docuere cavas inflare cicutas.
Inde minutatim dulceis didicere querelas,
Tibia quas fundit digitis pulsata canentum,
Avia per nemora ac silvas saltusque reperta,
Per loca pastorum deserta atque otia dia.
Sic unum quidquid paullatim protrahit aetas
In medium ratioque in luminis eruit oras.
Haec animos ollis mulcebant atque iuvabant
Cum satiate cibi: nam tum sunt omnia cordi.
Saepe itaque inter se prostratei in gramine molli
Propter aquae rivum, sub ramis arboris altae,
Non magnis opibus iocunde corpora habebant:
Praesertim, quom tempestas ridebat et anni
Tempora pingebant viridanteis floribus herbas.
Tum ioca, tum sermo, tum dulces esse cachinnei
Consuerant: agrestis enim tum musa vigebat.
Tum caput atque humeros plexis redimire coronis,
Floribus et foliis lascivia laeta monebat
Atque extra numerum procedere, membra moventeis
Duriter, et duro terram pede pellere matrem:
Unde oriebantur risus dulcesque cachinni;
Omnia quod nova tum magis haec et mira vigebant.
Et vigilantibus hinc aderant solatia somno,
Ducere multimodis voces et flectere cantus
Et supera calamos unco percurrere labro:
Unde etiam vigiles nunc haec accepta tuentur
Et numeris servare genus didicere; neque hilo

1380. Plautus Casin. 4, 3, 1. *Age, tibicen, suavi cantu concelebra omnem hanc pluteam hymenaeo.* 1388. *erigit* Cod. unus, ut v. 1454. 1390. *omnia* Codd. Edd. vett. L. Eichst. — *otia* Cod. unus. Fab. coni. H. W. Verum sententia haec est: „tum demum libere nos delectamus genioque indulgemus." 1404. *somni* L. H. Ut nos, etiam C. E. 1406. *rauco* Brix. Codd. Pii. — *udo* Bentl. 1407. „Unde etiam nunc excubiae, custodes, qui somnum arcere volunt, cantare solent." Cfr. Aeschyli Agamemn. 16. ὅταν δ' ἀείδειν ἢ μινύρεσθαι δοκῶ, ὕπνου τόδ' ἀντίμολπον ἐντέμνων ἄκος κ. τ. λ. Aristoph. Nub. 720. φρουρᾶς ᾄδων. 1408. *numeris* Edd. vett. — *numerum* A. L. H. [Sicque etiam C. E. Nihilo minus altera lectio „conservare suum genus singulis numeris" aptior videtur.] 1409. Sic etiam E. Est: „fructum maiore dulcedine praeditum." — *maiorem - - dulcedine* C. — *maiorem - - dulcedini* L. H. 1413. Construe: „Posteriorque fere melior res perdit illa

Maiore interea capiunt dulcedine fructum,
Quam silvestre genus capiebat terrigenarum.
Nam, quod adest praesto, nisi quid cognovimus ante
Suavius, in primis placet et pollere videtur;
Posteriorque fere melior res olla reperta
Perdit et immutat sensus ad pristina quaeque.
Sic odium cepit glandis; sic olla relicta
Strata cubilia sunt herbis et frondibus aucta.
Pellis item cecidit, vestis contempta ferinast,
Quam reor invidia tali tunc esse repertam,
Ut letum insidiis, qui gessit primus, obiret:
Et tamen inter eos distractam sanguine multo
Disperiisse neque in fructum convortere quisse.
Tunc igitur pelles, nunc aurum et purpura curis
Exercent hominum vitam belloque fatigant;
Quo magis in nobis, ut opinor, culpa resedit.
Frigus enim nudos sine pellibus excruciabat
Terrigenas; at nos nil laedit veste carere
Purpurea atque auro signisque rigentibus apta;
Dum plebeia tamen sit, quae defendere possit.
Ergo hominum genus incassum frustraque laborat
Semper et in curis consumit inanibus aevom:
Nimirum, quia non cognovit, quae sit habendi
Finis et omnino quoad crescat vera voluptas:
Idque minutatim vitam provexit in altum
Et belli magnos commovit funditus aestus.
At vigiles mundi magnum et vorsatile templum
Sol et luna suo lustrantes lumine circum
Perdocuere homines annorum tempora vorti
Et certa ratione geri rem atque ordine certo.

priora) reperta"; potius quam: „Itaque melior res posterior reperta perdit sensus eosque immutat." 1415. Sic W. F. *coepit* Vulgo. 1417. *ferina est* L. H. Firmat Cd. E. W. — F. del. *est* cum C. 1418. *tunc* E. Brix. Av.-H. Eich. — *nunc* C. Ver. Ven. W. 1420. *Et tamen*, nihilominus, quantumvis esset pretiosa, prorsus ex usu Lucretiano (cfr. supra v. 1095, 1124, 1176.) Cdd. C. E. Brix. Av. — *Et tandem* Vulgo, etiam W. Ib. *distractam* firmat E. — *distractum* C. L. H. Ib. *sanguine multo* absolute; scil. effuso. 1421. *dispersisse* L. H. 1424. *residit* L. H. 1427. *rigentibus* de Iortini coni. W. Aen. 11, 72. *geminas vestes auroque ostroque rigentes*: cfr. Aen. 1, 648. — *vigentibus* Ver. Ven. Av. P. — *ingentibus* C. E. Brix. A. L. H. 1435. *magnum vorsatile* om. *et* contra usum poëtarum Lat. Cd. E. W. Ut nos, C.

Iam validis saeptei degebant turribus aevom
Et divisa colebatur discretaque tellus.
Tum mare velivolis florebat propter odores:
Auxilia ac socios iam pacto foedere habebant:
Carminibus quom res gestas coepere poëtae
Tradere; nec multo sunt ante elementa reperta.
Propterea, quid sit prius actum, respicere aetas
Nostra nequit, nisi qua ratio vestigia monstrat.
Navigia atque agri culturas, moenia, leges,
Arma, vias, vesteis et cetera de genere horum,
Praemia, delicias quoque vitae funditus omneis,
Carmina, picturas ac daedala signa politos
Usus et impigrae simul experientia mentis
Paullatim docuit pedetentim progredienteis.
Sic unum quidquid paullatim protrahit aetas
In medium ratioque in luminis eruit oras.

1441. *Tum mare velivolis florebat propter odores* Cdd. paene omnes, etiam E. a pr. m. (C. autem: *Tum mare velivolos florebat propter odores.*) Ita *velivolis* positum est pro *navibus*, succedente adiectivo in locum substantivi, ut in Ennii *domiporta*. Navibus igitur mare *florebat*, celebrabatur, a multis percurrebatur *propter odores*, propter unguenta aliasque pretiosas Orientis merces. Sic omnia recte se habent, „et Lucretius exemplum secutus est Ennii haud semel naves ipsas *velivolas* et *velivolantes* nuncupante." Haec meliora sane meis pristinis me docuit Forbigerus. Videlicet in prima Ed. praetuleram lect. Cd. E. a sec. manu. Vind. Poor. quam quidem Vossius ad Catull. p. 77. scripturam dicit omnium librorum: *Tum mare velivolum florebat propter odores.* Nunc autem mihi persuasum est hanc lect. ab interpolatore ductam esse ex Aen. 1, 224. *Despiciens mare velivolum* — quod ex Macrobii Sat. 6, 5. expresso testimonio desumpsit ille ex Livii Andronici Helena *(maria alba velivola).* Iam vero, quum Servius ad Aen. 7, 804. memoriter, ut videtur, h. l. sic afferat: „Lucretius, *florebat navibus pontus*, in auxilium vocatis etiam *pandis carinis* Virgilii Ge. 2, 445. Itala illa correctio nata est, quae comparet in Iuntina et propagata est ab Aldo, Lamb. — Hav. *Tum mare velivolum florebat navibu' pandis.* Pinzg. denique volebat: *Tum mare velivolum: florebat navibu' pontus* servata prorsus Serviana lectione; cuius iudicio non magis accedere possum quam Forbigerus. 1444. *nec multo sunt ante elementa reperta.* Sic egregie Cd. C. Iam quum *ante*, ut est in C., scriptum *an* cum lineola casu excidisset vel etiam quia adverbium cum praepositione confundentes *ante* h. l. vitiosum putabant, plerique scripserunt *nec multo priu' sunt elementa r.* Recte quidem ad sententiam; sed satis moleste quum propter elisam in hoc vocabulo literam *s*, tum quia in v. seq. recurrit *prius.* Contra *Δ.: nec multo post sunt elementa r.* „Rectius, ut arbitror." Wak. Sane rectius hoc erat ex iudicio v. c. Wolfii, qui scripturae artem apud Graecos Homero posteriorem censebat nec ea in re fallebatur. Verum id prorsus contrarium esse debebat Lucretii opinioni, qui nec Iliadem neque Odysseam componi potuisse sine scribendi arte certe paullo ante Homerum in Graeciam introductam cogitare poterat. 1450. *politos.* Hanc lectionem restitui ex Ed. Brix. Ver. Ven. Cfr. 3, 308. *quamvis doctrina politos constituit pariter quosdam.* „Usus igitur et experientia docuerunt homines semel *politos* navigia cet." —

Namque alid ex alio clarescere corde videbant
Artibus, ad summum donec venere cacumen.

Lib. VI. v. 1—95.

Primae frugiparos fetus mortalibus aegris
Dididerunt quondam praeclaro nomine Athenae
Et recreaverunt vitam legesque rogarunt;
Et primae dederunt solatia dulcia vitae,
Quom genuere virum tali cum corde repertum,
Omnia veridico qui quondam ex ore profudit:
Quoius et exstincti propter divina reperta
Divolgata vetus iam ad caelum gloria fertur.
Nam, quom vidit hic, ad victum quae flagitat usus,
Omnia iam ferme mortalibus esse parata,
[Et per quae possent vitam consistere tutam;]
Divitiis homines et honore et laude potenteis
Affluere atque bona natorum excellere fama;

polito Vind. — *polire* Cd. C. Av. A. L. H. Alter. — *politus* W. coni. Eichst. [Etiamnunc pristinum iudicium retineo, etsi etiam E., quum a pr. manu habuisset *polito*, a sec. m. superscr. habet *politus* sicque firmet Wak. coni. a Forb. praelatam; *politus* enim *usus* nondum mihi videtur congruere cum vera Latinitate.] 1454. *erigit* Codd. etiam C. E. Edd. vett. Av. Alter. Wak. — *eruit* A. L. H. ut v. 1388. Utrobique idem verbum praestare arbitror; quamquam haud nego, Lucretium interdum consulto similes versus leviter immutavisse: v. c. 2, 632. 5, 1314. *Terrificas capitum quatientes numine (undique) cristas.* Sed horum alia ratio est, neque audiendus W. ad v. 1388. „Carus noster, si quis alius denique studiose diversitatem phraseos sectatus est." Itaque h. l. quoque *eruit* praetuli. „Non ea tantum *erui* dicuntur, quae in terrae latent visceribus, sed et illa, quae in abdito sunt recondita." Oudend. ad Appul. 1. p. 470. 1455. Sic Cdd. plerique etiam C. E. Edd. vett. A. L. — *videmus* Cdd. duo. Hav.; id quod primo adspectu blanditur, ut sit sententia generalis. Sed alteram lect. vindicat in primis v. *corde*, quod iunctum cum *videmus* otiosum est: contra, „homines prisci illi mente videbant in artibus aliud ex alio clarescere, i. e. perfectius reddi."

Lib. VI. v. 1—95.

1. *frugiparos* Codd. Lugd. uterque. Habet hanc vocem Avienus Arat. 1053. *frugiferos* Codd. reliqui (C. E.) Edd. omnes ante W. 7. *(Quoius inexstincti* W. coni.) 11. Anteponunt praecedenti L. H. eundemque subditivum iudicant Bentl. et Iacobs. *Et (ec* Ver. Ven.) *pro quo* ex vett. Edd. W. — *Et pro qua* C. E. Vind. Brix. — *Et pro quam*, *Et per quam*, *Et per qua* Alii Codd. — *Et per quae* Av. A. L. H. Eichst. Quum per se admodum languet iste versiculus, tum, ut Iacobsius adnotat, *consistere* transitive pro *constituere*, *efficere* positum caret exemplo apud Lucr. 12. *divitiis* Codd. (E.) Brix. Av. L. H. Eichst. — *divitias* Ver. Ven. W. 13. *extolere* Brix. — *extollere* ex 3. Codd. (etiam C. E.) recepit W. Eichst. Sed *divitiae* neminem extollunt bona natorum fama, iuxta Wakefield. lect. Minus etiam *extollere* convenit lectioni *divitiis*, quum significationem verbi medii habere nequeat: ideo redeundum fuit ad Av. P. L. A. H., qui cum Codd. 3. exhibent: *excellere*. *(excolere* Ver. Ven.)

Nec minus esse domi quoiquam tamen anxia cordi
Atque animi ingratis vitam vexare querelis,
Caussam, quae infestis cogit saevire querelis,
Intellegit ibi: vitium vas efficere ipsum
Omniaque illius vitio corrumpier intus,
Quae collata foris et commoda quomque venirent:
Partim, quod fluxum pertusumque esse videbat,
Ut nulla posset ratione explerier unquam;
Partim, quod tetro quasi conspurcare sapore
Omnia cernebat, quaequomque receperat intus.
Veridicis igitur purgavit pectora dictis
Et finem statuit cupedinis atque timoris;
Exposuitque, bonum summum, quo tendimus omnes,
Quid foret, atque viam monstravit tramite parvo,
Qua possemus ad id recto contendere cursu:
Quidve mali foret in rebus mortalibu' passim,
Quod flueret naturali, varieque volaret,
Seu casu seu vi, quod sic Natura parasset;
Et quibus e portis occurri quoique deceret:
Et genus humanum frustra plerumque probavit
Volvere curarum tristeis in pectore fluctus.
Nam, veluti pueri trepidant atque omnia caecis
In tenebris metuunt, sic nos in luce timemus

14. *cordi* Codd. Edd. vett. ut 5, 1390. — *corda* Av.-H. 15 et 16. Locus etiam nunc ὕπουλος. Ita Av. P. A. (nisi quod *servire*) W. Sed Codd. (C. E.) Edd. vett. *Pausa atque infestis coget* (Brix. *cogit* Ver. Ven.) *saevire* (Codd. Brix. *servire* Ver. Ven. Av.) *querelis*. „Scelestissimi curatores hodierni carminum Lucretianorum (L. H.) ita ex arbitrio suo recoxerunt: *Atque animum infestis cogi servire querelis.*" W. 17. *Intellegit* Codd. aliq. Wak. Forb. — *Intellexit* C. E. Av. Seqq. ante W. Quum dubitari nequeat, quin Salustius forma *intellegi* usus sit (cfr. Edit. meam scholasticam Oratt. et Epp. p. 38.), eandem Lucretio tribui par est. 19. Ita Codd. Edd. vett.; quod quum probabili explicatione defendi possit („quaecunque venirent foris collata" — quo in vocabulo ipsius utilitatis notio inest — „atque etiam commoda") Bentleii tmesin *con laeta* recipere ausus non sum cum W. Eichst. eamque gemellam prorsus iudico illi Lambinianae a Wak. merito explosae 6, 396. *An con brachia suefaciunt.* — Praeiverat Bentleio Faber coni. *con grata*. 25. *cupedinis* denuo restituimus ex Codd. (C. E.) Edd. vett. A. L. H. Wak. — *turpedinis* depromptum est tum ex Cod. M. et Ed. Iuntina habentibus: *torpedinis* (Ald. vero *cupedinis*) tum ex Lactantio 7, 27. ubi plurimi Codd. *torpedinis*, unus *turpidinis*, unus item *cuppedinis* (v. Le Brun. p. 590.) idque satis defenditur Lucret. 1, 1081. 4, 1086. 5, 46. 27. *prono* L. H. — *limite parvo* al. *puro* Lact. l. l. Nostram lect. firmat E. 28. *rectâ* Cod. M. 30. *quod flueret naturali* „i. e. *fluxu* vel *fluore*, nomine, ut fit saepissime, intra verbum comprehenso." W. Adeo ne ille quidem intelligebat, *naturali*, si lectio sana est, iungendum esse cum *casu*. Hoc vero praebent Codd. Edd. vett. nisi quod hae:

Interdum, nihilo quaé sunt metuenda magis, quam
Quae puerei in tenebris pavitant finguntque futura.
Hunc igitur terrorem animi tenebrasque necessest,
Non radiei solis nec lucida tela diei
Discutiant, sed naturae species ratioque:
Quo magis inceptum pergam pertexere dictis.
Et quoniam docui, mundi mortalia templa
Esse et nativo consistere corpore caelum;
Et, quaequomque in eo fiunt fierique necessest,
Pleraque dissolvi; quae restant, percipe porro:
Quandoquidem semel insignem conscendere currum
* Ventorum exartant placent ut omnia rursum
* Quae fuerint, sint placato convorsa favore.
Cetera, quae fieri in terris caeloque tuentur
Mortales, pavidis quom pendent mentibu' saepe,
Efficiunt animos humileis formidine divôm
Depressosque premunt ad terram; propterea quod
Ignorantia caussarum conferre deorum
Cogit ad imperium res et concedere regnum:
Quorum operum caussas nulla ratione videre
Possunt ac fieri divino numine rentur.
Nam bene quei didicere deos securum agere aevom,
Si tamen interea mirantur, qua ratione

fuerit, ut etiam C. E. — *flueret naturali viro atque veniret* Av. P. A. — *flueret naturae vi varieque volaret* Lamb. — *flueret Fortunaï varieque volaret* Preiger. praeeunte Vossio. Hav. — *flueret naturali ratione, volaret* Bentl. 33. *At* Hav. coni. Nam talia audebat. 45. Ita Codd. Edd. vett. Av. P. A. Lamb. 1564. Gif. Alt. *fientque, necesse Esse ea dissolvi* Lamb. 2. H. 48. H. I. omnia tam misere luxata sunt, ut satius duxerim versus sine melioribus libris nunquam sanandos exhibere prout leguntur in Cd. C. E. — Vind. *exircant.* Ver. Ven. *exucant.* — *Ventorum exhortantur spes atque obvia rursum* Av. P. Gif. Ita et Iunta, sed *votorum* substituit loco *ventorum. Vincendi exhortata'st spes, atque obvia rursum* Lamb. 1564. In Ed. autem posteriore de Aurati coni.: — *atque obvia cursu.* — *Vincendi spes hortata est atque obvia cursu* Hav., in quibus iam nec volam nec vestigium Codd. superesse vides. — *Ventorum exhortat pellacia et omnia rursum* Voss. — *Ventorum excierat pacator* (i. e. si Diis placet, Epicurus:) *et omnia rursum.* Wak. (Eichst.) coniectura prorsus improbabili. 49. *fuerint* Codd. plerique (C. E.) Edd. vett. — *fuerunt* Vind. A. L. H. — *furerent* W. coni. Eichst. Ib. *sint* Codd. Edd. vett. A. Eichst. — *sunt* L. H. W. Ib. *favore* Codd. Edd. vett. A. Lamb. 1. W. — *furore* Auratus coni. L. 2. H. Eichst. Forbig. de sua coni. ita constituit locum: *Vectorem exhortant plaudendo, ut obvia cursu Quae fuerint, sint placato convorsa favore.* 52. *Efficiunt* Pii Codd. A. L. H. Eichst. — *Et faciunt* Codd. Edd. vett. W. In hac lect. respondent sibi *Et - - que;* ratione tamen haud nimis apta. 55. *regnum, et* L. H. 56 et 57. „Apage ταυτολογίαν. Inepte huc inserti sunt ex v. 89." Bentl. (?)

Quaeque geri possint, praesertim rebus in ollis,
Quae supra caput aetheriis cernuntur in oris,
Rursus in antiquas referuntur religiones
Et dominos acreis asciscunt, omnia posse
Quos miserei credunt; ignarei quid queat esse,
Quid nequeat; finita potestas denique quoique
Quanam sit ratione atque alte terminus haerens:
Quo magis errantes caeca ratione feruntur.
Quae nisi respuis ex animo longeque remittis,
Dîs indigna putare alienaque pacis eorum;
Delibata deûm per te tibi numina sancta
Saepe oberunt; non, quo violari summa deûm vis
Possit, ut ex ira poenas petere imbibat acreis;
Sed quia tute tibi placida cum pace quietos
Constitues magnos irarum volvere fluctus;
Nec delubra deûm placido cum pectore adibis,
Nec, de corpore quae sancto simulacra feruntur
In menteis hominum divinae nuntia formae,
Suscipere haec animi tranquilla pace valebis.
Inde videre licet, qualis iam vita sequatur;
Quam quidem ut a nobis ratio verissuma longe
Reiiciat, quamquam sunt a me multa profecta,
Multa tamen restant et sunt ornanda politis

64. *miseris* Codd. 3. (etiam C.) Brix. Ver. Ven. W. contra Cd. E. 67. Ita Codd. plerique (etiam C. E.) Edd. vett. Av. — *tota ratione* A. L. 1. Gif. — *tota regione* L. 2. H. — *tota a ratione* ut 5, 23. Bentl. 69. *putando* L. H. 70. *delibrata* L. 71. *oberunt* W. coni. — *oderunt* Codd. (C. E.) Edd. vett. — *aderunt* Av. H. „*oberunt* i. e. ob os tibi erunt et quasi minitantia vultus saevos a caeli regionibus ostendent." Wak. Ceterum *delibata* non significat, ut putavit Knebelius *(geschmälert)* „imminuta, violata", sed proprium significatum hîc quoque retinet, „hausta, decerpta." 73. *quietos* A. L. H. — *quietus* Codd. Edd. vett. Av. W. Eichst., sed cfr. 5, 169. 76. *feruntur* non est haec, ut W. opinabatur, Pii i. e. Avancii emendatio, sed lectio Ed. Brix. (Av.-H.) quam restituimus. — Ver. Ven.: *ferunt*, ex scripturae compendio, quod quum metro repugnare viderent, perverterunt in *fuerunt* C. E. Vind. W. Eichst. Sed *feruntur* satis defenditur et Lucretii more (4, 177, 240, 328 cet.) et subiuncto *in menteis*, in quo, altera lectione recepta, misere sese torquet W. 81. *profecta* cum Cdd. (etiam C. E.) W. — *profuta* de Aurati coni. L. Hav. 83. Ita cum aliis Cdd. etiam meus C. Sed Edd. vett. Av. L. H. *ratio caeli speciesque tenenda*. Unde haec diversitas venerit, patet e Cd. E., qui mance: *ratio caelique tenenda*. Huiusmodi defectum suppleverunt intruso v. *species*, quibus aditus ad integriores libros eos, qui *superûm* servarunt, non patebat. — *supera* autem h. l. res superae, caelestes: ut Cic. N. D. 2, 6. *omnia supera esse meliora*. 85. *quaeque* L. H. 87. *(provenerit* W. coni.) 92. *calcis* Egregiam hanc Turnebi coni. cum L. H. recepimus. Codd. cuncti, etiam C. E.

Versibus et ratio superûm caelique tenenda;
Sunt tempestates et fulmina clara canenda,
Quid faciant et qua de caussa quomque ferantur;
Ne trepides caeli divisis partibus amens,
Unde volans ignis pervenerit aut in utram se
Vorterit hinc partem; quo pacto per loca saepta
Insinuarit et hinc dominatus ut extulerit se.
Quorum operum caussas nulla ratione videre
Possunt ac fieri divino numine rentur.
Tu mihi supremae praescripta ad candida calcis
Currenti spatium praemonstra, callida Musa,
Calliope, requies hominum divômque voluptas,
Te duce ut insigni capiam cum laude coronam.

Lib. VI. v. 1137—1285.

Haec ratio quondam morborum et mortifer aestus
Finibu' Cecropiis funestos reddidit agros
Vastavitque vias, exhausit civibus urbem.
Nam penitus, veniens Aegypti finibus, ortus,
'Aëra permensus multum camposque natanteis,
Incubuit tandem populo Pandionis; omnes
Inde catervatim morbo mortique dabantur.
Principio, caput incensum fervore gerebant

et Vind. ut suspicari licet, etsi Alterus haud monito lectore *calcis* edidit, itemque Edd. vett. habent *callis.* At merito dubitare licet, an unquam de curriculo usurpatum fuerit istud vocabulum, de cuius genere ambigunt adhuc Grammatici. *Callis* praetulerunt W. Forb. 95. *insignem* L. H.

Lib. VI. v. 1137 — 1285.

(In hac pestis Atheniensis descriptione praeter Cdd. C. et E. collatus est etiam alter Ambrosianus P. 19. Part. super. Signavi Z.)

1137. Cfr. Thucyd. 2, 47-54. Virg. Ge. 3, 470-566. Ovid. Met. 7, 523-613. Lucan. 6, 80-105. Sil. Ital. 14, 580-617. Senecae Oedip. 29. sqq. Ib. *mortiferae* Edd. vett. — *mortiferae, mortifere, mortiferorum* omisso *aestus* Codd. unde W. de coni. edidit *mortiferae vis.* (ex v. 1127.) *mortifer aër* Cod. 1. (et Z. a pr. m.) Voss. H., sed *mortifer aestus* Av. A. L. Eichst. confirmatur a Macrobio Sat. 6, 2. et Claudiani imitatione de Raptu Pros. 3, 237. *seu mortifer aestus seu mors ipsa fuit.* 1138. *Finibus in Cecropis* Macrob. Codd. 4. (etiam C. Z.) Av. P. — *finibus in Cecropiis* Codd. 2. (et E.) Edd. vett. Sed *Finibu' Cecropiis* L. H. Eichst. ex legitima apud Latinos syllabarum quantitate. 1140. *e finibus* L. H. sicque Cod. C. 1142. *populo Pandionis; omnes* L. H, sed etiam Z. et Brix.; propter quam auctoritat. hanc lectionem praetulimus: idem fecit Nobbe. — Codd. 5. (et E.): — *omnem (oranem* Ver. Ven.) Hinc docta coni. W.: *populum P. omnem*, quam constructionem v. *incumbere*, Statio et Avieno haud neglectam, confirmat locis Plauti Cas. 2, 4, 29. Lucilii ap. Non. 9, 19. — *populo P. omni*

Et dupliceis oculos suffusa luce rubenteis.
Sudabant etiam fauces intrinsecus atrae
Sanguine et ulceribus vocis via saepta coibat;
Atque, animi interpres, manabat lingua cruore,
Debilitata malis, motu gravis, aspera tactu.
Inde, ubi per fauceis pectus complerat et ipsum
Morbida vis in cor maestum confluxerat aegris,
Omnia tum vero vitaï claustra lababant.
Spiritus ore foras tetrum volvebat odorem,
Rancida quo perolent proiecta cadavera ritu.
Atque animi prorsum vires totius et omne
Languebat corpus leti iam limine in ipso:
Intolerabilibusque malis erat anxius angor
Assidue comes et gemitu commixta querela:
Singultusque frequens noctem per saepe diemque
Corripere assidue nervos et membra coactans,
Dissolvebat eos, defessos ante fatigans.
Nec nimio quoiquam posses ardore tueri
Corporis in summo summam fervescere partem;
Sed potius tepidum manibus proponere tactum
Et simul ulceribus quasi inustis omne rubere
Corpus, ut est, per membra sacer quom diditur ignis.
Intima pars hominum vero flagrabat ad ossa;
Flagrabat stomacho flamma ut fornacibus intus:
Nil adeo posses quoiquam leve tenveque membris

Av. P. Haud male Forb. suspicatus est: *Incubuit tandem populo P. omnis: Inde* cet. Cd. C. *populo P. omen.* 1146. Ita Codd. (etiam C. E. Z.) Brix. — *acre* Ver. Ven. — *atro* Av.-H. 1159. *per saepe* W. coni. ut 1263. *viam per; persaepe* Codd. Edd. 1167. *Intera* Bentl. Ib. *hominum* Codd. aliq. (etiam C. E.) cfr. v. 1144, 1151, 1161. Plerique tamen Codd. (Z.) et Edd. omnes: *homini.* Ib. *flagrabat ad ossa*] Sic etiam C. E. Z. — *fl adesa* Av. P. Meister. 1168. Spurium censent L. Fab. 1169. Ita Codd. C. E. Brix. Av. A. —*possis* Ver. Ven. — *posset* L. H. Nobbe. — *positis* Z. Iunta. 1173. *nymphis* Codd. aliq. Edd. vett. W. Eichst. Nob. — *lymphis* Codd. C. Z. et E. (hic a sec. m.) Av.-H. Recte, opinor: nam mirus ille orationis splendor huic l. minime convenire videtur; et v. *nymphae* librariis altero quidem erat notior; de utriusque discrimine v. Hand. ad Gronov. Diatr. 1. p. 179. 1177. *defessu* Macrob. Codd. Edd. omnes, etiam W. Unus Eich. *defecta;* sed in talibus standum est a Cdd., ut in hac ipsa varietate iudicavit Oudendorp. ad Appul. VI. p. 383. 1179. Sic prorsus C., item Z. (nisi quod *patentia cum totius.*) Wak. — *Quippe patentia quum totus ardentia nocteis* Vulgo. 1187. *contacta* C. E. Z. W. Brix. Macrob. apud quem in ed. Ald. 1528. recte legitur *contacta colore*, non *c. cruore* ut in ed. Gronovii. 1694. — (*contracta* Ver. Ven. Av.) — *contincta* Creech. H. ut 2, 743. ubi W. *coniuncta colore.* 1188. *raucas* Z. E. a sec. m. Av. Av.-H. Eichst. Forb., qui recte defendit. — *rauca* Cdd. aliq. C. E. a pr.

Vortere in utilitatem: ad ventum et frigora semper,
In fluvios partim gelidos ardentia morbo
Membra dabant, nudum iacientes corpus in undas.
Multei praecipites lymphis putealibus alte
Inciderunt, ipso venientes ore patente:
Insedabiliter sitis arida, corpora mersans,
Aequabat multum parvis humoribus imbrem.
Nec requies erat ulla mali: defessa iacebant
Corpora; mussabat tacito Medicina timore;
Quippe patentia quom totiens, ardentia morbis,
Lumina vorsarent oculorum expertia somno:
Multaque praeterea mortis tum signa dabantur,
Perturbata animi mens in maerore metuque,
Triste supercilium, furiosus voltus et acer;
Sollicitae porro plenaeque sonoribus aures;
Creber spiritus aut ingens raroque coortus;
Sudorisque madens per collum splendidus humos;
Tenvia sputa, minuta, croci contacta colore
Salsaque, per fauceis raucas vix edita tusse;
In manibus vero nervei trahere et tremere artus,
A pedibusque minutatim succedere frigus
Non dubitabat; item ad supremum denique tempus
Compressae nares; nasi primoris acumen
Tenve, cavatei oculei, cava tempora, frigida pellis
Duraque; in ore iacens rictum, frons tenta minebat.

manu. Edd. vett. W. Nobbe. Ib. *tusse* Codd. etiam mei. Ver. Ven. — *tussi* A. L. — *tussis* Brix. H. 1189. Ita Codd. Edd. vett. Av. A. — *trahier nervi et tr.* Lamb. qui, licet etiam, inquit. sic legere *nervi trahier*, *tremere;* idque receptum est v. c. ab Hav. 1190. *De pedibus* C. 1194. Mire variant libri: Nonius, 2, 868. *Duraque in ore iacens rictu frons tenta manebat.* Vind. 1. *inhorret iacet rictum frons tenta meabat;* sic et Brix. nisi quod *tecta.* Alii aliter: *inhorrebat facies; frons tecta meabat* Av. — *in ore iacens rectum frons tecta meabat* A. — *inhorrebat rictum: frons tenta minebat* L. — *in ore patens rictum, frons tenta meabat* H. — *inhorrebat tactum* (de coni.) *frons tenta meabat* W. Nobbe. — *intorrebat rictum; frons tenta meabat* Eichst. Accedunt Cd. E.: *Duraque inhorret iacet rectae frons tenta meabat.* A sec. manu: *Duraque in ora iacet* cet. Cdd. C. et Z.: *Duraque in ore iacet rectum frons tenta meabat.* Z. autem sec. manu: *Duraque in ore iacens rictu* cet. Vides, de quo antea minus constabat, *tenta* firmari a libris Mss.; *tecta* plerique. Recepi nunc Forbig. lect.: „*rictum*, hiatus oris, ob aestum internum aperti et distorti, premendo quasi *in ore* seu vultu iacere dicitur." Ib. *minebat* Lambini praetulerunt Meister et Forb. „Nimirum, inquit hic, quia tempora cava erant, frons eminebat." — *meabat* explicant „abibat, *schwand dahin*, *verlor sich*": significatu vix exemplis comprobando. (Lib. 6, 563. *In clinata minent* per tmesin.)

Nec nimio rigida post artus morte iacebant;
Octavoque fere candenti lumine solis
Aut etiam nona reddebant lampade vitam.
Quorum si quis, ut est, vitarat funera leti
Ulceribus tetris et nigra proluvie alvi,
Posterius tamen hunc tabes letumque manebat.
Aut etiam multus capitis cum saepe dolore
Corruptus sanguis expletis naribus ibat;
Huc hominis totae vires corpusque fluebat.
Profluvium porro qui tetri sanguinis acre
Exierat, tamen in nervos huic morbus et artus
Ibat et in parteis genitaleis corporis ipsas.
Et graviter partim metuentes limina leti
Vivebant, ferro privatei parte virili;
Et manibus sine nonnullei pedibusque manebant
In vita tamen et perdebant lumina partim;
Usque adeo mortis metus his incusserat acer:
Atque etiam quosdam cepere oblivia rerum
Cunctarum, neque se possent cognoscere ut ipsei.
Multaque humi quom inhumata iacerent corpora supra
Corporibus, tamen alituum genus atque ferarum
Aut procul absiliebat, ut acrem exiret odorem;
Aut, ubi gustarat, languebat morte propinqua.
Nec tamen omnino temere ollis solibus ulla
Comparebat avis nec tristia secla ferarum
Exibant silvis: languebant pleraque morbo

1195. Ita Codd. plerique. (C. E. Z.) Edd. vett. — *prostrati* alii Codd. A. unde *post strati* L. H. Nobbe. 1199. *Ulceribus* L. coni. H. — *Visceribus* Cdd. W. F. Sed illo Lucr. expressit manifesto Thucyd. C. 49. *ἑλκώσεως ἰσχυρᾶς αὐτῇ (τῇ κοιλίᾳ) γενομένης*· id quod *visceribus tetris* significare nequit. — (*nigri - - alvi* W. coni. *alvus* apud antiquos gen. masc. usurpabatur teste Prisc. 5. p. 654. P.) 1201. *multo* Bentl. 1202. Ita Codd. Edd. vett. Av. A. — *plenis ex* L. H. Nob. 1203. *hac vires, et vita fluebat* Bentl. 1211. *incesserat* L. non male, etsi contra Cdd. *Incusserat* explicant „se incusserat", ut praesertim *insinuare* etiam apud Cic. reperitur pro *se insinuare.* 1214. *saepta* Heins. 1219. *tristia* nititur auctoritate Macrobii et Ed. Brix. Av. A. — Cdd. aliq. *ortia*, *nectia*, *noctia.* Languet Rutgersii coni. a W. et Forb. recepta: *noxia.* — *noctibu'* L. H. Eichst. Nob. propter nimiam facilitatem caret probabilitate; neque placet antithesis ista: *solibus*, *noctibus*, quam, si sincera esset, librariorum vix ullus mutaturus fuisset. [Cd. C. habet: *avis nec fortia secla.* Cd. E.: *avis nectia secla;* in margine: „*nec tristia*, puto." Cd. Z. *nec etiam secla;* voc. *etiam* a sec. manu superscr. *noctis;* hoc deletum et a tertia m. superscr. *tristia.* Macrobii auctoritas sane rem conficit.] 1222. *aegre* Hav. W. Firmat E. — *aegram* Cd. Z. L. Nobbe. 1226. *ali* C. Z. Alii Cdd. A. — *alii* E. Edd. vett.

Et moriebantur: cum primis fida canum vis
Strata viis animam ponebat in omnibus aegre:
Extorquebat enim vitam vis morbida membris.
  Incomitata rapi certabant funera vasta.
Nec ratio remedi communis certa dabatur:
Nam quod alî dederat vitaleis aëris auras
Volvere in ore licere et caeli templa tueri,
Hoc aliis erat exitio letumque parabat.
  Illud in his rebus miserandum et magno opere unum
Aerumnabile erat, quod, ubi se quisque videbat
Implicitum morbo, morti damnatus ut esset,
Deficiens animo, maesto cum corde iacebat
Funera respectans, animam et mittebat ibidem.
  Quippe etenim nullo cessabant tempore apisci
Ex aliis alios avidi contagia morbi,
Lanigeras tamquam pecudes et bucera secla.
Idque vel in primis cumulabat funere funus.
Nam queiquomque suos fugitabant visere ad aegros,
Vitaï nimium cupidos mortisque timenteis
Poenibat paullo post turpi morte malaque
Desertos, opis experteis Incuria mactans.
Quei fuerant autem praesto, contagibus ibant
Atque labore, pudor quem tum cogebat obire
Blandaque lassorum vox, mixta voce querelae.
Optumus hoc leti genus ergo quisque subibat.
  Inque aliis alium populum sepelire suorum

W. — *aliis* L. H. „quod orationis concinnitas valde commendat." (?) Nobbe. 1228. (*paribat.* W. coni.) 1229. *et* eliminavit W. auctoritate Codd. 2. Edd. vett. 1232. *quom* W. coni. 1233. *animam et mittebat ibidem*] Sic Cd. Z. A. L. H. Eichst. Forb. „in ipso illo loco, ubi sese prostraverat, vitam edebat." — *animam mittebat idem* (om. *et*) Cd. E. In marg. *ibidem.* — *animam mittebat et idem* Brix., quod aliquando mihi placuerat. — *animam immittebat ibidem* e C2d. Wak. — *animam emittebat ibidem* Cd. C.; quod sane praestat lectioni Wak. Aegre tamen copula caremus. 1236. Quum per totum h. l. versuum ordo admodum turbatus sit in Codd. et Edd. vett., nulla mihi religio fuit Hav. et Eichst. desertis Bentleium ac Wak. duces sequi provocantes ad Thucyd. 2, 51. *Καὶ ὅτι, ἕτερος ἀφ' ἑτέρου θεραπείας ἀναπιμπλάμενοι, ὥσπερ τὰ πρόβατα ἔθνησκον, καὶ τὸν πλεῖστον φθόρον τοῦτο ἐνεποίει.* Eandem rationem secutus est Forb., quem consule. 1239. Ita Codd. Edd. vett. A. *cupidi* L. H. 1240. *Poenibat* Turneb. coni. L. H. W. — *Poenibus* s. *Penibus et* Codd. Ver. Ven. — *Venibus et* Brix. 1242. „*ibant* i. e. abibant, interibant." Forb. Sic etiamnunc Itali usurpant suum v. *andare.* 1246. Construe cum Creechio et Knebelio: „Alium populum (i. e. multitudinem) suorum post alium inter alios iam humatos sepelire certantes cet. Alii distinguunt: *Inque*

Certantes lacrumis lassei luctuque redibant.
Inde bonam partem in lectum macrore dabantur:
Nec poterat quisquam reperiri, quem neque morbus
Nec mors nec luctus tentaret tempore tali.
  Praeterea iam pastor et armentarius omnis
Et robustus item curvi moderator aratri
Languebat, penitusque casa contrusa iacebant
Corpora paupertate et morbo dedita morti.
Exanimis pueris super exanimata parentum
Corpora nonnunquam posses retroque videre
Matribus et patribus natos super edere vitam.
  Nec minumam partem ex agris maeros is in urbem
Confluxit, languens quem contulit agricolarum
Copia, conveniens ex omni morbida parte.
Omnia condebant loca tectaque: quo magis aestu
Confertos ita acervatim Mors accumulabat.
  Multa siti prostrata viam per proque voluta
Corpora silanos ad aquarum strata iacebant,
Interclusa anima nimia ab dulcedine aquarum:
Multaque per populi passim loca prompta viasque

aliis alium, populum sepelire suorum Certantes, ut sit appositio: „Certatim satagentes multitudinem suorum, alterum post alterum, sepeliendo": (Pius.) Sed violenter nimis *alium* distrahitur a v. *populum*. 1253. *languebant* A. L. H. Ib. *casu* Codd. Edd. vett. Av. A. — *casis* L. H. 1254. Ita Codd. Brix. A. *tradita* Ver. Ven. Av. P. 1258. *maeroris* Codd. (C. E. Z.) Edd. vett. Av. A. hinc W. coni.: *maeros is* (Forb. scripsit *maeror is.*) Codd. aliquot, teste Lamb.: — *aegroris* (ita Vind. 2. si fides Altero;) unde: *minumam partim* - - *aegroris* L. — *minimam partem* (ut habent Codd.) *aegror is* de Bosii coni. Fab. Bentl. Hav. 1261. Ita Codd. Edd. vett. *complebant* L. H. 1262. Secutus sum nunc Forbigerum, quum Cdd. omnes etiam mei servent *ita*. — *aestu* firmat Z. Forbig. sic explicat: „eoque magis etiam in unum locum congregatos et conglobatos mors aestu inde exorto, utpote contagionem latius et facilius propagante, per acervos mactaret." Olim secutus eram Eichstaedtii lect.: — *quo magis aestu Confertos situ acervatim M. a.*, concinnatam fortasse e Livio 3, 6.: *Ea conluvio mixtorum omnis generis animantium et odore insolito urbanos et agrestem confertum in arta tecta aestu ac vigiliis angebat.* Sed *situ* non nititur nisi errore typogr. Edd. Ver. et Ven. et molestissimus est duplex iste ablativus *aestu* - - *situ*. — *infertos ita* Av. P. — *conferto situ* Ver. Ven. — *tectaque quo mage eos tum Confertos ita acervatim* L. — *tectaque quo magis aestu confectos ita* Rutgers. Hav. — *quod* (hoc nescio unde sumpserit W.; at quum in adnotatt. habeat *quo*, typothetarum error videtur:) *magis aestûs* (i. e. „hominum aestuantium") *conferto situ* Wak. Nobbe. 1264. De *silanis* cfr. Visconti Museo Pio-Clem. 1, pag. 217. 259. Ed. Mediol. Ib. *structa* de coni. W. desertus ab Eichst. 1267. *cum* Codd. aliq. Brix. — *tum* Ver. Ven.-H. 1270. *ulceribus* L.-H. Hoc rursus necessarium, ut vidit etiam Meisterus, pro Cdd. W. *visceribus*. 1271. *replebat* Cod. Σ. quod male intellecta Wak. adnotat. recepit Nobbe. 1276. Ita distinguunt Cd. meus C. Gif. H. Eichst. (Alii;

Languida semianimo cum corpore membra videres,
Horrida paedore et pannis cooperta perire
Corporis illuvie: pellis super ossibus una,
Ulceribus tetris prope iam sordique sepulta.
  Omnia denique sancta deûm delubra replerat
Corporibus Mors exanimis onerataque passim
Cuncta cadaveribus caelestum templa manebant,
Hospitibus loca quae complerant aedituentes.
Nec iam religio divôm neque numina magni
Pendebantur: enim praesens dolor exsuperabat.
  Nec mos ille sepulturae remanebat in urbe,
Ut pius hic populus semper consuerat humari:
Perturbatus enim totus repedabat et unus
Quisque suum pro re consortem maestus humabat.
  Multaque res subita et paupertas horrida suasit:
Namque suos consanguineos aliena rogorum
Insuper exstructa ingenti clamore locabant
Subdebantque faceis; multo cum sanguine saepe
Rixantes potius, quam corpora desererentur.

pendebantur enim; praesens) enim initio sermonis ponitur etiam ap. Plaut. Mil. 2, 5, 19. et aliquoties ap. Appuleium v. Oudend. ad 4, 69. p. 255. **1278.** *Ut* E. Z. P. A. L. H. — *Et* C. Ib. *huc* Cdd. aliq. Edd. vett. — *Quo* e correctione Cdd. aliq. W. Forb. Ib. *pius* Z. Alii Cdd. Edd. vett. A. P. W. Cfr. Pausan. *Attic.* 24, 3. λέλεκται δέ μοι καὶ πρότερον, ὡς Ἀθηναίοις περισσότερόν τι ἢ τοῖς ἄλλοις ἐς τὰ θεῖά ἐστι σπουδῆς. — *prius* C. E. Alii Cdd. L. Hav. 1279. Ita Cdd. plerique, etiam C. E. Z. „pedem prae terrore retrahebat": nam „anxie discursitare", ut volebat Wak., significare vix potest. Simplicius sane esset *trepidabat*, quod Mss. tribuit recepitque Lamb.-Hav. Nobbe. Forb. nescio quam vere idem tribuit Lugd. sec. et Vind. Sed ex editorum silentio id nolim colligere. 1281. *multaque res subita et p.*] Sic cum aliis Cdd. meus C. ex interiore Latinitate. Vulgo: *multaque vis subita et p.;* sed quum *vis* absit a Cdd. aliq. Edd. vett., videtur esse ex arbitrario suppl. pro longe rectiore nostro. Quum *et* exciderit e Cdd. Lugd., Wak. de coni. dedit *vi subita paupertas*, quod rectam constructionem haud admittit. Cic. ad Famil. 10, 16, 2. *in rebus tam subitis tamque angustis.*

Cum Lucretiano genere dicendi ac versuum componendorum ratione adolescentes conferant hunc Caesaris Germanici locum Arat. Phaenom. v. 103 seqq.

Aurea pacati regeres quom secula mundi,
Iustitia inviolata malis, placidissima virgo,
Sive illa Astraei genus es, quem fama parentem
Tradidit astrorum, seu vera intercidit aevo
Ortus fama tui, mediis te laeta ferebas
Sublimis populis, nec dedignata subire

Tecta hominum et puros sine crimine, diva, penatis,
Iura dabas cultuque novo rude volgus in omnis
Formabas vitae sinceros artibus usus.
Nondum vesanos rabies nudaverat ensis
Nec cońsanguineis fuerat discordia nota,
Ignotique maris cursus, proavitaque tellus
Grata satis; neque per dubios avidissima ventos
Spes procul amotas fabricata nave petebat
Divitias; fructusque dabat placata colono
Sponte sua tellus; nec parvi terminus agri
Praestabat dominis signo iustissima rura.
At postquam argenti crevit deformior aetas,
Rarius invisit maculatas fraudibus urbis,
Seraque ab excelsis descendens montibus ore
Velato tristique genas abscondita rica
Nulliusque larem nullosque adit illa penatis.
Tantum, quom trepidum volgus coetusque notavit,
Increpat: O patrum suboles oblita priorum,
Degeneres semper semperque habitura minores,
Quid me, cuius abit usus, per vota vocatis?
Quaerenda est sedes nobis nova: secula vestra
Artibus indomitis tradam scelerique cruento.
Haec effata super montis abit alite cursu,
Attonitos linquens populos graviora paventis.
Aerea sed postquam proles terris data nec iam
Semina virtutis vitiis demersa resistunt,
Ferrique invento mens est laetata metallo,
Polluit et taurus mensas assuetus aratro:
Deseruit propere terras iustissima virgo
Et caeli est sortita locum, qua proximus illi
Tardus in occasum sequitur sua plaustra Bootes.

C. VALERII CATULLI

EPITHALAMIUM PELEI ET THETIDOS.

Peliaco quondam prognatae vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas
Phasidos ad fluctus et finis Aeetaeos:
Quom lecti iuvenes, Argivae robora pubis,
Auratam optantes Colchis avertere pellem
Ausi sunt vada salsa cita decurrere puppi,
Caerula verrentes abiegnis aequora palmis:
Diva quibus, retinens in summis urbibus arcis,
Ipsa levi fecit volitantem flamine currum,
Pinea coniungens inflexae texta carinae.
Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.
Quae simul ac rostro ventosum proscidit aequor
Tortaque remigio spumis incanuit unda,

(In repetita hac Ed. consului, quas unice nunc licebat, Silligii [cuius tamen Epistola critica carui] et Lachmanni curas, utramque sane in suo genere praestantem, et ex quibus nonnulla emendare potui, sed ita tamen comparatas, ut crisis difficillima huius poëtae nondum sit absoluta. Longe enim pluribus e Codicibus, quam quos Lachmannus consuluit, eâ viâ ac ratione, quam Santenius ingressus erat, magis tamen devitato fallaci coniecturarum adminiculo, ad unius illius ἀρχετύπου, e quo ducti sunt omnes Codices nunc noti, formam perveniendum erit, nec confieri res hîc potest mutis notis sive *siglis*, quas dicunt, ut Theotiscis in poëmatis; clare loquendum est. Quod quidem cur dedignemur nos φιλόλογοι, minime video.)

EPITHALAMIUM PELEI ET THETIDOS.

1. „Ad *Pelion*, Thessaliae montem, aedificata est Argo." Mur. 3. i. e. Colchidem, ubi regnabat Aeetes. 4. *laeti* Codd. Ed. pr. Ib. *puppis* Codd. aliq. 8. Minerva, πολιοῦχος, ἐρυσίπτολις. 11. *prorá* Voss. e Cod. 13. *tortaque* Statii emend., quae confirmatur Silii imitatione 7, 412. *Ac tortus multo spumabat remige pontus, quom trepidae fremitu vitreis e sedibus antri Aequoreae pelago simul emersere sorores.* — *totaque* Mss. Aldd. Ging. Ib. *incanduit* Mss. Stat. Doer. Ging. — *incandescere* tamen usurpatur potius de flammis atque aestu. — *Aequora cana* dixit Ennius p. 132. Hess.

Emersere feri candenti e gurgite vultûs
Aequoreae monstrum Nereides admirantes:
Illaque haudque alia viderunt luce marinas
Mortales oculi nudato corpore Nymphas
Nutricum tenus exstantis e gurgite cano.
Tum Thetidis Peleus incênsus fertur amore,
Tum Thetis humanos non despexit hymenaeos,
Tum Thetidi pater ipse iugandum Pelea sensit.
O nimis optato seclorum tempore nati
Heroës, salvete, deûm genus, o bona matrum
Progenies, salvete iterum . . . .
Vos ego saepe meo vos carmine compellabo.
Teque adeo, eximie taedis felicibus aucte,
Thessaliae columen Peleu, quoi Iuppiter ipse,
Ipse suos divôm genitor concessit amores,
Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine?
Tene suam Tethys concessit ducere neptem
Oceanusque, mari totum qui amplectitur orbem?
Quae simul optatae finito tempore luces
Advenere, domum conventu tota frequentat
Thessalia, oppletur laetanti regia coetu.

14. Quum *feri vultus* neque per appositionem, neque casu secundo ad Nereides satis apte trahi possit, quippe quae *placidae* potius sint Claudiano Gigant. 120. καλυκώπιδες, χαροπαίγμονες Orpheo H. 24, 1., praestat cum Vossio et Huschk. Ep. crit. p. 98. iungere: *monstrum feri vultûs.* Astius de Mitsch. et Heynii coniectura *et* inseruit post *Aequoreae.* (Censor Lips. appositionem agnoscit: *Nereides*, *feri vultus*, *δεινοί*, *schreckend*, *als nie zuvor gesehen.* Nondum hoc mihi persuasit, propter rationes allatas. Weberus denique vv. *feri vultus* [nominat.] accipit de Tritonibus, Hippocampis cet. Sq. versum per ἀσύνδετον exponit.) 16. Vossii coni. — *illaque atque alia* Mss. Aldd. — *si qua alia* Lachm. susp. 18. Ita Codd. Ald. 1., sed *umblicum* Codd. aliquot Vatic. quod praeter Realinum defendit Fea ad Horat. T. 2. p. 171. Rom. *Iam crurum* Ald. 2. Cod. Scal. Cfr. Ovid. Met. 5, 413. 21. *pater*, Nereus; alii Iovem intelligunt, sed cfr. v. 27. Ib. *sanxit* Mss. aliq. ex Pontani interpol. Mur. Voss. 23. Sic edendum videbatur cum antiquo Virgilii interprete ad Aen. 5, 80. Ed. Maii p. 43. qui sic habet: *salvete deûm gens o bona matrum Progenies salvete iterum;* unde Oriolius fecit: *Heroës salvete*, *Deûm genus*, *o bona matrum Progenies salvete iterum*, *salvete Deûm gens*, *Vos ego* cet. Non placet *deûm gens. Matrum* explica *heroïnarum.* Vulgo: *o bona mater: Vos ego* cet., quam *matrem* Muretus Argo, Vulpius Thessaliam, Mitscherlichius Thetidem interpretatur. Ceterum cfr. Philodem. de Musica L. 4. col. 5. p. 37. ed. Murr. ἐν τοῖς ὑμεναίοις καὶ βραχεῖά τις ἀπαρχὴ τοῦ γένους ἐγίνετο. 26. *eximiae* Aldd. 27. *Aemathiae* Stat. Ging. eleganti interpolatione. 28. Cfr. Pind. Isthm. 8, 60. 29. Sic *Nerine Galatea* Virg. Ecl. 7, 37. 31. Il. ξ, 201. Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν. Ib. *Oceanusque pater* Mss. aliq. Aldd. 33. *Ut venere* Codd. Vossii.

Dona ferunt prae se; declarant gaudia voltu.
Deseritur Scyros, linquunt Phthiotica Tempe
Cranonisque domos ac moenia Larissaea:
Pharsaliam coeunt, Pharsalia tecta frequentant.
Rura colit nemo, mollescunt colla iuvencis:
Non humilis curvis purgatur vinea rastris:
Non glebam prono convellit vomere taurus:
Non falx attenuat frondatorum arboris umbram:
Squalida desertis robigo infertur aratris.
Ipsius at sedes, quacunque opulenta recessit
Regia, fulgenti splendent auro atque argento:
Candet ebur soliis, collucent pocula mensae:
T o a domus gaudet regali splendida gaza.
Pulvinar vero divae geniale locatur
Sedibus in mediis, Indo quod dente politum
Tincta tegit roseo conchyli purpura fuco.
Haec vestis priscis hominum variata figuris
Heroum mira virtutes indicat arte.
Namque fluentisono prospectans litore Diae
Thesea cedentem celeri cum classe tuetur.
Indomitos in corde gerens Ariadna furores,

Vulp. Praefert Bach. ad Tib. p. 289. Ego quidem interpolationem censeo. cfr. Oudend. ad Appul. 2. p. 98. 35. Mureti distinctionem secutus sum cum Astio (item Sill. Lachm.) Plerique cum Aldd. *ferunt; prae se declarant.* 36. „Fortasse *Phthiotida.*" Lachm. *Scyron* etsi longe a Thessalia remotam, a Dolopibus tamen, Thessalorum gente, possessam testantur Thucyd. 1, 98. Diod. Sic. 11, 60. — *Tempe* proprie in Pelasgide, sed iuxta Phthiotidem sita erant. 37. *Cranonisque* Victorii coni. — *Gravinonisque* Mss. — *Graiugenasque* Ed. pr. Lips. Aldd. — *Graiugenûmque* Scal. — *Cranon* autem Thessaliae oppidum prope Larissam. Ib. *ac moenia Larissaea* Aldd. Guar. — *ac nicenis alacrisea* Mss. Unde Sill. suspicatus est *arci simul Acrisieae*, i. e. Larissae ab Acrisio conditae. 38. *Pharsaliam* potius trisyllabum quam antepenultima brevi, ut Calpurn. 4, 101. Exempla variatae in eodem versu quantitatis collegit Wak. ad Lucr. 4, 1252. *Crassaque conveniunt liquidis, et liquida crassis.* Nimis facilis est Pontani emend. *Pharsalum* Ging. Lachm. — *Pharsalon* Scal. 46. *mensae* Aldd. Voss. Ging. quae lectio stabilitur Aen. 11, 738. — *plenae pocula mensae. mensis* Doer., pro quo facit Aen. 1, 640. *ingens argentum mensis;* sed praestat variata structura. 49. *Aedibus* probabilis correctio ed. Ven. Gryph. ex Aen. 2, 511. 50. *conchylis* Aldd. Mitsch., sed haec forma, sive a *conchylis*, sive a *conchyle* ducatur, haud temere recipienda. v. Forcell. *Conchyli* habet etiam Lucret. 6, 1072. 53. *νῆσον τὴν ποτὲ μὲν Δίαν, νῦν δὲ Νάξον προσαγορευομένην* Diod. Sic. 4, 16. 56. Versus conclamatus. *Nec dum etiam sese quae sui tui se credit.* vel: *sui cui credit* Mss. — *Nec dum etiam sese quae visit visere credit* Voss. Lachm. — *Necdum etiam se, quae fuerat tum credidit esse* Ast. — *Necdum etiam sese, quae fuit, tum credidit esse* Sill. coni. — *Necdum etiam sese oblitumve sui te*

* Nécdum etiam seseque sui cui ** credit,
Utpote fallaci quae tum primum excita somno
Desertam in sola miseram se cernit arena.
Immemor at iuvenis fugiens pellit vada remis,
Irrita ventosae linquens promissa procellae.
Quem procul ex alga maestis Minois ocellis,
Saxea ut effigies bacchantis, prospicit, evoe,
Prospicit et magnis curarum fluctuat undis,
Non flavo retinens subtilem vertice mitram,
Non contecta levi velatum pectus amictu,
Non tereti strophio lactantes vincta papillas:
Omnia quae toto delapsa e corpore passim
Ipsius ante pedes fluctus salis alludebant.
Sed neque tum mitrae neque tum fluitantis amictus
Illa vicem curans toto ex te pectore, Theseu,
Toto animo, tota pendebat perdita mente.
Ah misera, assiduis quam luctibus exsternavit
Spinosas Erycina serens in pectore curas,
Illa tempestate, ferox quo tempore Theseus
Egressus curvis e litoribus Piraei

credidit esse Censor Lips.; quod Latinitati repugnat maxime in pravo usu partic. *ve;* et nulla est iunctura sententiarum inter *sese* et *oblitumve* cet. Nos Scalig. (et Ast.) imitati defectum indicavimus. — *Nec dum etiam, seseque sui tum credidit esse.* Aldd. al. Exemplum κακοφωνίας rhetoribus praebere poterat Heinsii coni.: *Nec dum etiam sese ipsum suam tum credidit esse.* 58. *cernat* Cd. Dresd. Lachm. 61. *acta* Heins. h. l. et v. 168., sed cfr. Iuven. 4, 48. *algae inquisitores. Alga* vocabulum erat apud poetas frequens etiam Claudiani aetate in Ruf. 1, 387. 3. Consul. Hon. 197. 66. Ita Mss. et Isidor. 19. p. 1307. *Cinna: strophio luctantes cincta p.* Elegans est, sed neutiquam necessaria Mur. coni. *luctantes;* immo fortasse ne Latina quidem; nullum enim exemplum tot eius fautores hucusque protulerunt; *flammas* autem *luctantes* Silii 1, 174. ac *ventos* Aen. 1, 53. quis huc referat? Istiusmodi sane delicias vix intactas reliquissent imitatores. Tu confer Lucret. 5, 883. *ubera mammarum lactantia*, ibique Wakef. Epithal. Auspicii et Aellae v. 43. ap. Wernsd. P. l. m. 4, 2. p. 477. *It natura comes lactenti ſeta papilla.* — *lactentes* e Cdd. aliq. Lachm. 68. Ita Codd. v. c. Palat. (similiter Gr. προςπαίζειν, σαίνειν.) — *allidebant* Aldd. Scal. 70. *toto te ex* Ald 1. — *toto te p.* Ald. 2. (Neutra *prodebat*, sed *pendebat* 1. *perdebat* 2.) 72. *miseram* Aldd. Ib. *extenuavit* Stat. — *externavit* vulgo. Sed *exsternavit* malui scribere cum Forcellino. Hoc enim verbum *exsternare* i. e. dementem facere, uti *consternare*, quod omnes ad v. *sternere* referunt, quemadmodum *aspernari* ad v. *spernere*, a v. *sternere* item potius, quam ab adv. *extra* deducendum erit. Appuleii quidem loci, quos laudant, praesertim Met. 3. p. 214. ubi tamen Oud. ex Codd. dedit *exterminatus animi*, pro hoc veriloquio neutiquam faciunt. 74. *ſerox et t.* Ed. pr. Ald. 1. Voss. — *ſeroxque et* Ald. 2. Itali scil. perhorrescebant usum illum Latini sermonis in primis frequentem apud Caesarem. v. c. *illa die*, - - *qua die* B. G. 1, 6. — *ſerox quo ex tempore* horribili sono cum Italo

Attigit iniusti regis Gortynia tecta!
Nam perhibent olim crudeli peste coactam
Androgeoneae poenas exsolvere caedis,
Electos iuvenes simul et decus innuptarum
Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro.
Quîs angusta malis quom moenia vexarentur,
Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis
Proiicere optavit potius, quam talia Cretam
Funera Cecropiae nec funera portarentur.
Atque ita nave levi nitens ac lenibus auris,
Magnanimum ad Minoa venit sedisque superbas.
Hunc simul ac cupido conspexit lumine virgo
Regia, quam suavis exspirans castus odores
Lectulus in molli complexu matris alebat,
Qualis Eurotae progignunt flumina myrtus
Aurave distinctos educit verna colores:
Non prius ex illo flagrantia declinavit
Lumina, quam cuncto concepit pectore flammam
Funditus atque imis exarsit tota medullis.
Heu! misere exagitans immiti corde furores,

Lachm. 76. *Gortyn*, *Gortyne* et *Gortyna* urbs Cretae mediterranea. Ceterum Odyss. τ, 178. τῇσι δ' ἐνὶ Κνωσός, μεγάλη πόλις· ἔνθα τε Μίνως ἐννέωρος βασίλευε Διὸς μεγάλου ὀαριστής. *templa* e Cod. Guelph. al. praeferunt Voss. Wak. ad Lucret. 1, 1013. Bach. ad Tib. p. 189. Sillig. Differunt tamen *caeli* ac *mundi templa*, quae W. comparat; nec facile ita pro *regia* vel *sedibus superbis* v. 86. apud epicos *templum* inveneris. Differt pariter et illud Oratoris pro Domo 51. *(curiam) sedem ipsam ac templum publici consilii*, et Lucret. 2, 23. *laqueata aurataque templa.* Immo Deorum quoque sunt *tecta;* Cereris certe ap. Claud. de Raptu Pros. 1, 235. 78. „Androgeos, Minois et Pasiphaës filius, saepe in publicis Graeciae ludis victor, ex invidia occisus est ab Atheniensibus et Megarensibus. Apollod. 3, 15. Ovid. Met. 7, 456; 8, 153." Doer. 81. *augusta* Scal. 84. *nec funera* cum Cdd. Ald. 1. Lachm. Vulgo *ne-funera.* Dictum est, ut *nec mancipi*, *fur nec manifestus*, pro *non funera.* Graecos imitatur (v. c. ὕπνος ἄϋπνος, γάμος ἄγαμος, πότμος ἄποτμος, Ἶρος ἄϊρος, βίος ἀβίωτος, δῶρον ἄδωρον) non tam *viva funera* significans, quam *corpora miserrimae morti destinata.* Propter diversam linguae indolem rarissime talia ausi sunt Latini; proxime accedunt veteris poëtae ap. Cic. de Orat. 3, 59. *innuptae nuptiae*, Ennii ap. Cic. Cat. mai. 6, 16. *mentes - - dementes.* Ciceronis ipsius Philipp. 1, 2. *insepulta sepultura.* Horat. Carm. 1, 34. *insanientis sapientiae.* 89. Cfr. Il. 18, 436. Theocrit. 24, 101. 90. *myrtos* Doer. 95. h. versum ad sequentem trahunt Aldd., Fuscus, Gurlitt, Doer., Huschke Anal. crit. pag. 50. qui scite observat Euripid. Hippol. 1264. similiter dixisse: Ἔρως, ᾧ μαινομένᾳ κραδίᾳ πτανὸς ἐφορμάσῃ. Cic. ad Att. 3, 7. *maerorem*, Tacit. Ann. 4, 12. *conscientiam exagitare.* Item Sill. Lachm. Reliqui, in primis Mitsch. v. 95. iungunt versui praecedenti; sed nimis difficilem habet explicatum *immite cor* Ariadnes, quod mox dicitur *languens.* Cfr. tamen v. 125.

Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces,
Quaeque regis Golgos quaeque Idalium frondosum,
Qualibus incensam iactastis mente puellam
Fluctibus, in flavo saepe hospite suspirantem!
Quantos illa tulit languenti corde timores!
Quantum saepe magis fulgore expalluit auri!
Quom saevum cupiens contra contendere monstrum
Aut mortem oppeteret Theseus aut praemia laudis,
Non ingrata, tamen frustra, munuscula divis
Promittens tacito suspendit vota labello.
Nam velut in summo quatientem brachia Tauro
Quercum aut conigeram sudanti cortice pinum
Indomitus turbo contorquens flamine robur
Eruit; illa procul radicitus exturbata
Prona cadit, lateque et cominus obvia frangens:
Sic domito saevum prostravit corpore Theseus,
Nequidquam vanis iactantem cornua ventis;

qui magis huc facit, quam interpretatio Vulpii, Mitsch. Doer. „immaturum, nondum amoris patiens." Aliud certe est *immite pectus* v. 139. 97. *Γολγὸς πόλις Κύπρου ὠνομασμένη ἀπὸ Γολγοῦ τινός, Ἀδωνίδος καὶ Ἀφροδίτης· Ἰδάλιον δὲ πόλις καὶ αὐτὴ Κύπρου.* Schol. ad Theocr. Adoniaz. v. 100. 103. *appeteret* Guar. Ging. 105. *suscepit* Stat. Mitsch. Sill. (Codd. scil. aliquot *succendit* [sicque Lachm.] *succedit.)* 107. *congestam* Voss. Ib. *corpore* id. Doer. Ging. *cortice* tamen Aldd. Cod. Statii. *nutanti vertice* Codd. duo ap. Columnam ad Enn. p. 135. H. Heins. Sillig. — *nutanti corpore* Ast. Sed praefero imaginem ab altera illa *quatientem brachia* magis diversam; nec necesse est, ut hic quoque ut in seqq. arboris agitatio adumbretur, quod requirebat Astius. 109. *radicibus* Aldd. Lachm. Aen. 5, 448. eadem est varietas. 110. *lateque et cominus* de Scalig. coni. recentiores. — *lateque tumieius* cum Cdd. Lachm. coniiciens *late qua est impetus*. — *omnia frangit* Aldd. — *obvia* Codd. ap. Ging. Avanc. 113. *sospes* cum Cdd. aliq. Ed. pr. Ald. 1. Sill. Lachm. — *victor* Ald. 2. Al., ut Ovid. Heroid. 10, 71. *ne victor tecto morerere recurvo.* 119. *consanguineûm* Alex. Guarinus. 120. Versus conclamatus. Codd. et Ed. pr. cum lacuna, quam Scaligerum secuti, repraesentavimus: *Quae misera ignata (ingrata, agnata) deperdita leta (laeta)* Hinc XIV. coniecturae Vv. Dd. Silligio memoratae. Plerasque edd. occupat vel ista: *Quae misero gnatae fleret d. leto* Ald. 1. *(luctu* Muret. Vulp.) vel Vossiana: *Quae misera gnati misero deperdita leto*, vel Corradiniana: *Quae misera in gnata fleret* (Corrad. Ging. *flevit* Doer.), *d. laeta Omnibus.* quibus accedunt aliae: *Quae misera ignaro fleret deperdita lecto* Ald. 2. *Quae miseram gnatam fleret deperdita luctu* Guarini ambo. Astius: *Quae misera ingratam flevit deperdita luctu.* et Lachmanniana: *Quae misera in gnata deperdita lactabatur.* Nostra haec fuerat: *Quae minus in gnatae fleret deperdita leto:* quam nunc, utpote aeque incertam, ultro reiicio. 121. *praeferret* Aldd. Voss. — *praeoptarit* iam Guarinus habere dicitur Vulpio; Statius ut suum profert, omnes enim exhibere *portaret.* Scal. rursus e Cod. *praeoptarit;* quod alteri *praeferret* nos quoque praetulimus (sicque etiam Sill. Lachm.) In hac enim constructione perf. subi. legitimum est. v. Huschk. ad Tibull. T. 2. p. 560. Hoc

Inde pedem sospes multa cum laude reflexit,
Errabunda regens tenui vestigia filo:
Ne labyrintheis e flexibus egredientem
Tecti frustraretur inobservabilis error.
Sed quid ego a primo degressus carmine plura
Commemorem? ut linquens genitoris filia voltum,
Ut consanguineae complexum, ut denique matris,
* Quae misera ignata ** deperdita leta
Omnibus his Thesei dulcem praeoptarit amorem?
Aut ut vecta ratis spumosa ad litora Diae?
Aut ut eam dulci devinctam lumina somno
Liquerit immemori discedens pectore coniux?
Saepe illam perhibent ardenti corde furentem
Clarisonas imo fudisse e pectore voces,
Ac tum praeruptos tristem conscendere montis,
Unde aciem in pelagi vastos protenderet aestus:
Tum tremuli salis adversas procurrere in undas

igitur loco *praeoptarit* trisyllabum erit. Haud maiorem habet offensionem, quam Lucretii illa 2, 1061. *tandem coaluerint* — 3, 876. *esseque prohibet.* 122. *rati* Lachm. susp. 123. *dulci devictam* Aldd. al. *tristi devinctam* Scal. e Cod. Voss. Doer. Ging. Alterius utrius adiectivi loco in suis lacunam fuisse testatur Statius; sicque Lachm., praeterea coniiciens: *Venerit aut ut eam d.;* utrumque vero huc quadrat: *dulci*, ut solitum somni epitheton; *tristi*, utpote de somno *fallaci* v. 57. *crudeli*, ut eundem vocat Ovid. Heroid. 10, 111. Videamus nunc auctoritates: Pseudovirgil. Ciris v. 205. de Nisi somno ipsi exitium afferente: *Iamque adeo dulci devinctus lumina somno Nisus erat.* Philostr. Imag. 1, 15. de Ariadna, *ὡς ἐν μαλακῷ κεῖται τῷ ὕπνῳ.* Nonnus 47, 526. *ὕπνος ἐμοὶ γλυκὺς ἦλθεν, ἕως γλυκὺς ᾤχετο Θησεύς*, quibus obtemperans *dulci* tandem reduxi. Fallitur enim Visconti Mus. Pio-Clem. T. 2, T. 44., qui dum celebratissimam statuam, Cleopatrae olim nomine falso insignitam, Ariadnam potius esse docet, haec praesertim: *sembravami convenire la sua tristezza ad un' amante tradita, al disordine delle sue vesti, alle lunghe sue smanie, dopo le quali si suppone caduta in un sopore affannoso* — firmari censet altera lectione *tristi*, i. e. ut interpretatur, maeroris pleno atque inquieto. Artifices scil. antiqui in statua ista, in opere anaglyptico ibid. pag. 326. in Picturis Herculanenss. T. 2. Tab. 16. Pausan. Attic. 1, 20, 2. Chariton 1, 6. p. 241. Lips. eosque secutus Nonnus l. l. Ariadnae dormienti Bacchum supervenisse fingebant, ut Bacchici thiasi vivacissimos motus somni languori, vel etiam isthanc imaginem ad summum artis fastigium educturi, hilaritatem quoque illorum atque amoris plenam admirationem in Baccho derelictae puellae angori et tristitiae opponerent. Verum aliter Catullus, uti poëtam decebat: alterum enim somnum maestum post *dulcem* illum, quamvis fallacem, fingere nihil attinebat. Ib. *devinctam* autem praetuli et propter manifestam Pseudovirgilii imitationem, etsi ibi quoque Codd. aliq. *devictus*; et Livii illud 5, 44, 7. *nisi vinctos somno, velut pecudes, trucidandos tradidero;* ut habent optimi Cdd., etiam Einsiedlensis Sec. IX., non *victos*. 126. *clarificas* Scal. e Cod.

Mollia nudatae tollentem tegmina surae:
Atque haec extremis maestam dixisse querelis,
Frigidulos udo singultus ore cientem:
„Siccine me patriis avectam, perfide, ab oris,
Perfide, deserto liquisti in litore, Theseu?
Siccine discedens neglecto numine divom,
Immemor ah! devota domum periuria portas?
Nullane res potuit crudelis flectere mentis
Consilium? tibi nulla fuit clementia praesto,
Immite ut nostri vellet miserescere pectus?
At non haec quondam nobis promissa dedisti
Voce; mihi non hoc miserae sperare iubebas,
Sed connubia laeta, sed optatos hymenaeos:
Quae cuncta aërii discerpunt irrita venti.
Nunc iam nulla viro iuranti femina credat,
Nulla viri speret sermones esse fidelis:
Quîs dum aliquid cupiens animus praegestit apisci,
Nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt:
Sed simul ac cupidae mentis satiata libido est,
Dicta nihil metuere, nihil periuria curant.
Certe ego te in medio versantem turbine leti
Eripui et potius germanum amittere crevi,
Quam tibi fallaci supremo in tempore deessem.
Pro quo dilaceranda feris dabor alitibusque
Praeda neque iniecta tumulabor mortua terra.

133. *aris* Voss. Burm. 139. *miserescere* Aldd. al. In Mss. lectione *mitescere* misere sese torquent Edd. modo *ergo* supplentes ad v. *nostri* (Voss.) modo construentes *pectus nostri* h. e. si Diis placet, *erga nos*. (Doer.) modo *monstri* coniicientes. (Scal.) 140. Sic scripsi nunc cum Lachm.; quae lectio excusari saltem potest: nam ut frequentius invenitur *timere*, *metuere alicui*, sic dici potest etiam *sperare alicui aliquid*, immo certum eius constructionis exemplum exstat apud Cic. ad Attic. 1, 13. *a quo nihil speres boni rei publicae* (dativ.). Ordinabis igitur: „non iubebas sperare hoc mihi miserae." Verumtamen negari nequit durius hoc esse nec gratam h. l. variationem *nobis*)(*mihi*. Praeterea Cdd. aliq. et Ed. pr. habent: *At non haec quondam nobis promissa dedisti Voce mihi, non (nec* alii Codd., uti Voss. e Mss. Statii:) *hoc miseram sperare iubebas:* fieri nunc potest, ut, quod pro certo ego Cdd. destitutus affirmare non queo, etiam Lachm. lectio, quam exhibui, huius sit arbitraria dumtaxat correctio nec satis felix; hoc certum est, ab aliis haud ingrata et vere Itala interpolatione, petita, ni fallor ex Enniano illo p. 124. Hess. *et blanda voce vocabam*, servato nobis, unde hauserunt Interpolatores, a Cicerone, exhiberi: *quondam blanda promissa dedisti Voce mihi; non hoc miseram* (sic Aldd. Guar. Mitsch. Ging. Sillig.) Blandius fortasse sic scribendum erat. *At non haec quondam, nosti, promissa dedisti Voce mihi; non hoc miseram spe-*

Quaenam te genuit sola sub rupe leaena?
Quod mare conceptum spumantibus exspuit undis?
Quae Syrtis, quae Scylla rapax, quae vasta Charybdis,
Talia qui reddis pro dulci praemia vita?
Si tibi non cordi fuerant connubia nostra,
Saeva quod horrebas prisci praecepta parentis,
Attamen in vestras potuisti ducere sedes,
Quae tibi iucundo famularer serva labore,
Candida permulcens liquidis vestigia lymphis,
Purpureave tuum consternens veste cubile.
Sed quid ego ignaris nequidquam conqueror auris
Exsternata malo, quae nullis sensibus auctae
Nec missas audire queunt nec reddere voces?
Ille autem prope iam mediis versatur in undis,
Nec quisquam apparet vacua mortalis in alga.
Sic nimis insultans extremo tempore saeva
Fors etiam nostris invidit questibus auris.
Iuppiter omnipotens, utinam ne tempore primo
Gnosia Cecropiae tetigissent litora puppes:
Indomito nec dira ferens stipendia tauro
Perfidus in Cretam religasset navita funem:
Nec malus hic celans dulci crudelia forma
Consilia in nostris requiesset sedibus hospes!
Nam quo me referam? quali spe perdita nitar?
* Idaeosne petam montis? ah gurgite lato

rare iubebas; saepissime scil. talia: *ut scitis*, *memento*, *nosti*, *scis nempe* [Valerius Flacc. 8, 48. *serva hanc profugae prior ipse dedisti quam* (*scis nempe*) *fidem*] interponuntur. 144. *Nunc iam* Guarinus; Cod., Minturno teste: quod saepe corruptum fuit v. Huschk. ad Tib. 2, 3, 3. — *Tum iam* Ed. pr. Aldd. Lachm. — *Iam iam* pleraeque recentt. 146. *qui* Ald. 151. *germanum* Minotaurum. 152. *deesse* Aldd. 157. *rapax* Codd. Statii. Lehner. Voss. — *Scylla rapax* Virg. in Culice v. 330. — *vorax* Aldd. Doer. 164. *Purpureaque* C1d. Lachmanni. 165. *ingratis* Wak. 172. *nec* Ed. pr. Aldd. — *ne* Codd. Stat. 175. *religare* Forcellinus h. l. interpretatur *solvere*. Sed eodem errore Catulli 63, 84. *religatque iuga manu*, et ubi manifestius etiam solita significatio obtinet, Lucan. 7, 860. *Nullus ab Emathio religasset litore funem navita*, huc traxit. Nemo unquam h. l. haesisset, si consueto more noster dicere maluisset *ad Cretam*, *a Creta*, *in Creta*. 177. *consilium nostris quaesisset* Aldd. Sed Scal. coni. omnes receperunt. 178. „Vetusta editio *ne quo*, unde reponendum: *nunc quo*." Spengel ad Varr. p. 249. Recepit Weberus. 179. Nonne inter duo consilia fluctuari debebat Ariadne: Atticamne peteret, an patriam? Hoc autem ipsum repraesentavimus de coni. edentes: *Icariosne* (Icarius Atticae mons Plin. 4, 11.) Cdd. *Idmoneosne* vel *Idmeneosne*, unde Scal. *Isthmon*, *eosne*. — (Hanc meam coni., quam incertam esse non nego,

Discernens ponti truculentum ubi dividit aequor!
An patris auxilium sperem, quemne ipsa reliqui,
Respersum iuvenem fraterna caede secuta?
Coniugis an fido consoler memet amore,
Quine fugit lentos incurvans gurgite remos?
Praeterea nullo litus, sola insula, tecto:
Nec patet egressus pelagi cingentibus undis;
Nulla fugae ratio, nulla spes: omnia muta,
Omnia sunt deserta, ostentant omnia letum.
Non tamen ante mihi languescent lumina morte,
Nec prius a fesso secedent corpore sensus,
Quam iustam a divis exposcam prodita multam
Caelestumque fidem postrema comprecer hora.
Quare, facta virûm multantes vindice poena
Eumenides, quibus anguino redimita capillo
Frons exspirantîs praeportat pectoris iras,
Huc huc adventate, meas audite querelas;
Quas ego vae misera extremis proferre medullis
Cogor inops, ardens, amenti caeca furore.
Quae quoniam verae nascuntur pectore ab imo,
Vos nolite pati nostrum vanescere luctum:
Sed quali solam Theseus me mente reliquit,
Tali mente, deae, funestet seque suosque."
Has postquam maesto profudit pectore voces,
Supplicium saevis exposcens anxia factis,

confutavit Pinzgerus, hoc potissimum argumento usus, v. 183. demum memorari consilium Atticam petendi; (quod aliter mihi quidem videtur, quum ibi de loco sermo non sit, tantummodo de perfidia Thesei:) praeterea parum commode ista periphrasi a monte haud nimis noto petita significari Atticam. Hoc verissimum est. Quod si praeferas *Idaeosne* Avancii, Ald. 1. Ging., quae coni. ceteris praestat, explicabis: „repetamne Cretam atque in Idae solitudines me abdam: at num potero ibi patris auxilium sperare?" Hanc igitur lectionem, ex parte etiam Pinzgero probatam in loco conclamato expressi. Omnes fere recentt. (etiam Sill.) amplexi sunt Vossii coni. *Idomeniosne*, ab Idomene, Macedoniae oppido prope fines Thraciae, ab Idomeneo, Minois nepote, condito; quae quidem lectio triplici incommodo laborat, anachronismi, metri posthabiti, ac putidae eruditionis. Cur enim prae omnibus aliis Bottiaeos montes memoraret misera puella? — *Idomeneosne* Lachm. In seqq. rursus quaedam turbata sunt: praetulimus Vossii lectionem. — *a* Aldd. *at* Mur. Doer. *ubi* nimis pro imperio eiecisse videntur Mur. al. — *discurrens* Cod. Statii blanda sane interpolatione; longe deterius est Wakef. *deserpens*. Tum *discedens* Itali. 185. Sic Cdd. Aldd. Sill. Lachm. — *Pr. nullo (litus solum) insula tecto* Voss. — *Praeterea litus nullo sola i. t.* Scal coni. Corrad. Doer. — *Praeterea litus, nullo solamina t.* Huschk. Ep. crit. p. 102. cui obstat Ovidiana imitatio. Her. 10, 59. *Quid faciam? quo sola ferar? vacat insula cultu. (Praetereo*

Annuit invicto caelestum numine rector,
Quo tunc et tellus atque horrida contremuerunt
Aequora concussitque micantia sidera mundus.
Ipse autem caeca mentem caligine Theseus
Consitus oblito dimisit pectore cuncta,
Quae mandata prius constanti mente tenebat:
Dulcia nec maesto sustollens signa parenti,
Sospitem Erechtheum se ostendit visere portum.
Namque ferunt, olim classi quom moenia divae
Linquentem gnatum ventis concrederet Aegeus,
Talia complexum iuveni mandata dedisse:
„Gnate mihi longa iucundior unice vita,
Gnate, ego quem in dubios cogor dimittere casus,
Reddite in extremae nuper mihi fine senectae:
Quandoquidem fortuna mea ac tua fervida virtus
Eripit invito mihi te, quoi languida nondum
Lumina sunt gnati cara saturata figura:
Non ego te gaudens laetanti pectore mittam,
Nec te ferre sinam fortunae signa secundae.
Sed primum multas expromam mente querelas,
Canitiem terra atque infuso pulvere foedans;
Inde infecta vago suspendam lintea malo,
Nostros ut luctus nostraeque incendia mentis
Carbasus obscurata decet ferrugine Hibera.
Quod tibi si sancti concesserit incola Itoni,

Mur.) 188. Virgilius h. l. fortasse legerat *intentant*, Aen. 1, 95. *Praesentemque viris intentant omnia mortem.* 193. *viri* Schrader. 194. Formam *unguineo* defendunt Huschk. ad Tib. T. 2. p. 437. Bach. p. 205. 195. *postportat* Cod. Mediol. prob. Voss. 197. *vae miseru* Codd. Statii. Quod rectum esse me docuit amicus Heyse, et propter caesuram et propter ingratam elisionem diphthongi *miserae* in vulgata *vae miserae.* Saepe *vae* per se ponitur. *Mantua, vae, miserae nimium vicina Cremonae.* — *nunc (num* Ald. 2.) — *ex imis* Vulp. 199. *verae* Stat. Vulp. Rursus Nodell ad Avian. p. 65. cfr. Lucret. 3. 57. — *vere* Aldd. Doer. 205. *invito* Baryn. Codd. Vossii. 207. *concussusque* iid. et Wak. coni. Ast. vanâ h. l. elegantiâ ac digniore Lucano quam Catullo. 208. *mentis* Aldd. 211. *lucida* Wak. 212. Codd. *sospitem erectum*, unde alii interpolatores fecerunt *sospitem et erectum*, alii *sospitem et ereptum*, ut Maffei lib. ap. Stat. Aldd. Doer. Ging.; sed multo ingeniosior est Vossii coni. quam repraesentavimus. 214. *classis* - - *Linqueret et gnatum* Alex. Guarin. 218. *extrema* cum Cdd. aliq. Lachm. 228. Sic haud mala coni. Lachm. e vestigiis Cdd. *obscurata dicet* (Voss. Vulp.), *obscurata duget*, *diget* cet. — *obscura dicat* Vulgo; in qua lect. offendit duplex epitheton *ferruginis*, *carbasus* nude posita. 219. *Itonus* s. Iton, oppidum Thessaliae, ubi nobilissimum Minervae templum exstructum fuit, unde Minervae Itoniae cultum ad Athenienses transisse tradunt. v. Schol. Apollon. Rhod. Paris. ad 1, 551.

Quae nostrum genus ac sedis defendere Erechthei
Annuit, ut tauri respergas sanguine dextram:
Tum vero facito, ut memori tibi condita corde
Haec vigeant mandata nec ulla obliteret aetas:
Ut simul ac nostros invisent lumina collis,
Funestam antennae deponant undique vestem,
Candidaque intorti sustollant vela rudentes:
[Lucida qua splendent summi carchesia mali:]
Quam primum cernens ut laeta gaudia mente
Agnoscam, quom te reducem aetas prospera sistet."
Haec mandata prius constanti mente tenentem
Thesea ceu pulsae ventorum flamine nubes
Aërium nivei montis liquere cacumen.
At pater, ut summa prospectum ex arce petebat,
Anxia in assiduos absumens lumina fletus;
Quom primum inflati conspexit lintea veli,
Praecipitem sese scopulorum e vertice iecit,
Amissum credens immiti Thesea fato.
Sic funesta domus ingressus tecta paterna
Morte ferox Theseus, qualem Minoidi luctum
Obtulerat, mente immemori talem ipse recepit.
Quae tamen adspectans cedentem maesta carinam
Multiplicis animo volvebat saucia curas.

230. *Erechthei* rursus est a Vossio. Sill. Lachm. Ed. princeps: *bueta*, unde una litera transposita olim feceram *Butae*, celebratissimi apud Athenienses herois atque auctoris gentis Butadarum s. Eteobutadarum. Butes vero, utpote Minervae Poliadis sacerdos huic Deae gratissimus esse quidni poterat? v. Apollod. 3, 15, 1. Paus. 1, 26. — *sueta* Guar. Aldd. Ging. — *freti* Codd. Statii. — *fretis* Stat. Scal. Doer. Ast. — *creti* Mitsch. — *avitas* Heins. 234. *Ut simul haec* i. e. tua, e Codd. Sill. Web. 237. Abest a Codd. omnibus; legitur autem sub Catulli nomine ap. Nonium pag. 793. Goth. unde eum h. l. inseruere Faernus ac Muretus: observat tamen Marcilius, „nec versum illum nec Catulli nomen reperiri in libris Marcelli antiquis." Assulus esse potest ex Isidori Origg. 19, 2. p. 1287. *Cinna: Lucida consulgent alti carchesia mali.* Denuo eum eiecerunt Ging. Sill. Lachm. Recte, ut opinor. Astio necessarius videtur propter sequentia, *ut quam primum*. 239. *sors* Aldd. — *fors* Douza. 244. *contollens* Baryn. al. unde *fletus* in *fluctus* mutare conatus est Mitsch. v. Huschk. Ep. crit. p. 92. 245. *infecti* Fusc. Vulp. 248. Codd. aliquot *Minoida*, unde Dorvill. *quali Minoida luctu*, casu tertio, ut v. 396. *coetu*, „quia prisci poëtae raro vel nunquam istos dativos corripiunt." Veruntamen in *Coma Beren.* v. 70. hahes: *Tethyi restituor*. „*Minoidi* ultimam brevem habet ad modum Graecorum, quem hic imitatum esse Catullum credo." Web. 251. Ita Baryn. Voss. Codd. Statii, qui alteram lectionem *quae tum prospectans* Aldd. Doer. Ging. iure, opinor, novitiam vocat. 253. *At pater* Baryn. Voss. Ceterum cfr. Xenoph. Sympos. C. 9. Philostrat. Imagg. 1, 15.

At parte ex alia florens volitabat Iacchus
Cum thiaso Satyrorum et Nysigenis Silenis,
Te quaerens, Ariadna, tuoque incensus amore:
Qui tum alacres passim lymphata mente furebant,
Euoe bacchantes, euoe, capita inflectentes.
Horum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos;
Pars e divolso iactabant membra iuvenco;
Pars sese tortis serpentibus incingebant;
Pars obscura cavis celebrabant orgia cistis,
Orgia, quae frustra cupiunt audire profani.
Plangebant alii proceris tympana palmis
Aut tereti tenuis tinnitus aere ciebant;
Multis raucisonos efflabant cornua bombos,
Barbaraque horribili stridebat tibia cantu.
Talibus amplifice vestis decorata figuris
Pulvinar complexa suo velabat amictu.
Quae postquam cupide spectando Thessala pubes
Expletast, sanctis coepit decedere divis.
Hic qualis flatu placidum mare matutino
Horrificans Zephyrus proclivas incitat undas,
Aurora exoriente vagi sub lumina Solis:
Quae tarde primum clementi flamine pulsae
Procedunt, leni resonant plangore cachinni:

Nonnum 47, 171. Ovid. A. A. 1, 537. Picturas Hercul. T. 2. T. 16. Visconti Museo Pio-Clem. T. 4. Tav. 24. 254. Natis in urbe Indiae, Nysa, *sita sub radicibus montis quem Meron incolae appellant*: Plin. 8, 10. v. Moser ad Nonn. p. 191 et 202. 259. Ita Ed. pr. Baryn. Aldd. Ging. Ast. *raptabant* Scal. Doer. 261. *celabant* Broukh. probante Valck. ad Ammon. p. 185. Sed commentum hoc recte refutavit Astius. 263. *aliae* Scal. e Cod. Vulp. „Bacchae enim intelliguntur." Scal. Verum in antiquis monumentis cymbala, tympana, tibiae, arcae sacrae non feminis dumtaxat, sed etiam Silenis Faunisque tribuuntur. v. Picturas Hercul. T. 2. p. 128. 134. Visconti Museo Pio-Clem. T. 4. p. 168. et 177. Ed. Med. Perpetuo autem in his tympana et cymbala iunguntur, veluti in mystica illa formula a Clemente Alex. Protrept. p. 14. Pott. servata: *ἐκ τυμπάνου ἔφαγον· ἐκ κυμβάλου ἔπιον· ἐκερνοφόρησα· ὑπὸ τὸν παστὸν ὑπέδυον.* 265. *Multi raucisonos* Codd. Statii, unde hic cum Scal. fecit *multis r.*, quod praetuli cum Doer. Ast. — *multi raucisonis - - bombis* Ald. 1. — *multaque raucisonos - - bombos* ex interpol. Ald. 2. Guar. Ging. — *multi raucisonos efflebant* Voss. Vulp. 267. Ita Ennius p. 237. H. *templum auro, ebore instructum regifice.* 271. Ita Ald. al. *Ne qualis*, vel *Aequalis* Codd. Vossii, unde scripsit *Ac quali; Ac qualis* Ging. 273. *limina* Burm. Sec. Lachm. e Codd. 275. Ita Scal. e Cd. Ariac. non sincero. Ego in pr. Ed. Sill. Lachm. — Doer. al. *levi*, unde metri causa refinxerunt: *leviterque sonant* Aldd. — *leni et resonant* Voss. Ging. — *lenique sonant* Lennep. Ast., sed asyndeton h. l. non modo non ingratum est, sed necessarium, si *cachinni*,

Post vento crescente magis magis increbrescunt,
Purpureaque, procul nantes, a luce refulgent:
Sic tum vestibuli linquentes regia tecta
Ad se quisque vago passim pede discedebant.
Quorum post abitum princeps e vertice Peli
Advenit Chiron portans silvestria dona:
Nam quotcunque ferunt campi, quos Thessala magnis
Montibus ora creat, quot propter fluminis undas
Aura parit flores tepidi fecunda Favoni,
Hos in distinctis plexos tulit ipse corollis,
Quîs permulsa domus iucundo risit odore.
Confestim Peneos adest, viridantia Tempe,
Tempe, quae silvae cingunt super impendentes,
* Minosin linquens doris celebranda choreis,
Non vacuus: namque ille tulit radicitus altas
Fagos ac recto proceras stipite laurus,
Non sine nutanti platano lentaque sorore

ut par est, accipias pro nom. plur., non vero, quemadmodum ab Astio factum video, pro gen. sing. Ad v. *increbrescunt* facile ex antecedd. repetitur *undae*. *Clangore* Douza, Valck. Ging. Ast. laudans Accium ap. Non. in *sonit*, et *cachinnare: Ac ubi curvo litore latrans Unda sub undis sonit, Simul et circum magni - sonantibus Excita saxis, saeva sonando Crepitu clangente cachinnat.* „Sed, observ. Vossio, et *plangorem* mari adscribunt Latini." Negavit Astius; tu cfr. Lucret. 2, 1156. 277. *variantes* Italam procul dubio interpolationem, non video cur Astium secutus Bachius ad Tib. p. 187. suo calculo denuo probaverit. *fluctusque natantes* dixit Ennius teste Servio ad Aen. 6, 705. *camposque natantes* Lucret. 6, 1141. — *vibrantes* volebat Mitsch. 279. *A se* Avanc. ex Macrob. 1, 5. Baryn. Aldd. 280. *Pelei* Lachm. 282. *quodcunque* Codd. Florent. ap. Bach. ad Tib. p. 255. Lenz. Sill. — *quoscunque* Aldd. Ib. *quot Thessala* Excerpta Italorum. 283. *quot propter* Lachm. pro *quos pr.* 285. Ita Ed. princ. (Voss.) Wak. coni. ad Lucret. 5, 1398. Sill. cfr. v. 90. Plene habes in Culic. v. 70. *distincta coloribus arva. indistinctis* reliquae Edd. omnes. — *interstinctis* Heins. 286. *Quo permulsa* de Faërni coni. Lachm. 288. Locus conclamatus. Codd. *Minosin*, *Minosim*, *Minosium linquens doris; Mniosin l. chloris* Baryn. tum: *Nonatius*, *Nonacrios*, *non acies*, *non acuos; Annesus l. doris c. ch.* — *Nonacrios.* Cod. Reg. ap. Ging. unde emerserunt coniecturarum monstra, in quibus eminet illa Vossii: *Xyniasi et l. Doris e. ch. Boebiados. Namque.* Minus absurda reliquis est Realini: *Naïadum — claris - - Non vacuus*, quae adstrui quodammodo potest ex Apoll. Rhod. 4, 816. τεὸς υἱός — ὃν δὴ νῦν Χείρωνος ἐν ἤθεσι κενταύροιο Νηϊάδες κομέουσι. Virg. Cul. 115. *Et Satyri Dryadesque choros egere puellae Naïadum coetu.* Claudian. in Prob. et Olyb. cons. 248. *niveos ium pandite coetus Naides.* — *Mnemonidum l. doctis* Doer. al. neque tamen Musis hic locus ullus. Quod vero Subl. ac Ging. Alex. Guarinum et Spanhemium secuti nuper ediderunt *Nessonidum - - claris* metro repugnat; est enim λίμνη Νεσσωνὶς ap. Strab. 9. p. 440. L. Facilis, sed probabilitate destituta est prima Astii suspicio: *Umbrosae*, *linquens*, *doctis c. ch.* deinde, ut spurio, eiecto v. 288. v. 289. ita refingit: *Pone gerens: namque.* (*Non vacuus* de Guarini incerta

Flammati Phaëthontis et aëria cupressu;
Haec circum sedes late contexta locavit,
Vestibulum ut molli velatum fronde vireret.
Post hunc consequitur sollerti corde Prometheus,
Extenuata gerens veteris vestigia poenae,
Quam quondam silici restrictus membra catena
Persolvit pendens e verticibus praeruptis.
Inde pater divom sancta cum coniuge natisque
Advenit caelo, te solum, Phoebe, relinquens
Unigenamque simul cultricem montibus Idri.
Pelea nam tecum pariter soror aspernatast
Nec Thetidis taedas voluit celebrare iugalis.
Qui postquam niveos flexerunt sedibus artus,
Large multiplici constructae sunt dape mensae.
Quom interea infirmo quatientes corpora motu,
Veridicos Parcae coeperunt edere cantus.
* His corpus tremulum complectens undique questus,

sane coni. dedi nunc cum Sill. et Lachm. pro Cdd. *Nonacrios*, *Non acuos.)* 290. *actas* Heins. Ast. 292. Codd. *lutanti*, *luctanti*, unde Voss. *laetanti.* — *letaque* Codd. fere omnes, unde Scal. *fletaque.* Utramque autem lectionem *laetanti* - - *fletaque* coniunxit Vulp. „ut versui compararet varietatem," vix Catullianam, observante Ging. Similem versum habet Ennius p. 135. H. *Capitibu' nutanteis pinos rectosque cupressos.* 293. *cyparisso* Guar. Ging. 297. *vestigia* vinculorum, clavorum, aquilae morsuum, quos ad Caucasum alligatus antea erat perpessus: ita vulgo explicant, recte, ni fallor, nam v. *extenuare* medici quoque de cicatricibus usurpant. v. Forcell. Avancius vero et Viscontius Museo Pio-Clem. 4. pag. 223. M. anulum intelligunt ex ferro et lapide Caucaseo in supplicii memoriam Promethei digito circumdatum, quem Plin. 37, 1. Hygin. Poët. Astr. 2, 15. Serv. ad Virg. Ecl. 6, 42. memorant. At nimis obscure profecto, hoc si voluisset, locutus esset Catullus; aequo enim iure Lenzius interpretabatur de corona ex salicis viminibus propter idem Promethei capiti imposita, de qua vide Apollod. 2, 5, 11. 302. *Idri*] ita Codd. *(Ydri)* „Est mons Cariae, in quo complura erant loca Dianae eiusque fratri consecrata, ut Hecatesia, Chrysaoria, Euromus." D. — *Idae* Ald. 2. (*montis Ithoni* Ald. 1.) — *Hydrae*, urbis Lydiae, Stat. 305. *niveis* Aldd. prob. Mitsch. Sill. Lachm. 309. Locus depravatus. Nuda quidem est Lachesis in Dactyliotheca Stoschiana; collatis vero Platone de Rep. 10, 16. p. 617. St. θυγατέρας τῆς Ἀνάγκης Μοίρας λευχειμονούσας, στέμματα ἐπὶ τῶν κεφαλῶν ἐχούσας, et Orpheo H. 59, 7. πορφυρέῃσι καλυψάμεναι ὀθόνῃσι — colligimus Catullum quoque Parcis tribuisse candidam vestem, taenias vero vel etiam cingulum purpurei coloris. Ib. *quaestus* habent Codd. aliq. — *questus* Alii Cdd. et Ed. pr. in quo vide, ne lateat *cestus* (quod voc. non de Veneris tantum cingulo usurpatur. v. Forcell.) ita, ut *candida* ad interceptum aliud vocab. plurale gen. neutr. in versu seq. olim pertinuerit. Ceterum Astius annotavit: „*quaestus* nihil nisi v. *vestis* depravatio mihi videtur esse; *que* enim est repetitio ultimae syllabae praecedentis v. *undique* et in *stus* ultima syllaba v. *vestis* latet." — *Quercus* alii Codd. habere dicuntur, quam tamen emendationem sibi vindicat Fuscus. ita Aldd. Voss. Doer. — *vestis*

* Candida purpurea Tyros intinxerat ora,
At roseo niveae residebant vertice vittae,
Aeternumque manus carpebant rite laborem.
Laeva colum molli lana retinebat amictum,
Dextera tum leviter deducens fila supinis
Formabat digitis: tum prono in pollice torquens
Libratum tereti versabat turbine fusum:
Atque ita decerpens aequabat semper opus dens,
Laneaque aridulis haerebant morsa labellis,
Quae prius in leni fuerant exstantia filo.
Ante pedes autem candentis mollia lanae
Vellera virgati custodibant calathisci.
Hae tum clarisona pellentes vellera voce,
Talia divino fuderunt carmine fata,
Carmine, perfidiae quod post nulla arguet aetas.
„O decus eximium magnis virtutibus augens,
Emathiae tutamen opis, clarissime nato:
Accipe, quod laeta tibi pandunt luce sorores
Veridicum oraclum; sed vos, quae fata sequuntur,
Currite ducentes subtemina, currite, fusi.
Adveniet tibi iam portans optata maritis

Mur. Ast. Sill. Lachm. Neutrum vero sat probabilitatis habet. 310. *purpurea tuos intinxerat* — *p. Tyros intinxerat* — *p. Tyrios extinxerat.* Codd. ap. Stat. et Scal. Hinc varia expiscati sunt Edd. nullo adhuc successu. (v. c. Voss. Ast. *C. p. quam Tyro incinxerat ora. Tyro* Salmonei filia texendi peritissima Odyss. 2, 120. *candida* dicitur etiam Propertio 2, 28, 5.) Sententiae repugnat Guarini quoque coni. a Ging. recepta: *quercus c. p. talos incinxerat o.;* frondes enim quernae, si candidae sunt, purpureo limbo talos ambire neutiquam possunt. Sed satius est in talibus eos imitari, qui signa trunca antiquorum, tabulasque paene evanidas fideliter nunc exhibere, quam pro lubitu redintegrare fucoque illinere malunt. Lachmannus sic: *His corpus tremulum complectens undique vestis Candida purpurea talos incinxerat ora.* 311. *Ambrosio* Vulp. coni. At *roseus vertex* nihil aliud h. l. denotat, nisi divinum splendorem, quo Parcarum capita fulgebant; firmatque Codd. lectionem manifesta, etsi alia in re, imitatio Virg. Ciris 122. *At roseus medio fulgebat vertice crinis.* Ceterum de frequenti confusione adiectt. *roseus* et *ambrosius* v. Oudend. ad Appul. p. 348, 361, 719. — *Annoso* Ern. Schulzii coni. memorat Lachm. 313. *amictum* Mur. cfr. Propert. 4, 1, 72. *dextro - colo* 4, 9, 49. *Lydo - colu.* Ab incerta auctoritate v. *colus* genus masculinum pendet. v. Forcell. Schneider lat. Gr. T. 2. p. 23. 315. *vertice*, i. e. verticillo. Voss. 318. *leni*, i. e. lento. Ald. 1. Voss. Web. — *levi* Ald. 2. Scal. Doer. Ging. Lachm. Sed quomodo *lēve* filum, si primum *morsis* lana exstans tollenda erat? 322. *pectentes* Stat. coni. *polientes* Heins. Obscurius de h. l. egit Huschk. ad Tib. 2, 1, 66. — *vellentes* Heyse. 323. *diviso* e Codd. Voss. 325. *et magnis* Ald. 2. Codd. Statii. 326. *Emathiae columen Peleu* Ald. 2. ex v. 26. *Emathiae* nomen a poëtis pro

Hesperus: adveniet fausto cum sidere coniux,
Quae tibi flexanimo mentem perfundat amore
Languidulosque paret tecum coniungere somnos
Levia substernens robusto brachia collo.
Currite ducentes subtemina, currite, fusi.
  Nulla domus talis unquam contexit amores:
Nullus amor tali coniunxit foedere amantis,
Qualis adest Thetidi, qualis concordia Peleo.
Currite ducentes subtemina, currite, fusi.
  Nascetur vobis expers terroris Achilles,
Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus:
Qui persaepe vago victor certamine cursus
Flammea praevortet celeris vestigia cervae.
Currite ducentes subtemina, currite, fusi.
  Non illi quisquam bello se conferet heros,
Quom Phrygii Teucro manabunt sanguine rivi,
Troicaque obsidens longinquo moenia bello
Periuri Pelopis vastabit tertius heres.
Currite ducentes subtemina, currite, fusi.
  Illius egregias virtutes claraque facta
Saepe fatebuntur gnatorum in funere matres:

tota Macedonia, itemque pro Thessalia ponitur. v. Voss. ad Virg. Ge. 1, 327. *servos* Codd. aliquot. hinc Voss. coni. *serves. Sed vos quos* Subl. Astius: „construunt: *sed vos, fusi, currite fata, quae sequuntur, subtemina ducentes.*" Ineptam hanc rationem merito reiiciens, reposuit: *Veridicum oraculum, servans quae fata sequuntur. Currite* — sed hoc nimis friget. Quidni potius construas: *sed vos fusi currite ducentes subtemina, quae* (accus.) *sequuntur fata* (nom.)? 332. *flexo animo mentis* Ald. Codd. Stat. — *Quae te flexanimo mentis* Lach. susp. Ego nihil difficultatis video in vulg. sic constructa: *quae mentem tibi perfundat amore flexanimo;* immo mihi magis poëtam decere videtur, quam Lachm. suspicio. 336. Pro *contexit* Lachmannus vult *connexit*, invitus, ut opinor, in soloecismum incidens. Latini scil. dicebant *connexuit.* Videtur idem v. *contexit* duxisse a verbo *contexere*, ideoque pro corrupto habuisse; quum sit a v. *contegere.* Dubia est etiam Schwenckii interpretatio: *Nie hat irgend ein Haus so herrliche Liebe vermählet*, pro *beherbergt, umwölbet* vel simile quid. 336-340. Desunt in Codd. nonnullis et Ed. pr. Spurios censet Scal. 346. Pro *rivi* codex Stat. *tenen;* duo item: *Quom Phrygii tenero manabunt sanguine Teucri.* Sed in coni. inde eliciendis operam perdiderunt: v. c. *tenero-campi, Teucro-muri, trunci, tepidi-rivi, Phrygiae-terrae*, quam Astio probavit imitatio Virg. in Culice 305. *Teucria quom magno manaret sanguine tellus.* — *Quom Phrygii Teucro manabunt sanguine campi* Sill. Omisit v. dubium Lachm. Mihi cum v. *manare* etiamnunc melius coire videtur *rivi.* 352. Ita Ald. 1. Doer. — *cum in civium canos* — *cum incurvum canos* Codd. ap. Stat. — *Quom cinere incanos* Scal. — *cum tremulo incanos* Ald. 2.

Quom in cinerem canos solvent a vertice crinis
Putridaque infirmis variabunt pectora palmis.
Currite ducentes subtemina, currite, fusi.
  Namque velut densas praecerpens cultor aristas,
Sole sub ardenti flaventia demetit arva,
Troiugenûm infesto prosternet corpora ferro.
Currite ducentes subtemina, currite, fusi.
  Testis erit magnis virtutibus unda Scamandri,
Quae passim rapido diffunditur Hellesponto:
Quoius iter caesis angustans corporum acervis
Alta tepefaciet permixta flumina caede.
Currite ducentes subtemina, currite, fusi.
  Denique testis erit morti quoque reddita praeda:
Quom teres excelso coacervatum aggere bustum
Excipiet niveos percussae virginis artus.
Currite ducentes subtemina, currite, fusi.
  Nam simul ac fessis dederit Fors copiam Achivis
Urbis Dardaniae Neptunia solvere vincla,
Alta Polyxenia madefient caede sepulcra.
Quae velut ancipiti succumbens victima ferro,
Proiiciet truncum submisso poplite corpus.
Currite ducentes subtemina, currite, fusi.
  Quare agite, optatos animi coniungite amores.
Accipiat coniux felici foedere divam,

355. *praecernens* Codd. aliquot. Avanc. Corrad. unde Statius, Lachm. *praecerpens;* quod nunc recepi. — *prosternens* Vulgo. Tum *messor* Aldd. Mur. Sill. 359. *magni* Heins. 361. *augustans* e Cod. Burm. Sec. 364. *dedita* Stat. Doer. Ging. Ast. cfr. Bach. ad Tib. p. 30. 365. *terre excelso* Ven. — *terrae excelso* Guar. Ast. qui confert Aen. 11, 850. — *terreno ex aggere bustum* eoque propendet, ut scribatur *terrae ex celso; terrae e celso* Censor Ien. *Quom Teucrum e caeso coacervatum agmine* Heins. 366. *percussae* Lips. Ven. Marcil. Wak. ad Lucret. 6, 310. Ast. quod de victima legitimum est. — *perculsae* reliqui. 368. *simul hanc* Cdd. aliq. Bachm. ad Tib. p. 61. Sillig. Pro *madefient* Cdd. pleriq. *madescent.* — *mitescent* cum aliis Lachm. ut sit: „Polyxenae sacrificio Achillis umbra mitescet, placabitur." 374. *animis* Lips. Ven. Web. probante Censore Ien. ac videndum, ne *animi*, quod recentt. Edd. occupat, ex interpolatione Avancii sit; ita enim ille in Emendatt.: „Lege: *quare agite optatos, animi*, casu quinto." — *Animi amores* autem explicandum, ut saepe est apud Salustium in primis, *animi cupido* Orat. Philippi 7. *timor animi* Cat. 58. Iug. 20. 384. *praefantes* scil. nuptiis. Cic. de Div. 1, 45. *maiores nostri omnibus rebus agendis, quod bonum, faustum, felix fortunatumque sit, praefabantur.* — *profantes* Mitsch. Doer. Ging. Ast. sine necessitate; „quin et prima in *profari* apud poëtas semper corripitur:" Huschsk. Ep. crit. p. 104. 385. *pectore* Codd. plerique. Ed. pr. neque erat profecto cur lectio Scal. *omine*, quod inest in *felicibus carminibus*, a recentt. praeferretur.

Dedatur cupido iamdudum nupta marito.
Currite ducentes subtemina, currite, fusi.
Non illam nutrix orienti luce revisens,
Hesterno collum poterit circumdare filo.
Currite ducentes subtemina, currite, fusi.
Anxia nec mater discordis maesta puellae
Secubitu caros mittet sperare nepotes.
Currite ducentes subtemina, currite, fusi."
Talia praefantes quondam felicia Pelei
Carmina divino cecinerunt pectore Parcae.
Praesentes namque ante domos invisere castas
Heroum et sese mortali ostendere coetu
Caelicolae nondum spreta pietate solebant.
Saepe pater divom templo in fulgente revisens,
Annua quom festis venissent sacra diebus,
Conspexit terra centum procurrere currus.
Saepe vagus Liber Parnassi vertice summo
Thyiadas effusis euantis crinibus egit:
Quom Delphi tota certatim ex urbe ruentes
Acciperent laeti divom fumantibus aris.
Saepe in letifero belli certamine Mavors
Aut rapidi Tritonis hera aut Rhamnusia virgo
Armatas hominum est praesens hortata catervas.
Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando

Eam reiecit et Ast. *(diviso - - pectine* Voss. i. e. partito labore.) 387. Codd. *Hereus* vel *Nereus* (sic Ed. pr.) ut v. 23. quidam: *Nereos salvete.* Hinc Sigicellus ap. Stat. *Heroum* coni. — *Saepius* Aldd. Doer. Ging., sed sufficit, opinor, ter repetitum *saepe* v. 389, 392, 396. 389. *renidens* Subl., sed cfr. Lucret. 2, 359. *(vacca) crebra revisit ad stabulum.* 390. *quom* Edd. vett. Wakef. ad Lucr. 2, 259. Doer. Sill. — *dum* cum Vulgg. Lachm. 391. In Codd. nonnullis et Subl. ed. *Cretâm* pro *centum;* tum *procumbere;* (quod dedit Lachm.) Sed hoc esset „in terram procidere" satis mirâ sententiâ. — *tauros* Itali: quibus in mentem venerat Virgilianum illud: *Procumbit humi bos.* Wakef. ad Lucr. 2, 259. *Conspexit Cretâ centum prorumpere currus.* Quod ad prius tentamen attinet, *terra* sane admodum languet, sed nec nomen proprium, quod arbitratus est ille, desideratur. Immo possis suspicari: *cretam* (i. e. ad calcem) *centum. Procurrere currus* sollicitandum haud erat. Val. Flacc. 6, 697. *infesto procurrit in agmina curru;* crebra repetitio literarum *c.* et *r.* rotarum strepitum quodammodo refert, ut fere Ennii illud p. 129. tumultum: *Africa terribili tremit horrida terra tumultu.* 395. *lacti - - spumantibus* Voss. 397. Minerva Tritonis lacus domina. — *Μαραθῶνος δὲ σταδίους μάλιστα ἑξήκοντα ἀπέχει Ῥαμνοῦς τὴν παρὰ θάλασσαν ἰοῦσιν ἐς Ὠρωπόν — μικρὸν δὲ ἀπὸ θαλάσσης ἄνω Νεμέσεως ἐστὶν ἱερόν, ἣ θεῶν μάλιστα ἀνθρώποις ὑβρισταῖς ἐστιν ἀπαραίτητος.* Paus. Attic. 33, 2.

Iustitiamque omnes cupida de mente fugarunt,
Perfudere manus fraterno sanguine fratres,
Destitit exstinctos natus lugere parentes,
Optavit genitor primaevi funera nati,
Liber ut innuptae poteretur flore novercae,
Ignaro mater substernens se impia nato,
Impia non verita est divos scelerare parentes:
Omnia fanda nefanda malo permixta furore
Iustificam nobis mentem avortere deorum.
Quare nec talis dignantur visere coetus
Nec se contingi patiuntur lumine claro.

406. *parentes* Scal. (quem vide.) Voss. Vulp. Lachm. Intelliguntur *dii patrii*, melius quam ut sit solitum deorum adiunctum „pater". (*Iane pater* cet.) — *penates* Cett. 410. *contingere* de sole ac lumine passim reperitur. Lucret. 4, 409. *Sol - - montes cominus ipse suo contingens fervidus igni.* ibique Wak.

ELEGIA AD HORTALUM.

Etsi me assiduo confectum cura dolore
Sevocat a doctis, Hortale, virginibus,
Nec potis est dulcis Musarum expromere fetus
Mens animi: (tantis fluctuat ipsa malis;
Namque mei nuper Lethaeo gurgite fratris
Pallidulum manans alluit unda pedem;
Troïa Rhoeteo quem subter litore tellus,
Ereptum nostris obterit ex oculis.
Tu mea tu moriens fregisti commoda frater,
Tecum una tota est nostra sepulta domus;
Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
Quae tuus in vita dulcis alebat amor.
Hei misero fratri iucundum lumen ademptum!
Nunquam ego te, misero frater adempte mihi
Alloquar, audiero nunquam tua *facta* loquentem?
Nunquam ego te, vita frater amabilior,
Aspiciam posthac. At certe semper amabo,
Semper maesta tua carmina morte canam,
Qualia sub densis ramorum concinit umbris
Daulias absumpti fata gemens Ityli:)
Sed tamen in tantis maeroribus, Hortale, mitto
Haec expressa tibi carmina Battiadae:
Ne tua dicta vagis nequidquam credita ventis
Effluxisse meo forte putes animo,

ELEGIA AD HORTALUM.

2. Probabiliter intelligitur Q. Hortensius orator, quem Cic. Att. 2, 25. 4, 15. Hortalum nominat, cuiusque nepos M. Hortalus memoratur Tac. Ann. 2, 37. et Suet. Tib. 47. Valck. tamen, quum Codd. et Edd. vett. habeant *Ortale*, nomen Graecum fictum censet Ὄρταλος. Sed Italorum more adspiratio videtur omissa esse. 4. *icta* Heins. 8. *obtegit* Codd. Voss. 9 — 14. h. l. ex Elegia ad Manlium inseruit Lachmannus. 15. Deest in Cdd. aliq. — *audiero nunquam* e Cdd. et Edd. vett. Sill. Lachm. Vulgo: *Alloquar? audierone unquam.* Tum pro v. *facta*, multi *verba.* Utrumque v. cum aliis omisit Lachm. 20. *Daulias* h. l. Philomela, sic dicta ab urbe Daulia in Phocide, ubi teste Thucyd. 2, 29. sedem habuit Tereus. Ib. *Itylus* ut Odyss. τ, 518. idem qui alias Itys. v. Voss. ad Virg. Ecl. 6, 80. 22. *experta* Voss. e Codd. Retinent Valck. Fosc. — *excerpta* Scal. — *expressa* Ald. Doer. Sill. Lachm. nunc praetuli. Ib. *Battiadae*] „Non a conditore Cyrenes, sed ab ipso patre Callimachus fuit Battiades dictus; nam Battum, virum bello clarum, patrem habuisse, matrem Mesatmen novimus e Suida.” Valck. Ipse se ita appellat Callimachus Epig. 37.

Ut missum sponsi furtivo munere malum
  Procurrit casto virginis e gremio,
Quod miserae oblitae molli sub veste locatum,
  Dum adventu matris prosilit, excutitur:
Atque illud prono praeceps agitur decursu,
  Huic manat tristi conscius ore rubor.

DE COMA BERENICES.

Omnia qui magni dispexit lumina mundi,
  Qui stellarum ortus comperit atque obitus:
Flammeus ut rapidi solis nitor obscuretur,
  Ut cedant certis sidera temporibus,
Ut Triviam furtim sub Latmia saxa relegans,
  Dulcis amor gyro devocet aërio:
Idem me ille Conon caelesti munere vidit
  E Beroniceo vertice caesariem
Fulgentem clare: quam multis illa dearum,
  Levia protendens brachia pollicitast:

29. *Atque illinc* Voss. Codd. Ib. *praeceps dum agitur* Doer. coni. 30. *hinc* Aldd. ex Av. emend.

DE COMA BERENICES.

(Consului nunc etiam libellum sic inscriptum: *De C. Valerii Catulli elegia Callimachea dissertatio critica: scripsit* Franciscus Brueggemann. *Susati.* MDCCCXXX. 8. Signavi *Br.*)

1. *dispexit* Calphurnius 1481. — *despexit* Codd. Ed. princ. (ut Lucr. 2, 742. *caecigeni qui solis lumina nunquam despexere* Wak. ex Edd. vett. dedit pro Av. *dispexere*, et Lamb. *aspexere*). — *descripsit* Bentl. Ib. *moenia* Voss. „Sed, amabo, an apud quemquam poëtarum reperias *omnia mundi moenia?* Quot enim sunt?" Bentl. 2. *abitus* Codd. aliquot. 5. *Λάτμιον ἄντρον* Apoll. Rhod. 4, 57. in Caria v. Visconti Museo Pio-Clem. 4. T. 16. p. 116. Ed. Med. Ib. *sublimia* Y. Ed. pr. unde Cod. Paris. et Voss. — *sub Lamia* i. e. iuga Oetae montis, ad cuius radices sita erat urbs Lamia. 6. *givodero* Y. al. ap. Stat. — *gyro* Ed. 1474. — *clivo* Ed. 1481. Voss. — *curru* Santen. Ut γῦρον τῆς γῆς Iesaias 40, 22. ita γῦρον ἠέριον, gyrum, orbem caeli dixisse videtur Callimachus. 7. Ἠ με Κόνων ἔβλεψεν ἐν ἠέρι, τὸν Βερενίκης βόστρυχον, ὅν κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς. Callim. — *caelesti munere* Codd. Ed. princ. Sant. — *caelestum munere* Valck. — *caelesti numine* Codd. Stat. Sill. Lachm. Br. — *caelesti lumine* Canter. coni. Fosc. — *caelesti in lumine* Voss. Vulp. — *caelesti in limine* Heins. 8. *Beroniceae* Fab. prob. Valck. sed refelluntur antiqua auctoritate Cornelii Galli qui falso fertur, ap. Wernsdorf. Poët. L. min. 3. p. 197. *E Beroniceo detonsum vertice crinem, Retulit esuriens Graecus in astra Conon.* (cfr. Iuv. 3, 69.) Scripturam *Beronice* praefert Niebuhr *Opuscc.* T. 1. p. 237. *Βερνίκη* est apud Lucam *Act. Ap.* 25, 23. H. l. plerique scribunt *Bereniceo.* Ita v. 60. *Ariadnaeis temporibus.* Eleg. ad Manl. 74. *Protesilaëam - - domum.* 9. *dearum* Codd. omnes. Edd. vett. Fosc. Lachm. Web. — Recentiores aliq. Edd. *deorum*, propter v. 33.

Qua rex tempestate, novo auctus hymenaeo,
Vastatum finis iverat Assyrios,
Dulcia nocturnae portans vestigia rixae,
Quam de virgineis gesserat exuviis.
Estne novis nuptis odio Venus? anne parentum
Frustrantur falsis gaudia lacrimulis,
Ubertim thalami quas intra limina fundunt?
Non, ita me divi, vera gemunt, iuerint.
Id mea me multis docuit regina querelis,
Invisente novo proelia torva viro.
At tu non orbum luxti deserta cubile,
Sed fratris cari flebile discidium,
Quom penitus maestas exedit cura medullas!
Ut tibi tunc toto pectore sollicitae
Sensibus ereptis mens excidit! Atque ego certe
Cognoram a parva virgine magnanimam.
Anne bonum oblita es facinus, quo regium adepta es
Coniugium, quod non fortior ausit alis?

Perperam de totius loci integritate dubitavit Valck. cfr. Haschk. ad Tib. T. 2. p. 481. 11. Ita Codd. at Epith. Pel. v. 25. *taedis felicibus aucte* Hiatum duobus modis sublatum iverunt: 1) *novis auctus hymenaeis* Ald. 2) *novo mactus hymenaeo* Dacieria, Withof. Valck. 17. *lumina* Ambross. 4. Ed. princ. 18. *iuerint* ita Codd. aliquot, ut ante Gernhardum in Ennii loco ap. Cic. Cat. mai. 1. edebatur *adiuero*. Terent. Phorm. 3, 3, 4. *adiuerit* Faërn., ubi nunc ille *adiuro*, Bentl. *adiurit* praetulerunt. Dubitatur item, an *v* eiici possit, quum radicis pars sit. Duplicem vero licentiam concoquere malim, quam aut *iuverint* recipere cum Vossio, (cfr. Eleg. ad Manl. 42.) aut probare liberrimam Withof. suspicionem *Non, ita me Divi, vera queruntur, ament*, aut durissimam Heinsii a Valck. receptam: *Non ita, ne Divi, ut vera gemant, sierint.* 21. *At tu non*] Aldd. Valck. Lachm. — *Et tu non* Ambrr. 3. Ed. princ. Sill. — *An tu non* Excerpta Perrei. Sant. 22. *Sed* Codd. Edd. vett. Aldd. — *et* Voss. Doer. — (*discidium* Ed. princ. Ald. 1. *dissidium* Ald. 2.) 23. *Quam* Bentl. coni. quam egregiam iudicat Huschk. ad Tib. T. 1. p. 388. cfr. T. 2. p. 711. recepitque Valck. Sed quum passim Catullus uno circuitu complectatur distichon cum alterius hexametro integro aut dimidio, ut ad Hortal. 17. Com. Ber. 8, 14, 52, 60, 66, 80, 90. ad Manl. 12, 16, 28, 70, 74, 82, 126 cet. eâ denuo reiecta, exclamationis signum, quod Foscolus post v. 22. primus intulerat, v. 23. apposuimus. 24. *nunc* Ed. pr. Fosc. 25. *erectis* Codd. Ambros. Hinc *e rectis* Voss. Valck. Fosc. Sill. Web. — *ereptis* Ed. princ. Ald. Doer. Lachm. Br. idque nunc praetuli. Ib. *atque ego* Cod. Voss. Ed. pr. Aldd. Fosc. — *ast ego* Cod. Ambros. A. Muret. Sant. Valck. — *at ego* Codd. Ambros. 2. unde Voss. Lachm.: — *at te ego* (*atqui ego* Scal. Doer.) 27. *quo* Cod. Leid. — *quod* Aldd. Scal. Valck. — *quum* Faërnus. 28. (*alis* pro alius. *alid* habet Catull. 29, 16.) — *ausit alis* Codd. Perreii, Colotii. — *aut sit alis* Codd. plerique. Ed. pr. Scal. — *auxit avis* Aldd. — *ulla cluit* With. Valck. Blandior est Mureti emend. *quo non fortius ausit alis;* sicque Lachm. Br. Cfr. Tertull. de pallio Ed. Salmas. p. 44. *alis bestiola.*

Sed tum maesta virum mittens quae verba locuta es!
Iuppiter, ut trîsti lumina saepe manu!
Quis te mutavit tantus deus? an quod amantes
Non longe a caro corpore abesse volunt?
Atque ibi me cunctis pro dulci coniuge divis
Non sine taurino sanguine pollicita es,
Si reditum tetulisset. Is haud in tempore longo
Captam Asiam Aegypti finibus addiderat.
Quîs ego pro factis caelesti reddita coetu
Pristina vota novo munere dissoluo.
Invita, o regina, tuo de vertice cessi,
Invita, adiuro teque tuumque caput!

30. *teristi* Codd. — *tersti* Av. Aldd. 33. *Atque ibi me cunctis* Colotius, Perreius; Sill. Lachm. Br. Cfr. in primis Silligium, qui pristinum meum errorem recte correxit. Scil. Callimachus ipse: *τὸν Βερενίκης Βόστρυχον, ὃν κείνη πᾶσιν ἔθηκε Θεοῖς.* et Hyginus Astron. 2, 21. testatur Berenicen crines Diis devovisse. — *Atque ita me c.* Cod. Bodl. prob. Valck. — *At quae ibi, pro* (vel *proh*) *cunctis* Fuscus. Scal. — *Atque ibi pro cunctis* Cdd. aliq. Ed. pr. 35. *tetulisset* (*audisset* Codd. aliquot. Ed. pr.) *is aut* Codd. Ambr. Edd. vett. — *tetulisset is, haud* Av. Aldd. Ib. *addiderat* Codd. Ambros. 4. Ed. pr. — Valck. Dacieriae coni. recepit: *Si reditum tetulisset is, aut ni tempore - - addiderit.* (*addiderit* Edd. vett.), sed omisso ingratissimo temporum dissensu, quem devitaturus Valck. probavit etiam Guarini *adiiceret*, (proponens insuper: *is, hautque in - - addiderit*, languide satis;) neminem fugere arbitror, quanto magis deceat reginam pro solo amatissimi coniugis reditu vota concipere; quantoque maioribus cum nervis prospere cessisse Ptolemaei expeditionem declaret Vossii distinctio, quam cum Fosc. praetulimus. (sicque post me etiam Sill. Lachm.) 38. *dissolui* Valck. 40. *σήν τε κάρην ὤμοσα σόν τε βίον.* Callim. 41. *Digna feram, quod si quid inaniter adiurarim* Guar. 42. *quis* cum aliis Sill. Vulgo *qui.* 43. *maxima* Codd. omnes. Ed. pr. Aldd. Lachm. — *maximum* Guar. Scal. Ib. *in oris* Vulp. „in litoribus." Sed minus solite dictum esse videtur pro *in terrarum oris.* Lucret. 4, 216. et magis apposite Virg. Aen. 3, 97.: *Hic domus Aeneae cunctis dominabitur oris.* quod non agnoscens Valck. rècepit Italicam interpolationem Cod. Saibant. eandemque Aurati coni. *in orbe.* Altera interpol. in Edd. vett. comparet: *maxima natu.* 44. *Phytiae*, *Phithiae*, *Phthiae* Codd. Edd. vett. — *Thiae* Voss. Bentl. Sol, Thiae et Hyperionis filius. Hesiod. Theogon. 371. Pind. Isthm. 5, 1. *Μᾶτερ Ἁλίου πολυώνυμε Θεία.* 45. *propere* (sic Lachm.), *propriore*, *properare* (sic Cod. Ambros. Y. Fosc.), *perrupere*, *prorupere* Codd. et Edd. vett. — *rupere* Guar. Heins. — *irrupere* Av. Aldd. — *pepulere* Stat. Sant. — *peperere* Voss. Doer. Valck. omnia vel corrupta, vel incerta; *properare* certe cum Dacieria pro *properavere* explicari nequit. Nescio cui in mentem venit: *proruere*, prima correpta, ut 64, 261. *audire profuni* Lucret. 6, 447. *atque procellas* cet., sed hoc quoque parum placet. Alius excogitavit: *rapuere* ex Pers. Sat. 5, 140.: *Aegaeum rapias.* — *propulere* Crit. Ienens. collato Propert. 3, 21, 11. *tuque tuo Colchon propellas remige Phasin.* 47. *faciant* Cod. Bodl. prob. Sant. reiicit Valck. 48. *celitum*, *caelitum*, *coelorum*, *telorum*, *scelerum* (ita Ambros. 4.) Codd. Sed quum Schol. ad Apoll. Rhod. 2, 375. Paris. et Vulg. haec habeant: *Χάλυβες (ἔθνος Σκυθικόν, μετὰ τὸν Θερμώδοντα,) οἱ σμυγερώτατοι καὶ ἐπιπονέστατοι τῶν ἀνθρώπων, ἀτει-*

Digna ferat, quod si quis inaniter adiurarit!
    Sed quis se ferro postulet esse parem?
Ille quoque eversus mons est, quem maximum in oris
    Progenies Thiae clara supervehitur:
Quom Medi pepulere novom mare quomque iuventus
    Per medium classi barbara navit Athon.
Quid facient crines, quom ferro talia cedant?
    Iuppiter, ut Chalybôn omne genus pereat
Et qui principio sub terra quaerere venas
    Institit ac ferri frangere duritiem!
Abiunctae paullo ante comae mea fata sorores
    Lugebant, quom se Memnonis Aethiopis

ρέα καὶ σκληρὰν γῆν οἰκοῦντες, ἐργάται ὄντες τοῦ σιδήρου. Καλοῦνται δὲ οὕτως ἀπὸ Χάλυβος, υἱοῦ Ἄρεος. Μέμνηται τοῦ ἔθνους καὶ Καλλίμαχος· Χαλύβων ὡς ἀπόλοιτο γένος γειόθεν ἀντέλλοντα (σίδηρον) κακὸν φυτὸν οἵ μιν ἔφηναν, Politianus inde exsculpsit *Chalybôn*, quod cum Aldd. Fosc. Sill. retinui; maxime propter Vitruvii 4, 1. *in Dorieon civitatibus*. et supersunt eius formae vestigia etiam in Codd. Epp. Cic. Similem flexionem decl. secundae Codd. et Edd. vett. agnoscunt etiam Tib. 4, 64. *Cimmeriôn etiam* — ubi tamen cum Broukh. ex 2 Codd. *Cimmeriorum etiam* edidit Huschke, qui Tib. T. I. p. 264. proponit *Iuppiter, ut pereat omne genus Chalybum*, parum probabiliter. (*Chalybum* in medio versu Lachm.) Valck. recipere ausus est Withofii coni. *Telchinum*. de quibus vide v. c. Neumann Rerum Creticar. spec. p. 38. et quos ibi laudat. „Vagantes sunt homines Sicyonem Peloponnesi Cretamque antiquissimis temporibus habitantes; stabilia postremum Ialysi in Rhodo insula nacti sunt domicilia; primae Apollinis statuae (et tridentis Neptunii. Callim. H. in Del. 30.) ferebantur auctores: scelerosi et malefici perhibentur. cet." Withof praeterea laudavit Stat. Theb. 2, 274. Ovid. Met. 7, 365. (*sicelicum* Scal. *Celtum* Voss.) 50. *frangere* Codd. plerique Aldd. Valck. — *fringere* Cod. 3. — (*infringere* Sant.) — *fingere* Cod. Ambros. A. Voss. Fosc. 51. *abruptae* Scal. e Cod. Propter adv. *paullo ante*, quod ad comam inter sidera relatam, non vero ad reliquos Berenîces crines referatur necesse est, interpretare cum Dacieria et Valck.: *sorores lugebant mea fata comae paullo ante abiunctae.* (casu secundo.) „sic *mea pallentis membra; meus miserae flammas* et similia dixerunt. v. Heins. ad Ovid. Her. 5, 45." Valck. 52. *Memnonis unigenam* ab interprett. falso habitum esse pro Zephyro, Aurorae cum reliquis ventis filio (Hesiod. Theog. 378.), demonstravit Monti (Del Cavallo alato d'Arsinoe, lettere filologiche di V. Monti. Milano 1804. 8.) „Verum significatum aperire Pausaniam Boeot. 31. καὶ Ἀρσινόης ἐστὶν ἐν Ἑλικῶνι εἰκών, ἣν Πτολεμαῖος ἔγημεν ἀδελφὸς ὤν· τὴν δὲ Ἀρσινόην στρουθὸς φέρει χαλκῆ τῶν ἀπτήνων. Eadem igitur forma fuisse imaginem Arsinoes s. Veneris Zephyritidos in promontorio Zephyrio perquam credibile esse; struthiones autem Ptolemaeis fuisse in deliciis constare ex Athenaeo 5, 8. (ubi in Philadelphi pompa Bacchica memorantur στρουθῶν συνωρίδες ὀκτώ). Struthionem igitur esse famulum Zephyritidos; (ut *aprum Calydonium* Dianae, Ovid. Met. 8, 272. *cervam* eiusdem Deae Sil. 13, 123. *leonem Nemeaeum* Idaeae matris Manil. 4, 760. *aquilam* Iovis Iuven. 14, 81. *serpentem* Anchisis Virg. Aen. 5, 95. itemque Naïadum Sil. 6, 288. quamquam et *Zephyrus*, quod Montium fugit, Cupidinis famulus vocatur Appul. Met. 5. p. 330. Oud.) Neque obstare censet, quod struthio a

Unigena impellens nutantibus aëra pennis
Obtulit Arsinoës Locridos ales equos.
Isque per aetherias me tollens avolat umbras
Et Veneris casto conlocat in gremio.
Ipsa suum Zephyritis eo famulum legarat,
Grata Canopeis incola litoribus,
Scilicet in vario ne solum limite caeli
Ex Ariadnaeis aurea temporibus
Fixa Corona foret, sed nos quoque fulgeremus
Devotae flavi verticis exuviae.

terra non facile tollatur; cogitandum enim esse non iam mortalem, sed Divae ministerio aptum. Struthio autem, pergit ille, Memnonis unigena, i. e. genitus una (Epith. Pel. v. 300.) perhibetur, quia, quum in rogo Memnon cremaretur, ob preces Aurorae in avem mutatus est, eiusque ex cineribus multae simul aliae evolaverunt, Memnoniae s. Memnonides dictae. Ovid. Met. 13, 607. — *sorores innumerae, quibus est eadem natalis origo, cineri cognata sepulto corpora.* Memnonides vero aves quae proprie sint, quum haud accurate definierint antiqui, nihil sane vetare arbitratur, quo minus Aethiopis Memnonis unigenam, struthionem, avem item Aethiopicam Callimachus nuncupaverit." — Sed ne quid dissimulem, obstat adhuc auctoritas Aeliani H. A. 5, 1. de avibus istis haec tradentis: γῆν τὴν Παριανῶν καὶ τὴν γείτονα Κύζικον ὄρνιθας οἰκεῖν μέλανας ἰδεῖν φασι, τὸ δὲ σχῆμα εἴποις ἱέρακας αὐτοὺς ἄν. v. Heyn. Excurs. 3. ad Aen. 11. p. 637. Ita h. l. *unigena* non una genitus erit, sed ex eadem gente oriundus. Ceterum Viscontius provocans ad Valck. (Theocr. Adoniaz. p. 355.) in Hedyli Epigr. Anthol. Palat. 2. p. 764. pro εἰδείης, cui Iacobs recte substituit αἰδοίης — — Ἀρσινόης, Ἱππείης emendantem, hunc locum laudat, quasi v. 54. legeretur *ales*, *eques*, et explicat de vento alato, cuius effigies fuerit in Arsinoes delubro. Iconogr. gr. T. 3. p. 221. 53. *natantibus* Mur. — *nictantibus* Bentl. Valck. prob. Wakef. ad Lucret. 6, 836. *Heic* (aves) *ubi nictari nequeunt insistereque alis*, ubi Festi auctoritate nititur. Codd. *nixari*. Sed ideo ubique intrudendum non erat; v. rectissime de his verbis *nutare*, *nutare*, *nictare* iudicantem Oud. ad Appul. Met. 6. p. 409. *libratisque pinnarum nutantium molibus.* — *ales equos* Ed. princ. Sill. Lachm. antiqua scriptura. 54. *locridicos* Statii Codd. — *docridicos* Leid. — *elocridicos* Cod. Ambros. Y. — *Chloridos* Ed. pr. Doer. qua ex ratione Chloridos equum dici olim asseverabant Zephyrum eiusdem maritum, vel Arsinoen Chloridos quoque cognomentum habuisse somniarunt. Sed praeclare Bentl. coni. *Locridos*, ex Virg. Aen. 11, 265. *Lbycone habitantes litore Locros?* ubi Servius: *Locri socii Aiacis Oilei fuerunt Epizephyrii et Ozoli:* (Ozolae) *sed hi tempestate divisi sunt — Ozoli delati Pentapolim.* Et in Pentapoli Africae s. Cyrenaica fuit Ζεφύριον ἄκρον. 55. *advolat* Codd. Edd. omnes. — *avolat* egregia est Canteri correctio, recepta etiam a Sill. In vulgari lectione bis idem dicitur, *se obtulit et tollens* (pro *sublaturus*) *advolat.* Ib. *umbras* Codd. Ambros. 4. Ed. princ. Stat. Scal. Voss. Fosc. Noctu enim sublata est coma. — *auras* Calphurn. Aldd. Cant. Doer. Valck. quod de coma Ariadnaea recte dixit Ovid. Met. 8, 179. *tenues volat illa per auras.* Zannonius (v. *Antologia di Firenze Nov.* 1830. p. 122.) legit *ales eques* explicatque de Lucifero, Veneris astro, unigena i. e. fratre Memnonis, quia ipse quoque Lucifer Aurorae filius; stellas autem equis vehi; *alitem* denique dici Luciferum, ut apud Valerium Flacc. *Arg.* 6, 527. *roseis it Lucifer alis.* Nihilominus praefero equidem Montii rationem probatam etiam Brueggemanno. 56. Per

Uvidulam a fluctu cedentem ad templa deûm me
Sidus in antiquis diva novom posuit:
Virginis et saevi contingens namque Leonis
Lumina, Callisto iuncta Lycaonidi,
Vertor in occasum, tardum dux ante Booten,
Qui vix sero alto mergitur Oceano.
Sed quamquam me nocte premunt vestigia divom,
Lux autem canae Tethyi restituit,
(Pace tua fari hîc liceat, Rhamnusia virgo;
Namque ego non ullo vera timore tegam,

Venerem cum Turnebo, Foscolo ac Montio intellige ipsam Zephyritidem in caelo degentem, non vero, ut Contius voluit, Caelestem, ab illa diversam. 58. *Canopeis* Ald. 2. reliquae *Canopiis*. — *Graia Canopieis* e Cdd. *Gratia Can.* fecit Lachm. coni. *Graia* sane dissyllabum est. Iuven. 8, 226. *Prostitui Graiaeque apium* cet. Haereo tamen in forma *Canopieis* ex Κανωπείοις. Ib. *incola* (ut fere Minerva *incola Itoni* Epith. Pel. 228.) h. l. Diva indiges, grata Aegypto. Durissime sane Voss. *in loca*, in quo defendendo atque explicando nollem tantopere se torsisset Valck.: „Suum vero famulum quo miserat Zephyritis? Alexandriam ad templum, in quo coma fuerat dedicata; atque adeo *in loca grata litoribus Aegypti;* ab Aegypto distinguebatur Alexandria cet.". 59. Versus conclamatus. — *ni dii ven ibi vario* Codd. Voss. — *hy dy venibi vario* Cod. Ambros. Y. (sicque Lachm.) — *hi dii ibi vario ne solum sub limite* Ed. princ. — *Gnata C. incola l. Ludit ubi* Scal. — *Sidere ibi vario* Voss. — *Scilicet in vario* Ed. 1474. Aldd. quod, etsi incertum, cum Valck. et Fosc. retinuimus. Voc. *scilicet* incredibilem in modum propter scripturae compendia corrumpi solet ubique. Ienensis aliquis criticus volebat: *Lumen ibi vario*, mira appositione; atque insuper otiosum sic remaneret voc. *lumen*. Ib. *limite* cum Doer. Fosc. e Codd. Cfr. Ovid. Met. 2, 130. A. Gell. 2, 2. *Satis notum est limites regionesque esse caeli quattuor* cet. — *limine* Stat. — *lumine* Scal. Voss. Valck. 63. *uvidulam a fluctu* Codd. Ambros. 4. Ed. princ. Voss. in notis. Valck. Fosc. — *uvidulum a fluctu* Voss. in contextu, idque interpretatur: roscido Oceani aëre madentem; *uvidulam a fletu* Fuscus, Av. Aldd. Mur. Doer. — *Vividulo a flatu* vel *afflatu* Scal. Quum *a fluctu* vix patiatur Vossianam interpretationem, mihi quidem placeret: *uvidulam afflatu* alitis equi, ut Virg. Ge. 1, 250. *Nosque ubi primus equis Oriens afflavit anhelis;* neque ingrati quidquam habebit imago, ubi caelestem equum cogitaveris. Pro *deûm me* Rheg. Guar. Aldd. Codd. fere *decunae*, *decumae*, *dianae*, *dione* Rom. Vic. Brix. *dionae* codex Saibantis: unde Santen. *Uvidulae a fluctu cedentem templa Dionae.* 65. *contingens ora leonis* Ald. 1. 66. Cum Valck. praetuli Anonymi coni. *Callisto (Callistoe* Edd. vett.) *iuncta Lycaonidi.* — *iuncta* praebet Codex Saib. Edd. vett. — *iucta*, *iusta*, *iuxta* alii Codd. ultima correpta contra usum etiam Lucretii 1, 846. corripit utique Auson. Praef. ad Theod. 16. Codd. Ambros. 4. al. dein *Lycaonia*, ex quo, si *iuxta* retineatur, recte fecerunt *Lycaonida*, *Lycaoniae* Codex unus a manu sec. Edd. vett. Doer. Foscoli *Callisto iusta Lycaonidi* triplici difficultate laborat. Sill. Lachm. *iuxta* (contra metrum) *Lycaonida.* 70. *Lux aut cavae Thesei restituo* Ed. princ. etsi praeterea variant libri, „nihil in recepta *Luce autem - - restituor* videbatur minus Catullianum." Valck. Recte tamen Lachm. et Br. e Cdd. vestigiis correxisse videntur: *Lux autem - - restituit.* 71. *hic* Ed. princ. Ed. 1487. Fosc. — *haec* est Avancii correctio, quam omnes retinuerunt.

Nec si me infestis discerpent sidera dictis,
    Condita quin veri pectoris evoluam:)
Non his tam laetor rebus, quam me abfore semper,
    Abfore me a dominae vertice discrucior:
Quîcum ego, dum virgo quondam fuit omnibus expers,
    Unguenti si una milia multa bibi,
Nunc vos, optato quas iunxit lumine taeda,
    Non post unanimis corpora coniugibus
Tradite nudantes reiecta veste papillas,
    Quin iucunda mihi munera libet onyx,

73. *nec* Valck. Fea ad Horat. Tom. 2. pag. 320. e Codd. — *non* reliqut. Ib. *dextris* Bentl. coni. Valck. „*dictis* aliquem infestis *petere*, *corripere*, *mordere* dici commode potuit; nescio an etiam *discerpere*." Valck. Noli dubitare: Sallust. Iug. 85. *quum me vosque maledictis lacerent;* et *convicio proscindere*, vel simpliciter *proscindere* hoc eodem significatu tralatitium est. — *discerpent* dedi cum Lachm. pro *discerpant*. 74. *veri* e Codd. praetuli cum Valck. et Fosc. — *veri pectoris* est simplicis atque aperti. „ut ex animi sententia eloquar." — *verei* eodem, credo, significatu Lachm. Cur autem hoc loco ista forma retineatur, non video. — *vere* Ceteri, etiam Fea l. l. et Sillig. 77. *dum* firmant Codd. plerique. — *quum* Scal. Voss. Vulp. Reliquorum lectio incertissima est. Ib. Codd. *omnibus expers Unguentis una* (unus Dati Cod. *vini) millia multa bibi*. Pro *una*, *crocini* Heins. *murrae* s. *myrrhae* Voss. quem deinde omnes secuti sunt, etiam Valck. Fosc. Explicant autem: Omnium unguentorum multis ex succis compositorum expers, simplici myrrha inungi solebam. (Plin. H. N. 13, 1. *Myrrha et per se unguentum facit*, *stacte dumtaxat.)* Hoc quum quibusdam mirum videretur, regiam virginem, eandemque ex Ptolemaeorum stirpe prognatam, una myrrha contentam, delicatioribus unguentis abstinuisse, eo devenere, ut tribus in locis, hîc, Horat. Sat. 2, 8, 15. Pers. 6, 39. adi. *expers* contrario sensu pro *participe* usurpari statuerent. v. c. Monti ad Persii l. l. — *expersa* Heins. — *explens* Doer. — *expleta* Perrei, Colotii, Minturni excerpta, id est, correctores Itali, quos secutus est Valck. Sed hac in elegia nimis offendit versus hypermeter durissimus. Alia enim est ratio eorum, qui in *que* exeunt. Epith. Pel. 299. Carm. 115, 5. Elegans denique est, sed omni probabilitate destituta Aurati suspicio: — *ominis expers Unguenti Assyrii millia multa bibi*. Novam emendandi rationem suggessit mihi Athenaeus 15, 12. p. 689. Schweigh. ἤκμασε δὲ καὶ τὰ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ (μύρα) διὰ πλοῦτον καὶ διὰ τὴν Ἀρσινόης καὶ Βερενίκης σπουδήν. Ἐγίνετο δὲ καὶ ἐν Κυρήνῃ ῥόδινον χρηστότατον, καθ' ὃν χρόνον ἔζη Βερενίκη ἡ μεγάλη, vel potius ἡ Μάγα, quae, utcunque legunt Critici, nostra est. *rhodini* ergo, nostram coniecturam Vossianae substituimus, ut coma hoc dicat: omnibus aliis unguentis posthabitis, uno rhodino s. rosaceo perfundebar Cyrenis, dum virgo fuit Berenice. — Haec scripseram in Ed. pr. itaque edideram: *Quícum ego, dum virgo quondam fuit, omnibus expers Unguentis, rhodini milia multa bibi.* Nunc melior videbatur Lachmanni et Br. ratio, quam exhibui. Iam si iungimus cum Sill. et Lachm. *dum virgo quondam fuit omnibus expers* minime supplendum erit *malis*, quemadmodum fere vult Sill., ita interpretatus: „Berenicen tranquille vitam, nulla re turbatam egisse": sed erit *omnibus* viris *expers*, ἀταύρωτος. (Sillig edidit: *Unguentorum una milia multa bibi*, probante Censore Ienensi.) 79. *quas*] Valck. Fosc. Sill. e Codd. et Edd. vett. — *quae* Rheg. (Voss) — *quem* (Ed. pr.) — *quum* (Corrad.) — *Nuuc*, *vos optato quam i.*

Voster onyx, casto petitis quae iura cubili.
  Sed quae se impuro dedit adulterio,
Illius ah mala dona levis bibat irrita pulvis!
  Namque ego ab indignis praemia nulla peto.
Sic magis, o nuptae, semper concordia vostras
  Semper amor sedeis incolat assiduus.
Tu vero, regina, tuens quom sidera divam
  Placabis festis luminibus Venerem,
Unguinis expertem non siveris esse tuam me,
  Sed potius largis affice muneribus.

cum Cd. uno a sec. manu Lachm. Sed nimis violenter sic distrahi videtur particula *postquam*. 80. *Non post unanimis corpora coniugibus*, ita Codd., nisi quod quidam habent vel *corpore* vel *vincula*, ut Perreii et Colotii collationes, s. interpolationes, Vic. Brix. unde Heinsius divinabat *cingula*. *Post* autem, quum ridicule satis interpretari solerent, *coniugibus*, *qui post nuptias non iam erunt concordes*, Palladius Fuscus in *prius* mutavit, idque amplexi sunt Av. Aldd. Valck. Fosc. Sed hoc voluit Catullus: Nunc, ex quo in sidera relata sum, *post*, (in posterum, posthac, ut iam accepit Voss.) nolite coniugibus tradere corpora, *quin* cet. 81. *retecta* Codd. Voss. Ambros. 3. 82. *quam* Codd. sex. — *quum* Ed. pr. — *qua* Scal. Voss. — *quae* Fab. Vulp. Optima videbatur Lachm. coni. *quin:* quamquam Censor Ien. *quam* explicat *quam si:* mirum tamen sic quoque: *non post - - quam si*. Totum locum absurde ita exponebat: Nunc vos, corpora, quae taeda iunxit lumine optato coniugibus non post unanimis, nudantes papillas reiecta veste, tradite mihi munera iucunda, quae onyx mihi libet. 83. *petitis* Cod. Scal. Ed. pr. al. vett. Valck. Fosc. Scil. *iura petere* ex antiqua iuris formula idem est quod nunc dicimus, ad tribunal recurrere. (Plin. H. N. 5, 1. *iura Baeticam petere iussa* cet.) h. l. translate, quae me tanquam coniugii arbitram ac tutelam veneramini; *quiritis* Codd. Ambros. 3. *quam ritis*, *quaeritis*, Codd. aliquot. unde Stat. *quatitis*, alius autem interpolator *colitis* Ed. 1481. Aldd. 84. *dedat* Codd. aliquot et Edd. quaedam vett. — *foedat* Perreius, Colot. solita interpolatorum elegantia, cui obnoxius h. l. quoque fuit Santenius. 85. *illius a mala dona levis bibat irrita* Codd. Ambros. 4. hocque cum Stat. Fosc. al. praetuli scribens *ah*. — *illius mala dona l. b. irrita* Ed. pr. Ald. 1. Hinc demum nata videtur elegans, sed Itala correctio: *illius aura levis bibat et dona irrita* in Codd. quibusd. (v. Valck. p. 197.) Ed. 1474. Ald. 2. recepta a Valck. 86. *ab indigetis* Codd. Ambros. Y. C. — *ab indigenis* Cod. Ambros. B. — *Namque ego indignatis* Cod. Ambros. Q. Voss. (i. e. „ab illis quae indignae fuerint iudicatae." Voss.) 87. *Sed magis* Ed. princ. Lachm. 88. *semper concordia*, *vostras*, *semper Amor sedes incolet* Valck. 91. *Sanguinis expertem vestris* (ita plerique; Ed. princ. *verbis monstres* Colot. *votis* Pontan.) Ib. *non esse tuum* (*tui* Colot. *meum* Palat.) *me* ita corruptissime Codd. et Edd. vett. Nullus liber Ms. *tuam*, quae est Avantii coni. — *Unguinis* Bentl. coni. — *non siveris* Scal. — *tuam* Ald. — *Unguinis expertem non siveris esse tuam; me sed potius largis affice muneribus* Valck. — *affice* Colot. Scal. — *Unguinis expertem non siris esse tuam me*, *Sed potius largis affice muneribus* cum Lachm. nunc dedi, nisi quod cum Br. metri causa *siveris* Scaligeri integrum retinendum erat. In altera lectione, quam olim exhibui: *Unguinis expertem non siveris esse: tuam me Sed potius largis effice muneribus*, placebat ratio, quam haec lectio melius indicare videtur, cur in penultimo versu desideret, rursus ut coma regia fiat: sed non sine

Sidera corruerint utinam! Coma regia fiam!
Proximus Hydrochoi fulgeret Oarion!

violentia a praecedd. vv. diiunguntur vv. *tuam me*. Silligius sic: *Venerem Sanguinis expertem, non verbis esse tuam me, Sed potius largis effice muneribus;* sed Veneris epitheton *sanguinis expertem* h. l. otiosum esse videtur; nec placere potest constructio: *effice me tuam esse*, nec *verbis* pro *precibus*, *votis* positum. Br. denique: *Unguinis expertem non siveris esse tui me, sed - - effice:* verum maior inest affectus in lect. *tuam me*. 93. Hic quoque inter omnes maxime mihi placuit Lachm. coni.; quamvis nec ipsa prorsus certa; blandiri potest etiam: *Sidera cur retinent? utinam c. r. f.* Vulgatam *Sidera cur iterent?* Weberus explicat: „statum suum iter conficiant nec declinent." — Praestat autem constructio Lachmanniana, cuius sententia haec est: *dummodo coma regia fiam, omnia caelestia perturbentur*. Scil. *iterent* Codd. plerique Ed. pr. quod h. l. *multiplicari* significare volunt. — *rutilent* Cod. Ambros. A. — *retinent* Vatic. ex Pontani correct. ut videtur; tum: *ut coma* Codd. aliquot: alii, etiam Ambros. B. *uter coma*. — Markl. coni. Valck. recepit: *Sidera cur retinent? iterum* — ipse tamen fassus: *utinam* altero non esse deterius. 94. *Hydrochoo* Markl. sine necessitate. Ib. *fulgeat* Aldd., sed *fulgerare* usurpaverat etiam Pacuvius. Ib. *Oarion*] Hac forma usi sunt Pind. Isth. 4, 83. Callim. Hymn. Dian. 265. Sententiam ita definiunt Stat. Voss. Valck. „per me licet, ut in caelo stellifero omnia suis legibus eant contraria; quaeque nunc sunt remotissima, proxima fulgeant in posterum, Hydrochous s. Aquarius imbres, Orion procellas afferens." Haec sane ratio probabilior, quam Barthii Advers. Lib. 33, 18. p. 1536., qui interrogationis signo post *iterent* deleto interpretatur: „*cur* i. e. unde commota, quam ob rem sidera clament et voveant, utinam et ego fiam coma regia, donec omne illud spatium stellis orbum fiat." Marullus, quem Muret. secutus est, totum versum ita refinxit: *Proximus Arcturos fulgeat Erigonae*. Grotius denique in Arat. p. 43. *Proximus Erigonae fulgeret Oarion*, sicque teste Zannonio iam Antonius Puccius in Ed. 1481., quae asservatur in bibliotheca Riccardiana; haneque rationem praeter ceteras probat Zannonius.

EXCURSUS
AD CATULLI COMAM BERENICES.

Quum praeter Foscolum, qui tamen temporum notationem prorsus neglexit, nemo adhuc pulcherrimi istius carminis argumentum ex Ptolemaeorum historia satis dilucidaverit, haud abs re visum est, quaecunque ad rem maxime faciunt, hoc loco quam brevissime potero, exponere.

Ptolemaeus igitur Lagi, sive Soter (324—284. a. Chr.) ex Berenice I. Philippi, hominis Macedonis tenui loco orti (Pausan. Attic. 7.) viduâ suscepit Arsinoen I. et Ptolemaeum II. Philadelphum, cui Berenice, ab eo inter divos relata, regnum a patre obtinuit. Is vero ex Arsinoe II. Lysimachi filia (282) genuit Ptolemaeum III. Evergeten, Lysimachum, et Berenicen II., sed illa repudiata (277) uxorem duxit sororem Arsinoen I. Veneris Zephyritidis nomine postea cultam, cui teste Schol. ad Theocrit. 17, 30. *εἰσεποιήσατο τοὺς ἐκ τῆς προτέρας Ἀρσινόης γεννηθέντας παῖδας, ἡ γὰρ ἀδελφὴ καὶ γυνὴ αὐτοῦ ἄτεκνος ἀπέθανεν.* At Magas, Berenices I. et Philippi militis illius Macedonis filius, Philadelphi frater uterinus, circa annum 298, ut ego opinor, (307 secundum Champollion-Figeac Annales des Lagides T. 2. p. 26.) matris arte atque opibus Cyrenarum praefecturam accepit, quam ut Athenaeus refert (12, 12. p. 550. Schweigh.) quinquaginta per annos obtinuit. Is autem quum a Philadelpho defecisset, eo tandem redactus est, ut ad finienda cum fratre certamina unicam filiam Berenicen III. Evergetae, Ptolemaei Philadelphi filio, desponderet. (Paus. Att. 7. Iustin. 26, 3.) Mortuo autem Maga (258, ut volunt, sed, ut mihi videtur 248.) eius coniux Apame, Antiochi I. Soteris filia (Paus. l. l. Iustin. l. l. qui eandem Arsinoen appellat.) ut iam Iustinum audiamus, „invita se contractum matrimonium solutura misit, qui ad nuptias virginis regnumque Cyrenarum Demetrium fratrem regis Antigoni a Macedonia arcesserent; qui et ipse ex filia Ptolemaei procreatus erat. Sed nec Demetrius moram fecit. Itaque quum - - Cyrenas advolasset, fiducia pulchritudinis, qua nimis placere socrui coeperat, statim a principio superbus, regiae familiae militibusque impotens erat; studiumque placendi a virgine in matrem contulerat. Quae res suspecta primum virgini, dein popularibus militibusque invisa fuit: itaque versis omnium animis in Ptolemaei (Philadelphi) filium (Evergeten), insidiae Demetrio comparantur; cui quum in lectum socrus concessisset, percussores immittuntur. Sed Arsinoe (Apame) audita voce filiae, ad fores

stantis et praecipientis *ut matri parcerent*, adulterum paullisper corpore suo protexit. Quo interfecto, Berenice et stuprum matris salva pietate ulta est et in matrimonio sortiendo iudicium patris secuta."

Per idem tempus (Iustin. 27, 1, 2.) Seleucus II. Callinicus, Antiochi II. filius, novercam Berenicen II. Evergetae sororem, matre Laodice instigatrice (Polyaen. 8, 50.) interfecit, quam ulturus Evergetes, qui a. 246. patri successerat, in Syriam profectus est; sed quum multae iam civitates ad eum defecissent, (242) in Aegyptum domestica seditione revocatus est. (241) Tum Seleucus regni parte, quam amiserat, recepta, ultro bellum Ptolemaeo intulit, sed victus proelio Antiochiam confugit. Inde Antiochi Hieracis, adolescentuli annorum XIV. opem imploravit, qui occasione arrepta auxilia, quae astute promiserat, eo fine paravit, ut fratrem regno privaret. Evergetes autem, quum Antiochum in auxilium Seleuco venire cognovisset, ne cum duobus uno tempore dimicaret, in annos decem cum Seleuco pacem fecit. Haec omnia gesta videntur intra annos 245—239. secundum Champollion-Figeac T. 2. p. 391.

Paullo igitur ante, quam Evergetes primam illam contra Seleucum expeditionem suscepturus esset, Berenice Magae filia, *Εὐεργέτις* dicta Eratostheni Catast. 12. (v. Buttmann Museum der Alterth. Wiss. 2, 1, p. 124.) Evergetae videtur nupsisse, teste Hygino Astronom. poët. Lib. 2. C. 24. quo ex loco reliquum quoque carminis argumentum aliquatenus expediri potest, etsi veris admiscet falsissima quaedam, in fine praesertim narrationis, quae consulto praetermittimus. „*Sunt*, inquit, *VII. stellae ad caudam Leonis in triangulo collocatae*, *quas crinem Berenices esse Conon Samius mathematicus et Callimachus dicit; quum Ptolemaeus Berenicen*, *Ptolemaei et Arsinoes filiam* (— videlicet Berenicen III. Cyrenensem cum Berenice II. Evergetae germana, a Seleuco trucidata confundit —) *sororem suam*, *duxisset uxorem*, *et paucis post diebus Asiam oppugnatum profectus esset*, *vovisse Berenicen*, *si victor Ptolemaeus rediisset*, *se detonsuram crinem; quo voto damnatam crinem in Veneris Arsinoes Zephyritidis posuisse templo*, *eumque postero die non comparuisse; quod factum quum rex aegre ferret*, *Conon mathematicus — cupiens inire gratiam regis dixit*, *crinem inter sidera videri collocatum*, *et quasdam vacuas a figura septem stellas ostendit*, *quas esse fingeret crinem* cet.

Ergo Callimachus, totius fortasse mendacii artifex (v. Valck. p. 44.) ut callidissime regibus amicoque Cononi gratificaretur, per universum carmen comam *κατηστερισμένην* vicem suam dolere facit. Ex versu autem 11. collato cum 22. *novo viro* liquet, sub

ipsam Evergetae expeditionem in Syriam nuptias fuisse celebratas a. 246 vel 245.; neque ea in re aut falli aut consulto mentiri poterat Callimachus. Foscolus quidem inter primum ac secundum bellum eas ponit; Vaillant easdem ad a. 240. refert. Callimachi vero atque Hygini testimonium eo me ducit, ut Magam circiter a. 248. mortuum esse arbitrer. Nihil enim profecto in caussa est, cur statuamus, eum statim post Ophellae defectionem, a. 307. Cyrenis fuisse praefectum, qua ex ratione utique circa a. 258. obierit, necesse est. At, qui ita statuunt, quo tandem probabili unquam argumento evincent, Apamen per duodecim minimum annos (258—246.) filiae matrimonium differre potuisse? Omnia enim, quae Iustinus tradit, breviore certe temporis spatio evenire debuerunt. Sed longe falsissima procul dubio est opinio Champollion-Figeac Ann. des Lag. T. 2. p. 28., qui elevato Athenaei de quinquagenaria Magae praefectura testimonio, calidiusque arrepta vaga illa Iustini 26, 3. *per idem tempus* formula, Magae defectionem, Berenices sponsalia, nuptias ab Apame dilatas, easdemque celebratas intra annum 270. coartat, ob unius Suidae testimonium, qui in voce *Καλλίμαχος* T. 2. Kust. pag. 232. — *παρέτεινε*, inquit, *μέχρι τοῦ Εὐεργέτου κληθέντος Πτολεμαίου. Ὀλυμπιὰς δὲ ἦν ρκζ', ἧς κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος ὁ Εὐεργέτης ἤρξατο τῆς βασιλείας.* Quem scilicet auctorem si sequamur, Ptolemaeus Evergetes, puer tunc octo fere annorum (mater enim eius Arsinoe Lysimachi a. 281. Aegyptum intraverat,) anno iam 270. et Berenices coniux et Cyrenarum dominus, viginti quinque autem post annos (246) idem *novus maritus* erit, quem Callimachus dicit. — v. 11. *novo auctum hymenaeo* significat Cyrenas, quas in dotem acceperat Evergetes. v. 22. *frater* appellatur Evergetes Berenices patruelis, ut Hermione ap. Ovid. Heroid. 8, 27. de Oreste: *Et si non esses vir mihi, frater eras.* ita et alii v. c. Florus, 3, 21, 27. Perizon. Animadv. hist. C. 3. p. 98. — v. 25. *bonum facinus* est illud ipsum Iustino 26, 3. memoratum, *quo stuprum matris, salva pietate, ulta est*, ut primi, frustra obloquente Villoisonio Magas. Encyclop. IX. année 2. p. 348., intellexerunt Eckhel Doctr. Num. 1, 4. p. 13. et Viscontius, v. Foscolum p. 28. et Visconti Iconogr. gr. T. 3. p. 221. Leviora sunt aut futilia illa, quibus magnanimitatis laudem a Callimacho reginae impertitam explicare conatur Hyginus l. l., de quibus adeas Valckenarium. *Τὴν Βερενίκης τόλμαν* memorat etiam Polybius 4, 36. v. 35. *is haud in tempore longo.* Similiter plane Polyaen. 8, 50. *ἀπὸ τοῦ Ταύρου μέχρι τῆς Ἰνδικῆς ἐκράτησε*, et Hieronymus in Danielem C. 11. Tom. 3. p. 1123. Bened. *Ptolemaeus Evergetes cepit — Syriam et Ciliciam superioresque par-*

tes trans Euphratem et propemodum universam Asiam — Sardes usque et Ephesum, si fides Eusebio haicano Maii. Lib. I. p. 186. *Duobus proeliis Seleucus in Lydia victoriam nactus est, ita tamen ut neque Sardes caperet neque Ephesum, quam urbem Ptolemaeus praesidio insidebat. — Ptolemaeus vero, qui et Tryphon, Syriae regiones cum Damasco occupavit Orthosiamque obsidione cinxit, quae quidem soluta est* 134. *Olympiadis anno tertio.* (i. e. 241. a. Chr.) Quin et Ptolemaeus ipse magnificentius etiam de se loquitur in celebratissimo illo Monumento Adulitano a Cosma Indicopleuste servato. v. Buttmann Museum der Alterth. Wiss. 2, 1. p. 161. *Βασιλεὺς μέγας Πτολεμαῖος υἱὸς βασιλέως Πτολεμαίου καὶ βασιλίσσης Ἀρσινόης θεῶν ἀδελφῶν τῶν βασιλέως Πτολεμαίου καὶ βασιλίσσης Βερενίκης θεῶν σωτήρων ἀπόγονος, τὰ μὲν ἀπὸ πατρὸς Ἡρακλέους τοῦ Διός, τὰ δὲ ἀπὸ μητρὸς Διονύσου τοῦ Διός, παραλαβὼν παρὰ τοῦ πατρὸς τὴν βασιλείαν Αἰγύπτου καὶ Λιβύης καὶ Συρίας καὶ Φοινίκης καὶ Κύπρου καὶ Λυκίας καὶ Καρίας καὶ τῶν Κυκλάδων νήσων ἐξεστράτευσεν εἰς τὴν Ἀσίαν μετὰ δυνάμεων πεζικῶν καὶ ἱππικῶν καὶ ναυτικοῦ στόλου καὶ ἐλεφάντων Τρωγλοδυτικῶν καὶ Αἰθιοπικῶν, οὓς ὅ τε πατὴρ αὐτοῦ καὶ αὐτὸς πρῶτος ἐκ τῶν χωρῶν τούτων ἐθήρευσαν καὶ καταγαγόντες εἰς Αἴγυπτον κατεσκεύασαν πολεμικὴν χρείαν, κυριεύσας δὲ τῆς τε ἐντὸς Εὐφράτου χώρας πάσης καὶ Κιλικίας καὶ Παμφυλίας καὶ Ἰωνίας καὶ τοῦ Ἑλλησπόντου καὶ Θρᾴκης καὶ τῶν δυνάμεων τῶν ἐν ταῖς χώραις ταύταις πασῶν καὶ ἐλεφάντων Ἰνδικῶν, καὶ τοὺς μονάρχους τοὺς ἐν τοῖς τόποις πάντας ὑπηκόους καταστήσας διέβη τὸν Εὐφράτην ποταμόν, καὶ τὴν Μεσοποταμίαν καὶ Βαβυλωνίαν καὶ Σουσιανὴν καὶ Περσίδα καὶ Μηδίαν καὶ τὴν λοιπὴν πᾶσαν ἕως Βακτριανῆς ὑπ' αὐτὸν ποιησάμενος καὶ ἀναζητήσας ὅσα ὑπὸ τῶν Περσῶν ἱερὰ ἐξ Αἰγύπτου ἐξήχθη καὶ ἀνακομίσας μετὰ τῆς ἄλλης γάζης τῆς ἀπὸ τῶν τόπων εἰς Αἴγυπτον, δυνάμεις ἀπέστειλε διὰ τῶν ὀρυχθέντων ποταμῶν.* — — Reliqua iam, quae mira commenta de Ptolemaei in Aethiopiam expeditione pepererunt, certum nunc est pertinere ad regem aliquem Aethiopiae. v. Buttmann et Niebuhr Mus. d. Alth. Wiss. 2, 3. p. 575. sqq. et Valck. ad v. 11. p. 90. Champollion-Figeac. T. 2. p. 48. Illa autem hoc loco ideo quoque inserui, ut haberent auditores specimen sermonis Alexandrini s. Hellenistici extra libros sacros, cuius generis paucissima supersunt, veluti Lapis Rosettanus, Hannonis Periplus ed. Hug. p. 31. Fragmenta Ezechielis Tragici et similia v. Boeckh. Gr. Trag. Princ. C. 12.

(Cfr. nunc de toto hoc difficillimo argumento Niebuhrium V. C. *Kleine hist. u. phil. Schriften* 1. p. 229. seqq.)

C A T U L L I

CARMINA NONNULLA MINORA.

I. (3. Doeringii.)

Lugete, o Veneres Cupidinesque
Et quantum est hominum venustiorum!
Passer mortuus est meae puellae,
Passer, deliciae meae puellae,
Quem plus illa oculis suis amabat:
Nam mellitus erat suamque norat
Ipsa tam bene quam puella matrem,
Nec sese a gremio illius movebat,
Sed circumsiliens modo huc modo illuc
Ad solam dominam usque pipilabat.
Qui nunc it per iter tenebricosum
Illuc, unde negant redire quemquam.
At vobis male sit, malae tenebrae
Orci, quae omnia bella devoratis:
Tam bellum mihi passerem abstulistis.
O factum male! io miselle passer,
Tua nunc opera meae puellae
Flendo turgiduli rubent ocelli.

II. (4.)

Phaselus ille, quem videtis, hospites,
Ait fuisse navium celerrimus,
Neque ullius natantis impetum trabis
Nequisse praeterire, sive palmulis
Opus foret volare sive linteo.
Et hoc negat minacis Adriatici
Negare litus insulasve Cycladas
Rhodumque nobilem horridamque Thraciam

Propontida trucemve Ponticum sinum,
Ubi iste post phaselus antea fuit
Comata silva: nam Cytorio in iugo
Loquente saepe sibilum edidit coma.
Amastri Pontica et Cytore buxifer,
Tibi haec fuisse et esse cognitissima
Ait phaselus: ultima ex origine
Tuo stetisse dicit in cacumine,
Tuo imbuisse palmulas in aequore,
Et inde tot per impotentia freta
Herum tulisse, laeva sive dextera
Vocaret aura, sive utrumque Iuppiter
Simul secundus incidisset in pedem;
Neque ulla vota litoralibus diis
Sibi esse facta; quom veniret a mare
Novissime hunc ad usque limpidum lacum.
Sed haec prius fuere: nunc recondita
Senet quiete seque dedicat tibi,
Gemelle Castor et gemelle Castoris.

III. (31.)

Paeninsularum, Sirmio, insularumque
Ocelle, quascunque in liquentibus stagnis
Marique vasto fert uterque Neptunus,
Quam te libenter quamque laetus inviso,
Vix mi ipse credens Thyniam atque Bithynos
Liquisse campos et videre te in tuto!
O quid solutis est beatius curis,
Quom mens onus reponit ac peregrino
Labore fessi venimus larem ad nostrum
Desideratoque acquiescimus lecto!
Hoc est, quod unumst pro laboribus tantis.
Salve, o venusta Sirmio, atque hero gaude:
Gaudete vosque, o Lydiae lacus undae:
Ridete, quicquid est domi cachinnorum!

IV. (84.)

Chommoda dicebat, si quando commoda vellet
Dicere, et insidias Arrius hinsidias,

Et tum mirifice sperabat se esse locutum,
Quom quantum poterat dixerat hinsidias.
Credo, sic mater, sic Liber avunculus eius,
Sic maternus avus dixerat atque avia.
Hoc misso in Syriam requierant omnibus aures:
Audibant eadem haec leniter et leviter
Nec sibi postilla metuebant talia verba,
Quom subito affertur nuntius horribilis,
Ionios fluctus, postquam illuc Arrius isset,
Iam non Ionios esse, sed Hionios.

V. (96.)

Si quicquam mutis gratum acceptumve sepulcris
Accidere a nostro, Calve, dolore potest,
Quo desiderio veteres renovamus amores
Atque olim missas flemus amicitias,
Certe non tanto mors immatura dolori est
Quintiliae, quantum gaudet amore tuo.

VI. (101.)

Multas per gentes et multa per aequora vectus
Advenio has miseras, frater, ad inferias,
Ut te postremo donarem munere mortis
Et mutam nequidquam alloquerer cinerem,
Quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum,
Heu miser indigne frater adempte mihi!
Nunc tamen interea, prisco quae more parentum
Tradita sunt tristis munera ad inferias,
Accipe fraterno multum manantia fletu
Atque in perpetuum, frater, ave atque vale.

VII. (22.)

AD VARUM.

Suffenus iste, Vare, quem probe nosti,
Homo est venustus et dicax et urbanus,
Idemque longe plurimos facit versus.
Puto esse ego illi milia aut decem aut plura
Perscripta: nec sic, ut fit, in palimpsesto
Relata; chartae regiae, novi libri,
Novi umbilici, lora rubra, membrana
Directa plumbo et pumice omnia aequata.

Haec quom legas tu, bellus ille et urbanus
Suffenus unus caprimulgus aut fossor
Rursus videtur: tantum abhorret ac mutat,
Hoc quid putemus esse? qui modo scurra,
Aut si quid hac re tritius videbatur,
Idem infaceto est infacetior rure,
Simul poëmata attigit: neque idem unquam
Aeque est beatus ac poëma quom scribit:
Tam gaudet in se tamque se ipse miratur.
Nimirum idem omnes fallimur neque est quisquam,
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Possis. Suus quoique attributus est error:
Sed non videmus, manticae quod in tergo est.

VIII. (46.)

Iam ver egelidos refert tepores,
Iam caeli furor aequinoctialis
Iocundis Zephyri silescit auris.
Linquantur Phrygii, Catulle, campi
Nicaeaeque ager uber aestuosae:
Ad claras Asiae volemus urbis.
Iam mens praetrepidans avet vagari;
Iam laeti studio pedes vigescunt.
O dulces comitum valete coetus,
Longe quos simul a domo profectos
Diverse variae viae reportant!

IX. (34.)

SECULARE CARMEN AD DIANAM.

Dianae sumus in fide,
Puellae et pueri integri:
Dianam, pueri integri
Puellaeque canamus.
O Latonia, maximi
Magna progenies Iovis,
Quam mater prope Deliam
Deposivit olivam;
Montium domina ut fores
Silvarumque virentium

Saltuumque reconditorum
Amniumque sonantum.
Tu Lucina dolentibus
Iuno dicta puerperis:
Tu potens Trivia et notho es
Dicta lumine Luna.
Tu cursu, Dea, menstruo
Metiens iter annuum,
Rustica agricolae bonis
Tecta frugibus exples.
Sis quocunque tibi placet
Sancta nomine, Romulique,
Antique ut solita es, bona
Sospites ope gentem.

X. (44.)

AD FUNDUM.

O funde noster, seu Sabine seu Tiburs,
(Nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est
Cordi Catullum laedere: at quibus cordi est,
Quovis Sabinum pignore esse contendunt:)
Sed seu Sabine sive verius Tiburs
Fui libenter in tua suburbana
Villa malamque pectore expuli tussim,
Non immerenti quam mihi meus venter,
Dum sumptuosas appeto, dedit, coenas.
Nam Sestianus dum volo esse conviva,
Orationem in Antium petitorem
Plenam veneni et pestilentiae legit.
Hic me gravedo frigida et frequens tussis
Quassavit, usque dum in tuum sinum fugi
Et me recuravi otioque et urtica.
Quare refectus maximas tibi grates
Ago, meum quod non es ulta peccatum,
Nec deprecor iam, si nefaria scripta
Sesti recepso, quin gravedinem et tussim
Non mî, sed ipsi Sestio ferat frigus,
Qui tunc vocat me, quom malum librum legit.

ALBII TIBULLI.

ELEGIAE SELECTAE.

Libri I. ELEGIA I.

Divitias alius fulvo sibi congerat auro
Et teneat culti iugera multa soli,
Quem labor assiduus vicino terreat hoste,
Martia cui somnos classica pulsa fugent:
Me mea paupertas vitae traducat inerti,
Dum meus assiduo luceat igne focus.
Ipse seram teneras maturo tempore vites
Rusticus et facili grandia poma manu.
Nec spes destituat, sed frugum semper acervos
Praebeat et pleno pinguia musta lacu.
Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris

Artis criticae in Tibullo exercendae rectam normam constituisse videtur Lachmannus. Totius rei caput hoc est, ut sedulo nobis caveamus ab interpolationibus Italis Sec. XV. ac recentiorum coniecturis saepe a falso elegantiarum studio profectis; in diiudicanda reliqua Cdd. minus interpolatorum varietate ut nitidam eam simplicitatem sequamur, quae huius poëtae maxime propria est. In hac igitur repetita editione Lachmannum ante omnes sum secutus, inspecta etiam germana Scaligeri cura (Genevae excudebat Iac. Stoer 1607. 12.) et Philippi de Golbéry editione Paris. 1826. 8. (B. est Bachius, G. Golbéry, H. Huschkius, L. Lachmannus, V. Vossius, W. Wunderlich.)

Lib. I. ELEG. I.

A M. Valerio Messala, qui Consul a. u. 723. cum C. Caesare Octaviano ad pugnam Actiacam proficiscebatur, invitatus, ut secum militet, id facere recusat, ne a Delia sua recedat.

2. *magna* Cdd. aliq. V. B., quibus magis poëticum videbatur. Fortasse eo ipso nomine reiiciendum erat. Ceterum firmatur *multa* Excerptis apud Vincent. Bellov. Cdd. aliq. et imitatione Martial. 1, 117. et Anthol. Lat. Burm. 4, 225. *Hoc nemus aeterno cinerum sacravit honori Faenius et culti iugera pauca soli.* 4. *quoi* V. — *classica pulsa*, quae proprie tuba cani solent, multos offenderunt (cfr. Nodell. ad Avian. p. 70.) In poëta talis tamen ἀκυρολογία, quae inter iustos tropos rite referri potest, reprehensioni obnoxia haud est. 5. Nihil moror paupertatem me tradere vitae inerti, gloria bellica et opibus carenti, dummodo cet. 6. *assiduo* vindicant Grammatici Latini vett. — *exiguo* Excerpta Vinc. V. W. G. In repetitione offendere non debemus. cfr. v. 8. *poma* v. 13. *pomum* v. 17 *pomosis* cett.

Seu vetus in trivio florea serta lapis:
Et quodcunque mihi pomum novus educat annus,
Libatum agricolam ponitur ante deum.
Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quae templi pendeat ante fores:
Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
Terreat ut saeva falce Priapus aves.
Vos quoque, felicis quondam, nunc pauperis agri
Custodes, fertis munera vestra, Lares.
Tunc vitula innumeros lustrabat caesa iuvencos:
Nunc agna exigui est hostia parva soli.
Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
Clamet: „Io messes et bona vina date!"
Iam modo non possum contentus vivere parvo
Nec semper longae deditus esse viae,
Sed Canis aestivos ortus vitare sub umbra
Arboris ad rivos praetereuntis aquae.
Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentes,
Aut stimulo tardos increpuisse boves.
Non agnamve sinu pigeat fetumve capellae
Desertum oblita matre referre domum.

9. Cfr. Liv. 1, 41. *si spes destituat.* Plerique deam *Spem* intelligunt, cui ipsi tamen agrestia illa dona tribui vix possunt. Est igitur potius animi aequi affectus, quo ea ut sibi a Diis praebeantur, non sine fiducia optat. 11. *desertus*] quem pauci transeunt veneraturi, in loco deserto positus. Mire Brouckh. explicavit defixus, defossus, Censor Ien. nudus, *entlaubt.* 14. *agricolam - - deum*] Sic emendavit Puccius, (melius omni ambiguitate vitatâ quam Muretus, quem secuti plerique ediderunt: *agricolae - - deo*:) lect. Cdd. et L.: — *agricolae - - deum.* Intelliguntur omnes Dei agrestes, Silvanus, Terminus, Priapus, Pomona cet. 21. *Tum* Voss. (sequente consona qualicunque.) Annotant *tunc* significare tempus plerumque praeteritum, rarius futurum singulari cum vi; *tum*, quod etiam praesenti aptatur, 1, 3, 71. cet. sententiis continuandis sine graviore temporis notatione inservire. 22. *parva*] cum Cdd. L. Inde a Scal. obtinuit *magna* e libris quibusdam Mureti; in qua interpol. inest acumen Ovidianum, non candor Tibulli. 25. *Iam modo non possum:* ἤδη μονονουχὶ δύναμαι, ita ut sententiae vis in verbo *possum* sita sit. Cfr. Virg. *Aen.* 9, 140. *penitus modo non genus omne perosos Femineum.* — *Iam possum modo non contentus*, vel *Iam possum, modo non contentus* H. coni. — *Iam modo nunc possum* Codd. 2. B. — *Iam modo, iam possum* coni. Guyet. V. Lachm. coniecturam: — *Iam modo si possum* collatis vv. 1, 2, 71. — *Ipse boves mea si tecum modo Delia possim Iungere - - mollis et inculta sit mihi somnus humo*, quorum diversa est constructio nihil insoliti habens, fateor me non intelligere. Praeterea ubinam *si* in *non* mutatur a librariis? Maxime autem est memorabile iam Excerpta vetusta habere hunc v. interpolatum, *Possum quippe ego iam*, ut ait L.; apud Scalig.: — *Quippe ego iam possum.* 27. *ictus* Bentl.

At vos exiguo pecori, furesque lupique,
  Parcite; de magno est praeda petenda grege.
Hic ego pastoremque meum lustrare quotannis
  Et placidam soleo spargere lacte Palem.
Adsitis, divi, nec vos de paupere mensa
  Dona nec e puris spernite fictilibus.
Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
  Pocula, de facili composuitque luto.
Non ego divitias patrum fructusque requiro,
  Quos tulit antiquo condita messis avo.
Parva seges satis est; satis est, requiescere lecto
  Si licet et solito membra levare toro.
Quam iuvat immites ventos audire cubantem
  Et dominam tenero detinuisse sinu:
Aut, gelidas hibernus aquas quom fuderit Auster,
  Securum somnos imbre iuvante sequi!
Hoc mihi contingat: sit dives iure, furorem
  Qui maris et tristes ferre potest pluvias.
O quantum est auri pereat potiusque smaragdi,
  Quam fleat ob nostras ulla puella vias!
Te bellare decet terra, Messala, marique,
  Ut domus hostiles praeferat exuvias:
Me retinent vinctum formosae vincla puellae
  Et sedeo duras ianitor ante fores.
Non ego laudari curo, mea Delia: tecum
  Dummodo sim, quaeso segnis inersque vocer.
Te spectem, suprema mihi quom venerit hora,
  Te teneam moriens deficiente manu.
Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto,
  Tristibus et lacrimis oscula mixta dabis.

28. *rivum* Burm. sec. V. 29. *bidentes*] cum Cdd. L. — *bidentem* Regiensis. Vulgo. 34. *est* omisit V. de more. In medio pentametro collocant Codd. plerique. W. H. L. In fine Codd. sex. Ed. pr. B., ne pentameter in brevem syllabam desinat eviteturque hiatus cum voce seq. Fortasse nimis accurate. 36. *Palen* V. 37. *nec* cum Cdd. et Scal. L. pro *neu* Vulg. *e paupere* cum Scal. et Lachm. reponere non potui. 44. *levare*] allevare, reficere, recreare. Horat. Ep. 2, 1, 139.: *levantes tempore festo corpus.* Ex interpol. Cdd. aliq. *referre* V. W. 46. *continuisse* paene ridicule Cdd. aliq.; quae lectio orta est ex eo, quod haud satis intelligerent significatum v. *detinuisse*, *festhalten.* 49. *dives*, *inire furorem* mira coni. Cens. Ien. firmata tamen ab uno L. Codice. 50. *et caeli nubila ferre potest* Excerpta vett. — *Hyadas* pro *pluvias* volebat Heins. 51. Cum Cdd.

Flebis; non tua sunt duro praecordia ferro
  Vincta nec in tenero stat tibi corde silex.
Illo non iuvenis poterit de funere quisquam
  Lumina, non virgo, sicca referre domum.
Tu Manes ne laede meos: sed parce solutis
  Crinibus et teneris, Delia, parce genis.
Interea, dum fata sinunt, iungamus amores:
  Iam veniet tenebris Mors adoperta caput;
Iam subrepet iners aetas neque amare decebit,
  Dicere nec cano blanditias capite.
Nunc levis est tractanda Venus, dum frangere postes
  Non pudet et rixas inseruisse iuvat.
Hic ego dux milesque bonus: vos, signa tubaeque,
  Ite procul, cupidis volnera ferte viris;
Ferte et opes: ego composito securus acervo
  Despiciam dites despiciamque famem.

Lib. I. ELEGIA III.

Ibitis Aegaeas sine me, Messala, per undas,
  O utinam memores ipse cohorsque mei!
Me tenet ignotis aegrum Phaeacia terris:
  Abstineas avidas, Mors, precor, atra, manus!
Abstineas, Mors atra, precor! Non hic mihi mater,
  Quae legat in maestos ossa perusta sinus;
Non soror, Assyrios cineri quae dedat odores
  Et fleat effusis ante sepulcra comis;
Delia non usquam, quae me quom mitteret urbe,
  Dicitur ante omnes consuluisse deos.
Illa sacras pueri sortes ter sustulit: illi
  Rettulit e triviis omina certa puer.

L. — *potius pereatque* vulgo ex libro uno Statii, inani elegantia. Tum V. *zmaragdi.* 61. *mea Delia* Beck. V. 74. Sic Tacit. *Hist.* 1, 23. *inserendo querelas.* Liv. 35, 17. *nunc querelas nunc postulationes inscrit.* Vell. 1, 2, 2. *iniicere rixam.* — *conseruisse* Cdd. aliq. V.

Lib. I. ELEG. III.

Carmen a. 725. scriptum Corcyrae, ubi Messala, in Ciliciam navigaturus, Tibullum morbo implicitum reliquerat. 2. *tuque* Cod. 1. V. 7. *condat* V. coni. — *fundat* Broukh. — *reddat* vel *didat* Heyn. 9. *usquam est* Ed. 1472. min. prob. Huschkio Anal. p. 699. Et ita Heyn. Del. rursus L. Ib. *quom mitteret* cum Cdd. L. „quum in eo esset, ut mitteret; sub id tempus, quo missura erat." Non necessaria est Douzae coni. vulgo recepta *quam.* Cfr. Hand *Tursell.* 1, p. 377.

Cuncta dabant reditus; tamen est deterrita nunquam,
Quin fleret nostras respiceretque vias.
Ipse ego solator, quom iam mandata dedissem,
Quaerebam tardas anxius usque moras.
Aut ego sum causatus aves aut omina dira,
Saturni aut sacram me tenuisse diem.
O quotiens ingressus iter mihi tristia dixi
Offensum in porta signa dedisse pedem!
Audeat invito ne quis discedere Amore,
Aut sciat egressum se prohibente deo.
Quid tua nunc Isis mihi, Delia, quid mihi prosunt
Illa tua totiens aera repulsa manu,
Quidve, pie dum sacra colis, pureque lavari
Te (memini) et puro recubuisse toro?
Nunc, dea, nunc succurre mihi, — nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis —
Ut mea votivas persolvens Delia voces
Ante sacras lino tecta fores sedeat
Bisque die resoluta comas tibi dicere laudes
Insignis turba debeat in Pharia.
At mihi contingat patrios celebrare Penates
Reddereque antiquo menstrua tura Lari.
Quam bene Saturno vivebant rege, prius quam
Tellus in longas est patefacta vias!
Nondum caeruleas pinus contempserat undas,
Effusum ventis praebueratque sinum,
Nec vagus ignotis repetens compendia terris
Presserat externa navita merce ratem.
Illo non validus subiit iuga tempore taurus,
Non domito frenos ore momordit equus,

12. *e trinis* Muret. V. Ib. *omnia* Cdd. aliq. Edd. vett. „notabilis lectio, certe Latina, fortasse vera." Huschk. Anal. p. 699. Quominus tamen vera sit, impedit sequens *cuncta*. 13. *Tamen haud deterrita frustra est, quom*. Pauci libri. V. 18. *Saturnive sacram* Anon. coni. V. Ib. *timuisse* Codd. Stat. V. 21. *nemo* V. coni. 29. *noctes* Scal. coni. Codd. 3. — *poenas* Ed. 1472. Vulp. sed *votivae voces* i. q. *antecantamenta votorum* Appul. Met. 11, p. 772. 32. i. e. Isidis sacerdotes Aegyptii. 37. *conscenderat* Cod. 1. — *conspexerat* Cod. 1. Lachmanni. 38. *praebueratve* V. 46. *sucturis* vel *pressuris* Bentl. 47. *Non acies ferrive* Heins. — *Non rabies* Burm. — *Non animi* Broukh. 49. *et volnera*] Sic Cdd. sinceri. L. — *nunc v.* Itali, Vulgo. Pristinam suam coni. — *nunc vulnera*, *apertum Nunc mare* recte nunc ne memoravit quidem L. 50. *leto multa reperta via*

Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva, lapis.
Ipsae mella dabant quercus ultroque ferebant
Obvia securis ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit, non bella nec ensem
Immiti saevus duxerat arte faber.
Nunc Iove sub domino caedes et volnera semper,
Nunc mare, nunc leti mille repente viae.
Parce, pater! timidum non me periuria terrent,
Non dicta in sanctos impia verba deos.
Quod si fatales iam nunc explevimus annos,
Fac lapis inscriptis stet super ossa notis:
HIC IACET IMMITI CONSUMPTUS MORTE TIBULLUS,
MESSALAM TERRA DUM SEQUITURQUE MARI.
Sed me, quod facilis tenero sum semper Amori,
Ipsa Venus campos ducet ad Elysios.
Hic choreae cantusque vigent passimque vagantes
Dulce sonant tenui gutture carmen aves.
Fert casiam non culta seges totosque per agros
Floret odoratis terra benigna rosis,
Ac iuvenum series teneris immixta puellis
Ludit et assidue proelia miscet Amor.
Illic est, cuicunque rapax mors venit amanti,
Et gerit insigni myrtea serta coma.
At scelerata iacet sedes in nocte profunda
Abdita, quam circum flumina nigra sonant.
Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues
Saevit et huc illuc impia turba fugit.
Tum niger in porta serpentum Cerberus ore
Stridet et aeratas excubat ante fores.

Broukh. V. 54. *At lapis* V. Ib. *inscriptis* e Cdd. optt. Lachm. — *inscriptus* Cdd. aliq. V. B. — *his scriptus* de Fruterii coni. Vulgo. In *inscriptis* nemo haerere potest. Ad Fruterii coni. confer Ovid. *Heroid.* 14, 128. *Scriptaque sint titulo nostra sepulcra brevi.* 57. *qui* Codd. aliquot. — *qui - sim* V. 58. *ad Elysios*] firmatur a C1d. Lachm., qui cum aliis Cdd. *in* praetulit. Obstat imitatio Domitii Marsi in epigr. in Tibullum: — *Mors iuvenem campos misit ad Elysios.* 61. *per annos* Santenii susp. 63. *Ac* cum Cod. aliq. et Vossio. Cfr. ad formam orationis v. 87. — *Hac* solita corruptela Alii, unde Itali, Vulgo: — *Hic.* Alii freq. confusione *At*; quod recepit Lachm., ita ut fiat oppositio aliqua inter amoenos illos agros et iuvenum, qui eos perambulant, ludos. Verum hoc, etsi speciosum, probari nequit propter longe maiorem oppositionem vers. 67. (ubi alii item *Ac*), quae

Illic Iunonem tentare Ixionis ausi
  Versantur celeri noxia membra rota,
Porrectusque novem Tityos per iugera terrae
  Assiduas atro viscere pascit aves.
Tantalus est illic et circum stagna, sed acrem
  Iam iam poturi deserit unda sitim;
Et Danai proles, Veneris quod numina laesit,
  In cava Lethaeas dolia portat aquas.
Illic sit, quicunque meos violavit amores,
  Optavit lentas et mihi militias.
At tu casta, precor, maneas sanctique pudoris
  Assideat custos sedula semper anus.
Haec tibi fabellas referat positaque lucerna
  Deducat plena stamina longa colo;
Ac circa gravibus pensis affixa puella
  Paullatim somno fessa remittat opus.
Tunc veniam subito nec quisquam nuntiet ante,
  Sed videar caelo missus adesse tibi.
Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos,
  Obvia nudato, Delia, curre pede.
Hoc precor; hunc illum nobis Aurora nitentem
  Luciferum roseis candida portet equis!

hac debilitari non debet. 71. *Tum niger in porta serpens: tum Cerberus ore* Scal. Voss., nisi quod hic *ora* scripsit ex Aen. 6, 576. Sed cfr. Soph. Oed. Col. 1568. *ὦ χθόνιαι θεαί, σῶμά τ' ἀνικάτου θηρός, ὅν ἐν πύλαισί φασι πολυξέστοις εὐνᾶσθαι κνυζᾶσθαί τ' ἐξ ἄντρων, ἀδάματον φύλακα παρ' Ἀΐδα, λόγος αἰὲν ἀνέχει.* Ceterum *Tunc* e Cdd. scripsit L., quasi *tunc* temporis dumtaxat strideret Cerberus, quum fugeret turba illa impia. *Tum* autem continuationi orationis inservit. Nec magis probare potui, quod v. 89. ex uno Cod. idem Lachm. dedit *Tum veniam.* 77. *circum* h. l. adverbium; nec vero supplendum *eum.* cfr. Hand Tursell. 2. p. 70. 79. *Veneris quod* e Cdd. L. pro — *Veneris quae* Ceterorum. 87. *circa - - - puella* i. e. alia ancilla praeter anum s. nutricem. „Io. Henr. Vossius recte notavit per *circa* significari vicinitatem non definitam, tam de uno homine quam de pluribus." (Vulpius et Wunderl. significatu collectivo acceperunt, ut Sil. 2, 84. *virgine densior ala est.* Cfr. Lachm. ad Prop. p. 237.) „Verum etsi grammatica ratio non subvenisset, riderem poëtam et imaginem ab eo descriptam, in qua multas ancillas circa dominam somno oppressas videremus. Profecto si plures essent, garrulis sermonibus somnum depulissent." Hand Tursell. 2. p. 61. 89. *Hunc, precor* B. e paucis codd. — *Hoc, precor, hoc! Illum* V. — *Hunc precor, hunc utinam* Broukh. Cod. 1. (Cfr. *οὗτος ἐκεῖνος.*)

Lib. I. ELEG. VII.

A. d. VII. Kal. Octobr. a. 727. Messala ex Asia Romam reversus de Aquitanis triumphum egit. Brevi postea scripta est in eius natalem haec ele-

Lib. I. ELEGIA VII.

Hunc cecinere diem Parcae fatalia nentes
Stamina non ulli dissoluenda deo:
Hunc fore, Aquitanas posset qui fundere gentes,
Quem tremeret forti milite victus Atax.
Evenere; novos pubes Romana triumphos
Vidit et evinctos brachia capta duces:
At te victrices lauros, Messala, gerentem
Portabat niveis currus eburnus equis.
Non sine me est tibi partus honos: Tarbella Pyrene
Testis et Oceani litora Santonici.
Testis Arar Rhodanusque celer magnusque Garumna
Carnuti et flavi caerula lympha Liger.
An te, Cydne, canam, tacitis qui leniter undis
Caeruleus placidis per vada serpis aquis?
Quantus et, aetherio contingens vertice nubes,
Frigidus intonsos Taurus alat Cilicas?
Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palaestino sancta columba Syro?
Utque maris vastum prospectet turribus aequor
Prima ratem ventis credere docta Tyros?
Qualis et, arentes quom findit Sirius agros,

gia. 1. *Hac - die* (Heyn. coni.) V. sed Tibullus felici audacia Messalae natali tribuit eius res gestas. 3. *spargere* Codd. aliquot. — *frangere* Alii. Voss. 4. *Atax* hodie *Aude*, fl. Galliae Narbonensis, ut v. 11. *Arar (Saone)* et *Rhodanus*. Scal. de coni.: — *Atur*, vulgo dictus *Auturus (Adour)* fl. Galliae Aquitanicae. 7. *laurus* V. 9. „*Pyrene*] montes Pyrenaei, quos Tarbelli, Aquitaniae populus, versus litus Aquitanici maris accolebant; hinc *Pyrene Tarbella s. Tarbellica*, ut *Alpes Raetae* ap. Hor. 4, 4, 17." H. 10. „*Santones* gens Aquitanica inter Ligerim et Garumnam; *Saintonge*." H. 12. *Carnuti s. Carnutes*, Galliae pop. supra Ligerim *(Loire)*. — Ceterum mira est tam vicina repetitio utriusque formae, *caerulus* et *caeruleus*. Hinc Burm. Sec. v. 14. malebat *Garrulus et placidis*; sed ego h. l. praeferrem *garrula lympha*. 13. Strabo L. 14. p. 990. *μετὰ δὲ τὴν Ἀγχιάλην αἱ τοῦ Κύδνου ἐκβολαὶ κατὰ τὸ Ῥῆγμα καλούμενον. Ἔστι δὲ λιμνάζων τόπος — εἰς ὃν ἐμπίπτει ὁ Κύδνος διαῤῥέων μέσην τὴν Ταρσόν, τὰς ἀρχὰς ἔχων ἀπὸ τοῦ ὑπερκειμένου τῆς πόλεως Ταύρου.* 13. *umbris* Cens. Lips. — *tactis - ulvis* Lachm. 14. *Caeruleus placidis - aquis* Codd. fere omnes. W. B. — *Caeruleis placidus - aquis* Codd. 3. Stat. H. — *Caeruleus placidae - aquae* V. — *Caeruleae placidus - aquae* Huschk. coni. 15. *aetherio* retinuit L. pro *aërio* Cdd. aliq. H. B. Sane Huschk. complura exempla attulit v. *aërius*, montibus, vertici iuncti. Voss. *conscindens* coni. 16. Vulgo et L. *arat*, quod explicant, *secat*, *dirimit*. Hoc autem falsum est: „neque enim Ciliciam in diversas partes dirimit Taurus, sed Ciliciam separat a proximis regionibus." H. — *alat* ex Perreii exc. cum Mur. aliisque probarunt B. et Huschk., qui tamen legere malebat: — *con-*

Fertilis aestiva Nilus abundet aqua?
Nile pater, quanam possum te dicere causa
Aut quibus in terris occuluisse caput?
Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
Arida nec Pluvio supplicat herba Iovi.
Te canit atque suum pubes miratur Osirim
Barbara, Memphiten plangere docta bovem.
Primus aratra manu sollerti fecit Osiris
Et teneram ferro sollicitavit humum,
Primus inexpertae commisit semina terrae
Pomaque non notis legit ab arboribus:
Hic docuit teneram palis adiungere vitem,
Hic viridem dura caedere falce comam:
Illi iucundos primum matura sapores
Expressa incultis uva dedit pedibus.
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Movit et ad certos nescia membra modos.
Bacchus et agricolae magno confecta labore
Pectora tristitiae dissoluenda dedit.
Bacchus et afflictis requiem mortalibus affert,
Crura licet dura compede pulsa sonent.
Non tibi sunt tristes curae nec luctus, Osiri,
Sed chorus et cantus et levis aptus amor;
Sed varii flores et frons redimita corymbis,
Fusa sed ad teneros lutea palla pedes

tingat - alens. 18. „Syria, ut late patebat, praeter Coelen, Phoenicen, etiam Palaestinam continebat. Syros a vescendis columbis abstinuisse, etiam ex Luciano *de Dea Syria* notum est." Heyn. 22. *abundat* Codd. aliq. prob. H. et Censore Lips. 23. *possim* Codd. aliq. V. B. L. At ignorantiam fatetur, neque vero optat, ut causam ab ipso fluvii Deo cognoscat. 27. *Osirin* V. 28. i. e. *Apim*; cfr. Plin. H. N. 8, 46. 34. *curva* Anon. coni. 36. i. e. nudis. — *adductis* Heins. — *inlotis* Stat. 40. *tristitia* Stat. *laetitiae* Mur. Sed *tristitiae* est casus secundus. Iunge: „*Bacchus pectora agricolae* (genit.) *dedit dissolvenda tristitiae;* ita recte dicitur *legum solutus.* Liv. 21, 62. *levarunt animum religionis.*" H. Cfr. Horat. Od. 3, 17, 24. *cum famulis operum solutis.* 42. *pressa* pro *pulsa* Pucc. 47. *dulci*, Cod. Goth. V. B. — *dulcia* Ed. pr. — *dulcis* reliqui. L. cfr. 2, 1, 86. 48. *ludos* retinuit Lachm.; tunc constructio erit: „concelebra centum choreis ludos Geniumque i. e. ludos in Genii honorem factos." Alii Cod. et Vulgo: *ludis.* „concelebra Genium centum ludis et choreis." — *Genium ludis*, *Geniumque choreis.* Markl. Heyn. — *sanctum ludo Geniumque* Guyet. V. — (*Genium ludis centumque ch.* Huschk. coni.) 51. *et nitido* L. 52. (*E capite* Heyn. coni.) 53. Pro *tibi dem* Heyn. Golb. e Cdd. aliq.: — *tibi dum.* Sed constructio huius formulae per partic. *sic* precandi, obtestandi, obse-

Et Tyriae vestes et dulci tibia cantu
Et levis occultis conscia cista sacris.
Huc ades et centum ludos Geniumque choreis
Concelebra et multo tempora funde mero.
Illius e nitido stillent unguenta capillo
Et capite et collo mollia serta gerat.
Sic venias hodierne, tibi dem turis honores,
Liba et Mopsopio dulcia melle feram.
At tibi succrescat proles, quae facta parentis
Augeat et circa stet veneranda senem.
Nec taceat monumenta viae, quem Tuscula tellus
Candidaque antiquo detinet Alba Lare.
Namque opibus congesta tuis hic glarea dura
Sternitur; hic apta iungitur arte silex.
Te canet agricola, e magna quom venerit urbe
Serus, inoffensum rettuleritque pedem.
At tu, Natalis multos celebrande per annos,
Candidior semper candidiorque veni.

Lib. I. ELEGIA X.

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
Quam ferus et vere ferreus ille fuit!
Tunc caedes hominum generi, tunc proclia nata:
Tunc brevior dirae mortis aperta via est.
At nihil ille miser meruit: nos ad mala nostra

crandi, ita est explicanda: *Sic venias*, (precor), ea conditione, ut *tibi dem* cet. 54. *Libaque* V. e Codd. — Attico s. Hymettio melle, a Mopsopo Atheniensium rege. 56. *venerata* Cd. 1. Lachmanni. Stat. Vulp. 57. Suet. Aug. 30. *Quo autem facilius undique urbs adiretur, desumpta sibi Flaminia via Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia sternendas distribuit.* 58. *Candidaque* e Cdd. V. W. L. idque simplicius videtur. — *Candida quem* H. Alii, de coni. Broukh. 61. *Te canet* e Vatic. Statii Recentiores. — *canit* cum Cdd. L. Mihi soloecismus videtur. — *agricola, magna* Cdd. multi. V. B. Sed talia in Tib. nimis quaesita.

Lib. I. ELEG. X.

„Pugna ad Actium (723) commissa, Messala contra rebellantes Aquitanos mittitur, cui quidem expeditioni, ut sese adiungeret, Tibullum evocasse videtur, qui Roma profecturus hanc scribit Elegiam." Bach. 5. *Ah nihil* Voss. Speciosius est, quod e multis Cdd. recepit L.: *An n. i. m. meruit?* Quam ipsam sententiam sic expresserunt Excerpta hic rursus interpolata: *Forsan et ille nihil meruit.* Nondum tamen recessi a vulgata, quae simplicior videbatur.

Vertimus, in saevas quod dedit ille feras.
Divitis hoc vitium est auri; nec bella fuerunt,
Faginus astabat quum scyphus ante dapes;
Non arces, non vallus erat somnumque petebat
Securus varias dux gregis inter oves.
Tunc mihi vita foret, vulgi nec tristia nossem
Arma nec audissem corde micante tubam.
Nunc ad bella trahor et iam quis forsitan hostis
Haesura in nostro tela gerit latere.
Sed patrii servate Lares; aluistis et idem,
Cursarem vestros quom tener ante pedes;
Neu pudeat prisco vos esse e stipite factos;
Sic veteris sedes incoluistis avi.
Tunc melius tenuere fidem, quom paupere cultu
Stabat in exigua ligneus aede deus.
Hic placatus erat, seu quis libaverat uvam
Seu dederat sanctae spicea serta comae;
Atque aliquis voti compos liba ipse ferebat,
Postque comes purum filia parva favum.
At nobis aerata, Lares, depellite tela,
Hostiaque e plena mystica porcus hara;
Hanc pura cum veste sequar myrthoque canistra
Vincta geram, myrto vinctus et ipse caput.
Sic placeam vobis; alius sit fortis in armis,
Sternat et adversos Marte favente duces,
Ut mihi potanti possit sua dicere facta
Miles et in mensa pingere castra mero.
Quis furor est atram bellis arcessere mortem?

9. *aries* Heins. — *acies* Stat. 10. (*aries* Heyn. coni.) — *saturas* Heins. Broukh. 11. *foret dulcis* iid. — *foret frugi* de Bosch. — *foret*, *Vulgi* Heyn. coni. — *Foret vel ubi* Huschk. coni. Sane cum Wund. explic. „Tunc si vixissem"; non cum Voss. et Bekkero: „Utinam tum vixissem!" *vulgi arma*, i. e. multitudinis inconditae ac ferocis. 12. *audirem* Ed. min. 1472. 16. *Cursabum* V. coni. 26. Hanc lect. Cdd. restituit L. Sententia: „ac mysticum aliquod porci sacrificium (v. c. fordicidium, haruspice sic iubente) vobis oblatum ita vos placet, ut a me depellatis tela." Puccii coni. praetulerunt recentiores praeter L.: — *Hostia erit plena rustica* (scil. *rustica* Cdd. aliq.) *porcus hara*; quae ex iis est, quae ingeniosissimae videntur, et tamen parum sunt probabiles. Eadem autem Cdd. lectionis difficultas eo induxit Pontanum, ut his ditaret Tibullum: *A nobis aerata*, *Lares*, *depellite tela.* Neu petat hostili missa sagitta manu: Neu gladio celer instet eques, prosint mihi, ad aras Quaeque tuli supplex munera quaeque feram; Ture pio caleantque foci pinguisque trahatur *Hostia de plena mystica porcus hara.*

Imminet et tacito clam venit illa pede.
Non seges est infra, non vinea culta, sed audax
Cerberus et Stygiae navita turpis aquae.
Illic percussisque genis ustoque capillo
Errat ad obscuros pallida turba lacus.
Quam potius laudandus hic est, quem prole parata
Occupat in parva pigra senecta casa!
Ipse suas sectatur oves, at filius agnos,
Et calidam fesso comparat uxor aquam.
Sic ego sim liceatque caput candescere canis,
Temporis et prisci facta referre senem.
Interea Pax arva colat. Pax candida primum
Duxit araturos sub iuga panda boves.
Pax aluit vites et succos condidit uvae,
Funderet ut nato testa paterna merum.
Pace bidens vomerque vigent; at tristia duri
Militis in tenebris occupat arma situs.
Rusticus e lucoque vehit, male sobrius ipse,
Uxorem plaustro progeniemque domum.
Sed Veneris tunc bella calent scissosque capillos
Femina perfractas conqueriturque fores;
Flet teneras subtusa genas; sed victor et ipse
Flet sibi dementes tam valuisse manus.
At lascivus Amor rixae mala verba ministrat,
Inter et iratum lentus utrumque sedet.
Ah lapis est ferrumque, suam quicunque puellam
Verberat; e caelo deripit ille deos.
Sit satis e membris tenuem perscindere vestem:

33. *accersere* plerique. Scal. 34. *ipsa* Cod. 1. V. 36. *turpis* est ab Italis. Burm. sec. volebat *tristis*. L. reduxit Cdd. lect. *puppis*, dura sane constructione: *navita puppis aquae Stygiae*, „quae vehitur per aquam Stygiam." 37. Construe: *illic ad obscuros lacus pallida turba errat percussisque genis* (scil. timore) *ustoque capillo.* — *perculsis* Cod. 1. V. B. Nobbe. *exesis* Heins. Broukh. Heyn. „*exesus genas* proprie dixit Tib. 1, 10, 37. Valck. ad. Call. p. 106. Sic Critici pro scriptoribus laudantur." H. *semustis* Markl. — *perscissisque* Cd. apud Scal. 46. *aratores* Codd. aliquot. Broukh. W. B. Ib. *panda* e Cdd. V. B. L. — *curva* ex aliis H. Difficillimum est diiudicatu, utrum *curva* gloss. subsistutum sit v. exquisitiori, an contra interpolatori placuerit rariore voc. extrudere simplicius. 49. *nitent* Guyet. Broukh. Vulp. 51. *et luco revehit* Voss. coni. ex priore Frut. Heins.: — *e luco revehit.* 55. *suffusa* Codd. aliq. Scal. 58. *laetus* Codd. aliq. 60. *et coelo* Codd. aliq. V. 61. *perscindere*] cum Cdd. L. — *praescindere* cum aliis W. B. — *rescindere* vulgo de coni. Heinsii.

Sit satis, ornatus dissoluisse comae;
Sit lacrimas movisse satis: quater ille beatus,
Quo tenera irato flere puella potest.
Sed manibus qui saevus erit, scutumque sudemque
Is gerat et miti sit procul a Venere.
At nobis, Pax alma, veni spicamque teneto,
Perfluat et pomis candidus ante sinus!

Libri II. ELEGIA I.

Quisquis adest, valeat: fruges lustramus et agros,
Ritus ut a prisco traditus exstat avo.
Bacche veni, dulcisque tuis e cornibus uva
Pendeat et spicis tempora cinge, Ceres.
Luce sacra requiescat humus, requiescat arator
Et grave suspenso vomere cesset opus.
Solvite vincla iugis; nunc ad praesepia debent
Plena coronato stare boves capite.
Omnia sint operata deo; non audeat ulla
Lanificam pensis imposuisse manum.
Vos quoque abesse procul iubeo, discedat ab aris,
Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.
Casta placent Superis; pura cum veste venite
Et manibus puris sumite fontis aquam.
Cernite, fulgentes ut eat sacer agnus ad aras
Vinctaque post olea candida turba comas.
Dî patrii, purgamus agros, purgamus agrestes:
Vos mala de nostris pellite limitibus;
Neu seges eludat messem fallacibus herbis,
Neu timeat celeres tardior agna lupos.
Tunc nitidus plenis confisus rusticus agris

62. *ornatus - - comae* cum Cdd. V. W. B. L. — *ornatas - - comas* cum aliis H. 64. *Quo* Cdd. W. B. L. — *Quoi* de Douzae coni. V. — *Cui* H. 68. *perfluat* Libri plerique. W. Klindw. H. L. — *profluat* alii Codd. Pucc. V. B. — *praefluat* alii Codd. Mitsch. ad Horat. C. 4, 7, 10. — *perpluat* Heins. coni. Broukh. Heyn.

Lib. II. ELEG. I.

Tibullus ad praediolum suum reversus agrorum et frugum lustrationem s. sacrum ambarvale instituit, quod singuli patresfamilias in arvis suis privatim celebrasse videntur mense Aprili (v. Voss. ad Virg. Ge. 1, 338.) Fratres vero Arvales XII. quotannis publice sacrificium Deae Diae (Cereris) per triduum celebrabant, XVI, XIV et XIII. vel VI, IV et III. Kal. Iun. v.

Ingeret ardenti grandia ligna foco,
Turbaque vernarum, saturi bona signa coloni,
Ludet et ex virgis exstruet ante casas.
Eventura precor. Viden ut felicibus extis
Significet placidos nuntia fibra deos?
Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos
Consulis et Chio solvite vincla cado.
Vina diem celebrent; non festa luce madere
Est rubor, errantes et male ferre pedes.
Sed „bene Messalam" sua quisque ad pocula dicat,
Nomen et absentis singula verba sonent.
Gentis Aquitanae celeber Messala triumphis
Et magna intonsis gloria victor avis,
Huc ades adspiraque mihi, dum carmine nostro
Redditur agricolis gratia caelitibus.
Rura cano rurisque deos. His vita magistris
Desuevit querna pellere glande famem.
Illi compositis primum docuere tigillis
Exiguam viridi fronde operire domum.
Illi etiam tauros primi docuisse feruntur
Servitium et plaustro supposuisse rotam.
Tunc victus abiere feri, tunc consita pomus,
Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas;
Aurea tunc pressos pedibus dedit uva liquores,
Mixtaque securo est sobria lympha mero.
Rura ferunt messes, calidi quom sideris aestu
Deponit flavas annua terra comas.
Rure levis verno flores apis ingerit alveo,
Compleat ut dulci sedula melle favos.
Agricola assiduo primum satiatus aratro

Gaetano Marini gli atti e monumenti de' Fratelli Arvali. Roma 1795. 2. Vol. 4. — Quum v. 33. Messalae triumphus memoretur, circa 728. scripta videtur haec Elegia. — *adest, valeat*] cum Cdd. L. — *faveat* facili emendat. Codd. aliq. et Scal. — *Quisquis ades, faveas* vulgo de coni. Douzae. 11. *discedat - - Cui* cum Cdd. Lachm. — *discedite - - Quis* cum Italis Vulgo. 18. *tollite* Codd. 3. V. 20. *segnior* Codd. aliq. V. B. 24. *construet* V. 27. *fumosum - Falernum* Stat. Scal. 34. *Tu magna* V. 37. *quis* Cod. Corv. V. B. Nobbe. 40. *casam* Regiensis et Pucc. 41. *primi*] Codd. aliq. L. — *primum* Pucc. Vulgo. Ib. *domuisse - servitium* Codd. nonnulli, unde Gebhard. V. B.: *domuisse - servitio.* 43. *insita* Codd. aliq. V. B. 49. *vernos* Fruter. coni. 51. *defessus* Codd. 2. — *lassatus* Scal.

Cantavit certo rustica verba pede
Et satur arenti primum est modulatus avena
Carmen, ut ornatos diceret ante deos;
Agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti
Primus inexperta duxit ab arte choros:
Huic datus a pleno memorabile munus ovili
Dux pecoris hircus; duxerat hircus oves.
Rure puer verno primum de flore coronam
Fecit et antiquis imposuit Laribus.
Rure etiam teneris curam exhibitura puellis
Molle gerit tergo lucida vellus ovis;
Hinc et femineus labor est: hinc pensa colusque,
Fusus et apposito pollice versat opus;
Atque aliqua assiduae textrix operata Minervae
Cantat et applauso tela sonat latere.
Ipse interque greges interque armenta Cupido
Natus et indomitas dicitur inter equas.
Illic indocto primum se exercuit arcu:
Hei mihi, quam doctas nunc habet ille manus!
Nec pecudes, velut ante, petit; fixisse puellas
Gestit et audaces perdomuisse viros.
Hic iuveni detraxit opes, hic dicere iussit
Limen ad iratae verba pudenda senem:
Hoc duce custodes furtim transgressa iacentes
Ad iuvenem tenebris sola puella venit
Et pedibus praetentat iter suspensa timore,
Explorat caecas cui manus ante vias.

57. *e pleno* Cod. 1. V. B. Ib. *auxerat hircus* cum Cdd. L., quod intelligi nequit. Quomodo enim caper augeat ovium numerum? *duxerat* est e coni. Mureti. „*der Führer nicht blofs der Ziegen, sondern auch der Schafheerde wurde dem Führer des Chores gegeben.*" Iacobs. *Dux pecoris; hirtus duxerat hircus oves* Heins. V. Oves autem *hirtae* non sunt. Hinc Nobbe: *Dux pecoris; hirtus duxerat hircus oves*, sono prope ridiculo. Melius nondum repertum est Mureti coniecturâ. 59. *primam* Codd. aliq. V. 64. *ut - - verset* Codd. 3. V. 65. Sic Ed. min. 1472. Lachm. Codd. permulti: *assidue textrix operata Minervam. textris* Cod. 1. — *textis* Fruter. coni. Cod. 1. H. et vulgo. 66. *pectine tela sonat* Cod. 1. ex interpolatione. V. B. — *pectine luna sonat* unus ap. Voss. ad Cat. p. 249. Pro *applauso* pauci *appulso*. „*Latus* intelligitur *telae* ipsius, quae applausa (pulsa) pectine vel radio sonitum edit, satis celebratum a poëtis. Proprie quidem radius sonat, dictus propterea κερκὶς ἀοιδὸς ab Eurip. apud Aristoph. Ran. 1316. At etiam tela sonat ipsa. Eurip. Iph. Taur. 210. ἱστοῖς ἐν καλλιφθόγγοις." Huschk. 70. *Heu* Ald. 77. *Et digitis* Burm. Sec. coni. 78. *dum manus* V. 82. *precor*] ex optt. Cdd. L.

Ah miseri, quos hic graviter deus urget! at ille
Felix, cui placidus leniter afflat Amor!
Sancte, veni dapibus festis; sed pone sagittas
Et procul ardentes hinc, precor, abde faces.
Vos celebrem cantate deum pecorique vocate
Voce; palam pecori, clam sibi quisque vocet:
Aut etiam sibi quisque palam; nam turba iocosa
Obstrepit et Phrygio tibia curva sono.
Ludite! iam Nox iungit equos currumque sequuntur
Matris lascivo Sidera fulva choro
Postque venit tacitus fuscis circumdatus alis
Somnus et incerto Somnia vana pede.

Liber II. ELEGIA V.

Phoebe, fave! novus ingreditur tua templa sacerdos;
Huc age cum cithara carminibusque veni.
Nunc te vocales impellere pollice chordas,
Nunc, precor, ad laudis flectere verba modos.
Ipse triumphali devinctus tempora lauro,
Dum cumulant aras, ad tua sacra veni.
Sed nitidus pulcherque veni; nunc indue vestem
Sepositam, longas nunc bene pecte comas:
Qualem te memorant Saturno rege fugato
Victori laudes concinuisse Iovi.
Tu procul eventura vides, tibi deditus augur
Scit bene, quid fati provida cantet avis;
Tuque regis sortes, per te praesentit haruspex,

— *procul* Vulgo. 83. *vocate*: *Voce palam* V. 89. *fuscis*] Itali, H. — *furvis*, quod fortasse a Pontano est, C2d. Heins. V. B. — *fulvis* e suis Lachm.; quod et per se post *Sidera fulva* locum omnino non habet. 90. *vana*] Codd. et Edd. plures. Huschk. — *nigra* alii Codd. Heyn. V. B. L. (quod h. l. admodum ingratum est) — *pigra* Heins. — *vara* Broukh.

Lib. II. ELEG. V.

„M. Valerio Messalino e filiis M. Valerii Corvini Messalae majori natu, quod in collegium quindecimvirorum, (quibus solis erat potestas libros Sibyllinos adeundi,) cooptatus fuerat, gratulatur Tibullus." B. 4. Ita Codd. 5. H. B. i. e. „flecte, accommoda modos tuos ad verba carminis, quo laudo Messalinum." (*ad laudes - - meus* corrupte Cdd. pleriq. L.; qui proponit *ad laudes flectere verba mea* i. e. „ita informa verba mea, ut digne laudes Messalini concelebrent." Minus apti tamen aliquid habet etiam haec ratio; et vix corrupta essent vv. tam plana: *verba mea*.) (— *ad laudes fl. v. modis* V.) 8. *depositam* Codd. aliq. Edd. vett. 11. *debitus* Codd. aliq. V. B.

Lubrica signavit quom deus exta notis:
Te duce Romanos nunquam frustrata Sibylla est,
Abdita quae senis fata canit pedibus.
Phoebe, sacras Messalinum sine tangere chartas
Vatis et ipse, precor, quid canat illa, doce.
Haec dedit Aeneae sortes, postquam ille parentem
Dicitur et raptos sustinuisse Lares,
Nec fore credebat Romam, quom maestus ab alto
Ilion ardentes respiceretque deos:
(Romulus aeternae nondum firmaverat urbis
Moenia, consorti non habitanda Remo,
Sed tunc pascebant herbosa Palatia vaccae
Et stabant humiles in Iovis arce casae.
Lacte madens illic suberat Pan ilicis umbrae
Et facta agresti lignea falce Pales;
Pendebatque vagi pastoris in arbore votum,
Garrula silvestri fistula sacra deo,
Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo;
Nam calamus cera iungitur usque minor.
At qua Velabri regio patet, ire solebat
Exiguus pulsa per vada linter aqua.
Illa saepe gregis diti placitura magistro
Ad iuvenem festa est vecta puella die;
Cum qua fecundi redierunt munera ruris,
Caseus et niveae candidus agnus ovis.)
„Impiger Aenea, volitantis frater Amoris,

18. *quod* Codd. aliq. B. L. — *quoi* V. coni. 23. *formaverat* Codd. multi. B. — *fundaverat* al. Mur. 33. *Et* Codd. aliq. V. B. Ib. *Velabrum* planities inter Capitolium, Palatinum et Aventinum montem. 35. *diti*] Muretus. — *ditis* cum suis Cdd. L., quod est ex accommod. ad proximum voc. 39. Redit oratio ad v. 22. 43. *Numicius*, amnis inter Laurentum ac Lavinium decurrens. v. Liv. 1, 2. Iustin. 43, 1. Virg. Aen. 12, 794. Ovid. Met. 14, 581. 45. *volitans* Cod. 1. V. 53. *datos furtim* V. coni. — *tuos, urnam* Schrader. Est τὰς λάϑρα, λεληϑότως συνουσίας, ut, notante Huschkio, αἱ παραυτίκα ἡδοναί, αἱ ἄγαν σπουδαί. 55. *septem de* Cod. 1. V. B. 57. *rebus* Codd. 2. V. 59. *rutilantibus* V. coni. 66. i. e. „iactavit comas ante caput fusas." (Capronae dicuntur comae, quae ante frontem sunt, quasi a capite pronae. Lucil. Sat. Lib. VII. *Apturi* (*iactari* Huschk.) *caput atque comas fluitare capronas, Altas, frontibus immissas, ut mos fuit illis.* Nonius.) Huschk. Scal.: — *Iactavit fusa sed caput ante coma.* Voss.: — *iactat diffusa dum caput ante coma.* v. 67. - 70. refer ad v. 79. *Haec fuerant olim.* Lactant. 1. 6, 10. *M. Varro scripsit - Sibyllas decem numero fuisse — — septimam Cumanam, nomine Amaltheam, quae ab aliis Demophile vel Herophile nominatur, eamque novem*

Troica qui profugis sacra vehis ratibus,
Iam tibi Laurentes assignat Iuppiter agros;
Iam vocat errantes hospita terra Lares.
Illic sanctus eris, quom te veneranda Numici
Unda deum caelo miserit Indigetem.
Ecce super fessas volitat Victoria puppes!
Tandem ad Troianos diva superba venit.
Ecce mihi lucent Rutulis incendia castris!
Iam tibi praedico, barbare Turne, necem.
Ante oculos Laurens castrum murusque Lavini est
Albaque ab Ascanio condita Longa duce.
Te quoque iam video, Marti placitura sacerdos,
Ilia, Vestales deseruisse focos,
Concubitusque tuos furtim vittasque iacentes
Et cupidi ad ripas arma relicta dei.
Carpite nunc, tauri, de septem montibus herbas,
Dum licet; hic magnae iam locus urbis erit.
Roma, tuum nomen terris fatale regendis,
Qua sua de caelo prospicit arva Ceres,
Quaque patent ortus et qua fluitantibus undis
Solis anhelantes abluit amnis equos.
Troia quidem tunc se mirabitur et sibi dicet
Vos bene tam longa consuluisse via.
Vera cano, sic usque sacras innoxia laurus
Vescar et aeternum sit mihi virginitas!"
Haec cecinit vates et te sibi, Phoebe, vocavit,

libros attulisse ad Tarquinium Priscum — — octavam Hellesponticam, in agro Troiano natam vico Mermesso, circa oppidum Gergitium. — decimam Tiburtem, nomine Albuneam, quae Tiburi colatur ut dea iuxta ripas amnis Anienis, cuius in gurgite simulacrum eius inventum esse dicitur tenens in manu librum, cuius sortes Senatus in Capitolium transtulerit: Cfr. etiam Marcianum Capellam Lib. 2. p. 64. Walthard.; ubi alia traduntur. scil.: *Sibylla vel Erythraea, quaeque Cumaea est, vel Phrygia? quas non decem, ut asserunt, sed duas fuisse non nescis, id est, Herophilen Troianam, Marmensi* (sic) *filiam, et Symmachiam Hyppotensis filiam, quae Erythraea progenita, etiam Cumis est vaticinata.* H. l. Herophile, Apollinis Sminthei sacerdos, ab Amalthea distinguitur. Pro *Mermessia* Salmasii coni. libri habent *Marpesia.* cfr. Paus. 10, 12. ubi ipsa loquitur: πατρὶς δέ μοί ἐστιν ἐρυθρὴ Μάρπησσος — unde fortasse coniunctim leg. *quidquid Marpessia dixit Herophile.* (Et ita, ut volebam in Ed. prima, scripsit Lachm.; unde nunc recepi.) Si vero cum Vossio pro *Phoebo* scribas *Demo*, aut quod probabilius certe erat, cum Huschkio *Phyto* (Sibylla Samia), tum quidem *grataque* non habebit, quo referatur; nam et apud Ovid. Metam. 14, 123. Sibylla *dis* gratissima, non simpliciter *grata* dicitur.

Iactavit fusas et caput ante comas.
Quidquid Amalthea, quidquid Marpessia dixit
Herophile, Phoebo grataque quod monuit,
Quasque Aniena sacras Tiburs per flumina sortes
Portarit sicco pertuleritque sinu:
(Hae fore dixerunt belli mala signa cometen,
Multus ut in terras deplueretque lapis:
Atque tubas atque arma ferunt strepitantia caelo
Audita et lucos praecinuisse fugam.
Ipsum etiam Solem defectum lumine vidit
Iungere pallentes nubilus annus equos
Et simulacra deûm lacrimas fudisse tepentes
Fataque vocales praemonuisse boves:)
Haec fuerant olim: sed tu iam mitis, Apollo,
Prodigia indomitis merge sub aequoribus,
Et succensa sacris crepitet bene laurea flammis,
Omine quo felix et sacer annus erit.
Laurus ubi bona signa dedit, gaudete coloni;
Distendet spicis horrea plena Ceres,
Oblitus et musto feriet pede rusticus uvas,
Dolia dum magni deficiantque lacus.
At madidus Baccho sua festa Palilia pastor
Concinet; a stabulis tunc procul este, lupi.
Ille levis stipulae sollemnes potus acervos
Accendet, flammas transilietque sacras;
Et fetus matrona dabit natusque parenti
Oscula comprensis auribus eripiet,
Nec taedebit avum parvo advigilare nepoti,
Balbaque cum puero dicere verba senem.
Tunc operata deo pubes discumbet in herba,
Arboris antiquae qua levis umbra cadit;

68. *grata quod admonuit* Codd. aliq. V. B. 69. *Quasque Albuna sacras Tiberis* Scalig. (nisi quod pro *quasque*, ut Codd. habent, dedit: *quodque*) Edd. recentt. Nostram lectionem exhibent Lipsii Exc. Gyrald. Voss. Huschk. Bach. Nostram lect. haud improbans cum Cdd. L. dedit: *Albana sacras Tiberis.* 70. *praetulerit* al. *perluerit* al. *praeluerit* Voss. 73. *strepitantia*] cum Cdd. L. — *crepitantia* in uno (c.) correctum et Vulgo. 75. *lumina* Cod. 1. Broukh. 79. *fuerant*] cum Cdd. suis L. i. e. „iam dudum haec praeterierunt; tu fac, ut similia prodigia, qualia sub Caesaris interitum exstiterunt, nunquam redeant." — *fuerunt* Cdd. aliq. B. — *fuerint* vulgo de Broukh. coni. 82. *eat* Pucc. V. B. 83. *Laurus uti – dedit!* V. B. *Ut laurus* Edd. antiquae. *Laurus, io* de Heinsii coni. Heyn. 86. *de-*

Aut e veste sua tendent umbracula sertis
    Vincta, coronatus stabit et ante calix.
At sibi quisque dapes et festas exstruet alte
    Cespitibus mensas cespitibusque torum.
Ingeret hic potus iuvenis maledicta puellae,
    Postmodo quae votis irrita facta velit.
Nam ferus ille suae plorabit sobrius idem
    Et se iurabit mente fuisse mala.
Pace tua, pereant arcus pereantque sagittae,
    Phoebe, modo in terris erret inermis Amor;
Ars bona; sed, postquam sumpsit sibi tela Cupido,
    Heu heu quam multis ars dedit illa malum!
Et mihi praecipue: iaceo quom saucius annum
    Et faveo morbo, quom iuvat ipse dolor,
Usque cano Nemesin, sine qua versus mihi nullus
    Verba potest iustos aut reperire pedes.
At tu, nam divûm servat tutela poëtas,
    Praemoneo, vati parce, puella, sacro:
Ut Messalinum celebrem, quom praemia belli
    Ante suos currus oppida victa feret,
Ipse gerens laurus; lauro devinctus agresti,
    Miles, Io, magna voce, Triumphe, canet.
Tunc Messala meus pia det spectacula turbae
    Et plaudat curru praetereunte pater.
Annue; sic tibi sint intonsi, Phoebe, capilli,
    Sic tua perpetuo sit tibi casta soror!

PSEUDOTIBULLI
Libri III. ELEGIA. V.

Vos tenet, Etruscis manat quae fontibus unda,
    Unda sub aestivum non adeunda Canem,

ficiuntque] cum Cdd. Broukh. Lachm. — *deficientque* Regiensis. H. 103. *ium* Cod. 1. V. 105. *pereunt*] cum Cdd. L. — *pereantque* vulgo e libro Sfortiae. 107. *sua tela* Codd. 2. V. 108. *ista* Codd. multi V. B. 109. *At* al. 110. *foveo morbum* Cd. 1. Totum locum constitui cum Lachm. Huschk.: — *Et mihi praecipue, iaceo quom saucius annum Et faveo morbo; tum iuvat ipse dolor! Vixque cano Nemesin:* in quibus *tum* est e coni. Passeratii, *Vixque* habent Itali et primus Aldus dedit 1515. *Usque* praetulerunt etiam Wund. V. et B. 112. *reperisse* Codd. 4. V. B. 117. *lauros* e Cd. C. L.

Lib. III. ELEG. V.

1. *montibus* Cod. 1. duo in marg. V.

Nunc autem sacris Baiarum maxima lymphis,
  Quom se purpureo vere remittit humus.
At mihi Persephone nigram denuntiat horam:
  Immerito iuveni parce nocere, dea!
Non ego tentavi nulli temeranda piorum
  Audax laudandae sacra docere deae;
Nec mea mortiferis infecit pocula succis
  Dextera nec cuiquam trita venena dedit;
Nec nos sacrilegi templis admovimus ignes,
  Nec cor sollicitant facta nefanda meum;
Nec nos insanae meditantes iurgia mentis
  Impia in adversos solvimus ora deos:
Et nondum cani nigros laesere capillos,
  Nec venit tardo curva senecta pede.
Natalem primo nostrum videre parentes,
  Quom cecidit fato consul uterque pari.
Quid fraudare iuvat vitem crescentibus uvis
  Et modo nata mala vellere poma manu?
Parcite, pallentes undas quicunque tenetis
  Duraque sortiti tertia regna dei.
Elysios olim liceat cognoscere campos
  Lethaeamque ratem Cimmeriosque lacus,
Quom mea rugosa pallebunt ora senecta
  Et referam pueris tempora prisca senex.
Atque utinam vano nequidquam terrear aestu!
  Languent ter quinos sed mea membra dies.
At vobis Tuscae celebrantur numina lymphae
  Et facilis lenta pellitur unda manu.
Vivite felices, memores et vivite nostri,
  Sive erimus seu nos Fata fuisse volent.
Interea nigras pecudes promittite Diti
  Et nivei lactis pocula mixta mero.

3. *proxima* Sciopp. Heins. Vulp. *Nunc aequans – munia* V. coni. Construe cum Huschk. „*unda maxima sacris lymphis Baiarum*," quae propter lymphas salubres maxime celebratur. 7. *piorum* Itali, Exc. Colotii, Huschk. Plurimi Codd.: — *deorum*, sicque Lachm., nullâ sententiâ; *p* autem et *d* saepissime confunduntur in Cdd. Alii, ut edd. pleraeque *virorum* V. B. quod rectius utique haberet, si *sacra laudandae* essent ritus *Bonae Deae*, nec vero potius *Cereris* ac *Liberae;* hae enim σεμναὶ θεαί, v. Scal. et Huschk. (τίμιοι θεῶν Pind. Ol. 2, 117. vix huc pertinent.) Pro *laudandae*, *celandae* Pucc. 8. *cernere sacra*] V. coni. 10. *trita* e Cd. F., cuius ma-

xima est auctoritas, L. — *certa* Cdd. celt. V. B. — *tetra* Scal. H. 11. *sacrilegi*] item ex F., L. — *sacrilegis* ex accommodatione Cdd. aliq. Hoc correctum: — *sacrilegos* Alii, Vulgo. 12. *ulla* pro *facta* e Cdd. aliq. V. 13. *mentis*] ex optt. Cdd. L. — *linguae* Vulgo. 17. *primo nostrum*] „*nostri primum* vulgo ex libris paucis nec bonis. Deus est Natalis." Lachm. 18. Ovid. Trist. 4, 10, 6. *Editus hic ego sum; nec non, ut tempora noris, Quom cecidit fato Consul uterque pari.* i. e. a. u. c. 711., quo proelio ad Mutinam commisso Hirtius et Pansa Coss. cecidere. Ceterum de toto hoc disticho cfr. ante omnes Passovium acutissime disputantem in Diario crit. Halensi 1825. N. 131. p. 210. seqq. Pendet ex duobus his versiculis tota quaestio de auctoritate libri tertii carminum Tibulli. Ubi deleveris tamquam ineptam Ovidii l. l. imitationem ab interpolatore nostro poëtae obtrusam, externa argumenta, quibus liber tertius abiudicetur Tibullo, nulla iam restabunt; ex internis, stili scilicet diversitate, languore ac nimia tenuitate sententiarum omnis res erit diiudicanda. At mihi quoque multo magis probatur eorum sententia, qui censent eum, qui composuerit hunc librum, hominem, qui sub extremam Augusti aetatem vixerit, inepte hic imitatum esse Ovidii versiculum, adeoque validissimum esse hoc argumentum, quo demonstretur hunc librum Tibulli non esse. Totus nimirum versiculus eiusmodi habet colorem, ut vix alii quam Ovidio prima eius inventio tribui queat. Quod si negari non potest, tota fraus aperta est. Nunquam tamen Lygdamum ego vocabo eum, quem longe rectius Pseudotibullum appellabimus. 21. *umbras* Codd. aliq. 24. *Cimmerios* (Od. λ, 13.) recentiores circa Baias et Cumas prope lacum Avernum ponunt. v. Serv. ad Aen. 6, 167. Ovid. Met. 11, 592. 28. *iam mea* Codd. aliq. B. 32. *velint* Libri complures. V. B. L. solito in hoc tempore errore. Nec vero conveniunt *erimus* - *velint*.

SEX. AURELII PROPERTII
ELEGIAE SELECTAE.

Libri I. ELEGIA II.

Quid iuvat ornato procedere, vita, capillo
Et tenues Coa veste movere sinus,
Aut quid Orontea crines perfundere myrrha
Teque peregrinis vendere muneribus
Naturaeque decus mercato perdere cultu
Nec sinere in propriis membra nitere bonis?
Crede mihi, non ulla tuae est medicina figurae:
Nudus Amor formae non amat artificem.
Adspice, quos summittit humus formosa colores,
Ut veniant hederae sponte sua melius,
Surgat et in solis formosius arbutus antris,

(In iterata hac Ed. consului curas Iacobsii et Bekkeri, tum Paldami, Iacobi et Lachmanni secundas: (L2.) cum ea tamen cautione, quam suadebat severior, sed in multis iustissima harum trium Edd. Censura Lipsiensis 1830. p. 505. Magno opere autem laudandus eo nomine est L2., quod plerasque suas coniecturas tamquam certissimas prius a se propositas receptasque tacite nunc reiecit.)

Lib. I. ELEG. II.

2. *Coa veste*, bombycina s. serica, pellucida, et quasi vitrea, quales bombycia ex ultimo oriente allata retorquentes mulieres in Co insula texebant. v. Aristot. H. A. 5. 19. p. 523. Cas. Heindorf ad Hor. Sat. 1, 2, 101. 3. *Orontea* ab Oronte, Syriae fluvio. 5. *prodere* Burm. coni. 8. *formam* Heins. Burm. Kuin., ut Pers. 5, 40. 9. *quos* Codd. meliores, Iac. Pald. — *quot* Volsc. Vulgo. — *quo sum.* L2. id esset, si benigne interpretari velis: „adspice eo, ubi cet." quod mihi contortum videtur. Immo, ut omnes Latine scientes uno ore profitebuntur, manifestus est error, quem V. D. nunquam recipere debuisset. 10. *ut* Italus corrector in Statii Cod. Vulp. L. — *et* reliqui. Iac. L2. prorsus luxata constructione. 11. *formosius*] Negligentiam hanc defendit Hemsterhusius. — *felicius* Lachm. — *pomosior* Heins. — *frondosior* Bentl. prob. Pald. Contra pro *humus formosa* Wakef. volebat *humus non versa.* 13. Ita L. ex Codd. *perlucent* mavult Huschk. ad Tib. 1, 7, 21. *nativos per se dent picta lapillos*, *Et canant* Scal. coni. vulgo recepta. 15. Desponderat Leucippus Phoeben et Hilairam Lynceo et Idae, Apharei filiis; Castor ac Pollux eas rapuere, raptas sponsi repetiverunt, sed a rivalibus occisi sunt. (Pind. Nem. 10, 110.) Theocr. Id. 22.

Et sciat indociles currere lympha vias.
Litora nativis collucent picta lapillis,
Et volucres nulla dulcius arte canunt.
Non sic Leucippis succendit Castora Phoebe,
Pollucem cultu non Hilaïra soror:
Non Idae et cupido quondam discordia Phoebo
Eueni patriis filia litoribus:
Nec Phrygium falso traxit candore maritum
Avecta externis Hippodamia rotis:
Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis,
Qualis Apelleis est color in tabulis;
Non illis studium vulgo conquirere amantes;
Illis ampla satis forma pudicitia.
Non ego nunc vereor, ne sis mihi vilior istis;
Uni si qua placet, culta puella sat est;
Quom tibi praesertim Phoebus sua carmina donet
Aoniamque libens Calliopea lyram,
Unica nec desit iucundis gratia verbis,
Omnia quaeque Venus quaeque Minerva probat.
His tu semper eris nostrae gratissima vitae,
Taedia dum miserae sint tibi luxuriae.

137. Ovid. Fast. 5, 699. Hygin. Fab. 80. 18. Eveni, Aetoliae regis filia, Marpessa post raptum uxor Idae, ab Apolline frustra cupita. Iliad. 9. 553. Ovid. Met. 8, 305. Fast. 5, 701. 19. *Phrygium* Pelopem, qui Neptuni praesidio et aurigae Myrtili dolo Hippodamia, Oenomai filia, potitus est. 22. Significat Venerem ἀναδυομένην ab Apelle pictam. 25. Ut sententia sibi constaret, reverti ad lect. Italorum et Scaligeri *ne sis mihi*. „Iam certus sum nunquam fore, ut te, mea Cynthia, posthabeam istis puellis, qui cultu suo vulgo conquirunt amantes cet." Lachm. dedit: *Non ego nunc vereor, ne sim tibi vilior istis.*" Bey welcher Leseart einmal die dem Propertius eigenthümliche Formel *non ego vereor* für *gewiſs, bestimmter Meinung seyn* unberücksichtigt und *nunc* unerklärbar blieb; dann aber in *istis* die *vulgo amantes* verstanden werden sollten, mit denen sich der Dichter sicher nicht verglichen und beruhigt haben würde, weil er nicht *vilior* sey, als diese. Um wenigstens *nunc* zu einem Sinne zu verhelfen coniicirt Iacob: *Non ego nunc verear ne sim tibi vilior istis?* — und erklärt: da du dich so sorgsam schmückst, sollte ich da nicht meine Nebenbuhler fürchten? denn wenn ein Mädchen nur Einem gefallen will, schmückt sie sich nur für diesen Einen. Was aber sagt die Logik zu dieser Folgerung: „Cynthia putzt sich, also hat sie Liebhaber; denn hätte sie mich allein lieb, so putzte sie sich mir allein" —? Und dann steht *placet*, nicht *placere vult* und *cultu sat est* kann nicht heiſsen *satis habet se huic ornare*. Man erwartet doch in diesem Schlusse: „wenn du mich allein lieb hättest, so putztest du dich nicht." Dazu paſst aber das *ne sim tibi vilior istis* gar nicht." Criticus Lipsiensis. 28. *Aonia* Boeotiae pars montana, in qua Aganippe fons, Musis dicatus.

Libri II. ELEGIA. X. Burm. (III. IV. Lachm.)

Quandocunque igitur nostros mors claudet ocellos,
Accipe quae serves funeris acta mei.
Nec mea tunc longa spatietur imagine pompa,
Nec tuba sit fati vana querela mei,
Nec mihi tunc fulcro sternatur lectus eburno,
Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.
Desit odoriferis ordo mihi lancibus; adsint
Plebeii parvae funeris exsequiae.
Sat mea sat magna est, si tres sint pompa libelli,
Quos ego Persephonae maxima dona feram.
Tu vero nudum pectus lacerata sequeris,
Nec fueris nomen lassa vocare meum,
Osculaque in gelidis pones suprema labellis,
Quom dabitur Syrio munere plenus onyx.
Deinde, ubi suppositus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat Manes parvula testa meos,
Et sit in exiguo laurus superaddita busto,
Quae tegat exstincti funeris umbra locum,
Et duo sint versus: Qui nunc iacet horrida pulvis,
Unius hic quondam servus Amoris erat.
Nec minus haec nostri notescet fama sepulcri,
Quam fuerant Phthii busta cruenta viri.
Tu quoque, si quando venies ad fata, (memento)
Hoc iter ad lapides cana veni memores.
Interea cave sis nos aspernata sepultos:
Non nihil ad verum conscia terra sapit.

Lib. II. ELEG. X. Burm. (III. IV. Lachm.)

1. *mors* Codd. omnes. — *nox* Heins. Broukh. Burm. Iac. 6. *toro* Attalicis vestibus instrato. Plin. H. N. 8, 48. *Aurum intexere vestibus invenit Attalus rex*. 7. *at sint* Heins. coni. L1. 11. *sequare* Burm. 13. *ponas* id. 19. „*arida* v. c. Puccius; quod praeferendum videtur. Non enim terrorem, sed misericordiam vult commovere." Iac. 24. Ita Cdd., nisi quod plerique distinguunt post *iter*. Distinctionem servatam a Pald. et Iac., recte bis sustulit Lachm., ut coniungatur: *veni hoc iter*. Ib. Ita Codd. nisi quod distinguunt post *iter*. — *memento hoc itere ad lapides cana venire meos*. Scal. B. 31. *Quis tam longaevae meminisset* Burm. — *Si tam longaevae minuisset* Barth. Nos Lachm. secuti sumus, nisi quod *Gallicus* prae nimis incerta eius coniectura *Ilius* probata Iacobo, retinere maluimus. *Gallicum* militem docte in ambiguo vocabulo velut ludibundus dixisse videtur pro Phrygio, a Gallo Phrygiae fluvio. Aliae coni. sunt Boherii *Bellicus*, non improbata Paldamo p. 309. et Naekii *Choeril*. p. 136. *Caerulus* = *caeruleus* = *niger* = *Aethiops* = *Memnon*. Tali scil. progressione veluti mathematicus Viri acutissimi iocus facillime explicari potest.

Atque utinam primis animam me ponere cunis
  Iussisset quaevis de tribus una soror!
Nam quo tam dubiae servetur spiritus horae?
  Nestoris est visus post tria secla cinis.
Cui si tam longae minuisset fata senectae
  Gallicus Iliacis miles in aggeribus,
Non ille Antilochi vidisset corpus humari;
  Diceret aut: „O mors, cur mihi sera venis?"
Tu tamen amisso non nunquam flebis amico:
  Fas est praeteritos semper amare viros.
Testis, cui niveum quondam percussit Adonin
  Venantem Idalio vertice durus aper:
Illis formosum iacuisse paludibus, illuc
  Diceris effusa tu, Venus, isse coma.
Sed frustra mutos revocabis, Cynthia, Manes:
  Nam mea quid poterunt ossa minuta loqui?

Libri II. ELEGIA XXVI.

Vidi te in somnis fracta, mea vita, carina
  Ionio lassas ducere rore manus
Et quaecunque in me fueras mentita fateri
  Nec iam humore graves tollere posse comas,
Qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen,
  Aurea quam molli tergore vexit ovis.
Quam timui, ne forte tuum mare nomen haberet
  Atque tua labens navita fleret aqua!
Quae tum ego Neptuno, quae tum cum Castore fratri,

Simili acumine *Glaucius* i. e. Sarpedon, Censor nescio qui Ienensis, et ego aliquando: *Mallicus*, pro: Mallotes, a Mallo Ciliciae urbe, Iliad. ζ. 897. Sed haec omnia ludibria sunt in voc. vel, ut diximus, explicando vel, si hoc non sufficit, pro desperato nobis habendo. 33. Ita Codd. plerique. Edd. *humati.* 37. *cui* Huschk. L. Iac. — *qui* Codd. aliae Edd. — *Testis*, *quem* - - *percussit: Adonis.* Markl. 39. A mutanda vulgata abstinuimus, quum emendationum a criticis propositarum nulla satisfaciat. Fluctuant libri inter *Illis* et *Illic*, *iacuisse*, *flevisse* et *lavisse*, quod se probavit Censori Ien. — *Illic formosum flevisse*, *paludibus illic* Huschk. — *Illic formosis iacuisse paludibus*, *illuc* Lachm. Sed de *formosis paludibus* paucis, opinor, persuadebit V. D. (Ipse in sec. Ed. et Iac. nostram lect. servarunt. Confusa duplex est constructio: „formosum iacuisse dicunt, illuc diceris tu isse.")

Lib. II. Eleg. XXVI.

10. „*excipere* rariore usu est pacisci, ut certis aliquid conditionibus fiat." Bekker. Ib. *iam dea* e Cdd. Iac. L2. „quae quum mortalis olim fuisses, nunc praesens es Dea." — *tum dea* Vulgo.

Quaeque tibi excepi, iam dea Leucothee!
At tu vix primas extollens gurgite palmas
Saepe meum nomen iam peritura vocas.
Quod si forte tuos vidisset Glaucus ocellos,
Esses Ionii facta puella maris,
Et tibi ob invidiam Nereides increpitarent,
Candida Nesaee, caerula Cymothoe.
Sed tibi subsidio delphinum currere vidi,
Qui, puto, Arioniam vexerat ante lyram:
Iamque ego conabar summo me mittere saxo,
Quom mihi discussit talia visa metus.

Libri III. (IV.) ELEGIA I.

Callimachi Manes et Coi sacra Philetae,
In vestrum, quaeso, me sinite ire nemus.
Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Itala per Graios orgia ferre choros.
Dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro,
Quove pede ingressi, quamve bibistis aquam?
Ah valeat, Phoebum quicunque moratur in armis!
Exactus tenui pumice versus eat,
Quo me Fama levat terra sublimis et a me

15. *ob invidiam* e Cdd. Iac. L2. — *prae invidia* Regiensis. Vulg. 17. — *subsidium* Alii.

Lib. III. (IV.) ELEG. I.

1. *Scripta* Valck. Callim. El. fragm. p. 1. aptissima scilicet oppositione *Manium* et *scriptorum! Sacra Philetae* utique explicanda ex Martial. 7, 62. *Sacra - Maronis* i. e. ars recondita, quae in ipso poëta olim fuerat atque etiamnunc per eius scripta se prodit. Diverso paullulum significatu Ovid. *ex Ponto* 3, 4, 67. *Sunt mihi vobiscum communia sacra, poëtae, In vestro miseris si licet esse choro;* et Pers. Prol. 7. *sacra vatum*, de omnium poëtarum veluti sodalitio, sua sacra habente, ubi laudant Platonis in Euthyd. p. 277. τὰ ἱερὰ τὰ σοφιστικά, quod tamen homonymum est τῆς τελετῆς. Vulpius interpretatus est *manes*; sed in locis, quos laudat, Ovid. Met. 10, 696. Fast. 6, 449. vox *sacra* utrobique significat Deûm *simulacra*. Paldamus accipit pro: „sacer Phileta." et Iacobs (*Blumenlese* p. 194.) „sacra Philetae *für den Philetas selbst, der nach seinem Tode, wie die Manes überhaupt, höheren Naturen beyzuzählen ist.*" *Philetas* Praeceptor Ptolemaei Philadelphi, scriptor elegiarum et epigrammatum, cuius fragmenta collegit Nic. Bachius Halis. 1829. 8. 4. Initium alterius elegiae perperam h. l. intrusum fuisse sine causa suspicatur Valck., qui audacter v. 4. ita refingit: *Graia per Italicos orgia ferre choros*, quod interpretatione iam praeceperat Burmannus. Vulgatae, quae recte habet, significatus est: Poësin s. potius elegiam dumtaxat Latinam *primus*, (quod tamen ex solito poëtarum Romanorum more dictum h. l. nimis urgendum non est) conformavi ad Grae-

Nata coronatis Musa triumphat equis,
Et mecum in curru parvi vectantur Amores
Scriptorumque meas turba secuta rotas.
Quid frustra missis in me certatis habenis?
Non datur ad Musas currere lata via.
Multi, Roma, tuas laudes annalibus addent,
Qui finem imperii Bactra futura canent:
Sed, quod pace legas, opus hoc de monte Sororum
Detulit intacta pagina nostra via.
Mollia, Pegasides, vestro date serta poëtae:
Non faciet capiti dura corona meo.
At mihi, quod vivo detraxerit invida turba,
Post obitum duplici fenore reddet Honos.
Omnia post obitum fingit maiora vetustas:
Maius ab exsequiis nomen in ora venit.
Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces
Fluminaque Haemonia cominus isse viro,
Idaeum Simoënta, Iovis cunabula parvi,
Hectora per campos ter maculasse rotas?
Deïphobumque Helenumque et Polydamanta et in armis
Qualemcunque Parin vix sua nosset humus.
Exiguo sermone fores nunc, Ilion et tu

cam hancque potissimum sum aemulatus. 5. *tenuastis* nove dictum pro: „tenuiter, summa cum arte composuistis": tum v. 6.: qua numerorum elegiacorum arte tam absoluta usi estis. 6. *quave bib.* Edd. vett. Valck. 10. *nota* Ital. coni. a Lachm. in Ed. pr. recepta, ac postea multis probata. Recte Iac. et L2. redierunt ad lect. *nato*: „cui ego originem dedi, quae a me proficiscitur." Cfr. v. 18. 12. *scriptorum* plerique interpretantur „poëtarum, me scil. imitantium, etiam aemulorum. Sed vide, ne longe elegantius cum Amoribus copulentur *scripta*, carmina ipsius Propertii, quae quasi vitam atque corpus habentia currum eius triumphalem subsequantur. Tum ex improviso convertitur ad aemulos poëticae gloriae, ita eos increpans: „Quid frustra mecum certatis? Nemini concessum est, lata, propatula illa via et a plerisque trita, (epici in primis carminis) in Musarum sacrarium penetrare, id quod mihi contigit." Monui hoc maxime propter Bekkerum, qui hac sententia haud perspecta volebat per interrogationem, mira ratione: *Non datur ad Musas currere lata via?* 16. *canant* Cod. Groning., sed v. Huschk. ad Tib. 4, 1. 36. 26. *Haemonium - virum* Heins. — Achillem, Thessalum, intelligit, quocum Xanthus s. Scamander a Simoënte adiutus, congressus est v. Il. φ, 210. 27. Mixtae h. l. ut alias quoque, fabulae Cretenses et Phrygiae. (cfr. Strabo 10, 7.) Lachm. in Ed. pr. hunc versum spurium iudicavit, sine causa, opinor. 28. „*per c.* omnes Cdd. tenent, nec est quod in *ter* mutemus cum Vulg." Iac. 29. *Polydamantes* (Antenoris filius Polydamas, prudentia clarus. Il. 6, 249.) *in armis* Codd. *Polydamanta sub armis* Itali. *Polydamanta sine armis* Scal. B., cui Lachm. coni. praetulimus. 32. *Oetaei* Herculis.

Troia, bis Oetaei numine capta dei.
Nec non ille tui casus memorator Homerus
Posteritate suum crescere sensit opus.
Meque inter seros laudabit Roma nepotes;
Illum post cineres auguror ipse diem.
Ne mea contempto lapis indicet ossa sepulcro,
Provisum est, Lycio vota probante deo.
Carminis interea nostri redeamus in orbem,
Gaudeat ut solito tacta puella sono.
Orphea delinisse feras et concita dicunt
Flumina Threïcia sustinuisse lyra.
Saxa Cithaeronis Thebas agitata per artem
Sponte sua in muri membra coisse ferunt:
Quin etiam, Polypheme, fera Galatea sub Aetna
Ad tua rorantes carmina flexit equos:
Miremur, nobis et Baccho et Apolline dextro,
Turba puellarum si mea verba colit?
Quod non Taenariis domus est mihi fulta columnis,
Nec camera auratas inter eburna trabes,
Nec mea Phaeacas aequant pomaria silvas,
Non operosa rigat Marcius antra liquor:
At Musae comites et carmina grata legenti
Et defessa choris Calliopea meis.

34. *sentit* Cod. 1. Broukh. Vulgo. 40. *ut solito* habet Ed. pr. minor, unde quod Lachm. adhuc iguorabat, evincitur, in Codice saltem uno hanc lectionem exstitisse, quam pleraeque Edd. recent. v. c. Burm. exhibent. Altera Ed. pr. cum multis libris *insolito*, unde Burm. et Lachm. *in solito*, collato 2, 4, 28. *Gaudeat in puero, si quis amicus erit.* Huschk. ad Tib. 3, 1, 8.: „Nemo gaudet in *sono*, multi in *puero*. Ovid. Fast. 4, 193. *Gaudeat assiduo cur Dea magna sono.*" Praeterea iungendum est, *ut Gaudeat puella tactu sono solito*, neutiquam vero *Gaudeat (in) solito sono puella tacta.* (Etiam Iac. *ut solito.*) 41. Novam elegiam hinc ordiuntur Gryph. Douza. Vulp. *Orphea detinuisse* cum Cdd. Iac. et L2. In Ed. pr. L. secutus erat Ayrmanni coni. minime aspernandam: *Orphea delenisse;* in pentametro nonnulli iterum *detinuisse.* Broukh. Burm. receperunt Heinsii coni.: — *Orpheu, te duxisse* et v. 42. *detinuisse.* Italici pauci: — *Orpheu, te tenuisse*, quod nuper praetulit Nobbe. — *Orpheu, te lenisse* Kuin. 43. *Thebanam* Heins. sed iunge: *saxa agitata*, commota suis sedibus et attracta ad *Thebas.* 49. In *Taenaro* Laconiae promontorio lapidicinae marmoris viridis erant. Plin. H. N. 36, 7. 52. Plin. H. N. 31, 24. *Clarissima aquarum omnium in toto orbe, frigoris salubritatisque palma praeconio urbis Marcia est, inter reliqua deûm munera urbi tributa. Oritur in ultimis montibus Pelignorum: transit Marsos et Fucinum lacum, Romam non dubie petens. Mox in specus mersa, in Tiburtina se aperit novem millibus pass. fornicibus structis perducta. Primus eam in urbem ducere auspicatus est An-*

Fortunata meo si qua es celebrata libello!
 Carmina erunt formae tot monumenta tuae:
Nam neque Pyramidum sumptus ad sidera ducti,
 Nec Iovis Elei caelum imitata domus,
Nec Mausolei dives fortuna sepulcri
 Mortis ab extrema conditione vacant.
Aut illis flamma aut imber subducet honores;
 Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quaesitum nomen ab aevo
 Excidet: ingenio stat sine morte decus.

Lib. III. (IV.) ELEGIA II.

Visus eram molli recubans Heliconis in umbra,
 Bellerophontei qua fluit humor equi,
Reges, Alba, tuos et regum facta tuorum,
 Tantum operis, nervis hiscere posse meis:
Parvaque tam magnis admoram fontibus ora,
 Unde pater sitiens Ennius ante bibit,
Et cecini Curios fratres et Horatia pila,
 Regiaque Aemilia vecta tropaea rate;
Victricesque moras Fabii pugnamque sinistram
 Cannensem et versos ad pia vota deos;
Hannibalemque Lares Romana sede fugantes,

cus Marcius. Postea Q. Marcius Rex in praetura, rursusque restituit M. Agrippa. 53. *grata* cum Cdd. Iac. L2. — *cara* Vulgo. — *rara* Cod. 1. Nobbe. 57. De toto h. l. egregie disputat Wyttenb. Bibl. Crit. 3, 4. p. 50. contra interpolatores Batavos. Burm. scil. malebat v. 57. *montes* v. 62. Broukh. *actu*. Burm. *pondere*; de quibus commentis ita Wyttenb. pronuntiat: „His in versibus quum omnia sint plana et a prioribus vel tacite probata vel diserte explicita interpretibus Graece doctissimis, Scaligero maxime et Mureto; posteriores nonnulli, et ipsi versibus pangendis nacti nomen pretiumque poëtae, quaedam desiderare coeperunt, elegantissimi quidem illi homines ingenii, sed iudicii fastidio decepti, nec quid hoc in Propertii loco desideraturi, si Graeca cogitassent exempla magisque spectassent, quid illa unice sequenti poëtae dicere licuerit, quam quid ipsi suis in versibus sibi licere putent." 60. *vacat* Reg. non improb. Iac.

Lib. III. (IV.) ELEG. II.

7. „Qua L. Aemilius Paullus Macedonicus post victoriam de Perse reportatam Romam reversus per Tiberim navigavit. Liv. 45, 35." Kuin. Ceterum *cecini* suspicatus est Iacobs *Blumenlese* p. 205. ideo, quia qui hic significatur Perses debellatus est demum a. u. c. 586. anno uno post Ennii obitum, nec igitur locum habere potuit eius rei mentio in eiusdem Annalibus. Recepit *cecini* L2. Cett.: — *cecinit*.

Anseris et tutum voce fuisse Iovem:
Quom me Castalia speculans ex arbore Phoebus
Sic ait, aurata nixus ad antra lyra:
„Quid tibi cum tali, demens, est flumine? quis te
Carminis heroi tangere iussit opus?
Non hic ulla tibi speranda est fama, Properti:
Mollia sunt parvis prata terenda rotis,
Ut tuus in scamno iactetur saepe libellus,
Quem legat exspectans sola puella virum.
Cur tua praescriptos evecta est pagina giros?
Non est ingenii cymba gravanda tui.
Alter remus aquas, alter tibi radat arenas;
Tutus eris: medio maxima turba mari est."
Dixerat, et plectro sedem mihi monstrat eburno,
Qua nova muscoso semita facta solo est.
Hic erat affixis viridis spelunca lapillis
Pendebantque cavis tympana pumicibus.
Ergo Musarum et Sileni patris imago
Fictilis et calami, Pan Tegeaee, tui;
Et Veneris dominae volucres, mea turba, columbae
Tingunt Gorgonea punica rostra lacu;
Diversaeque novem sortitae rura puellae
Exercent teneras in sua dona manus.
Haec hederas legit in thyrsos, haec carmina nervis
Aptat; et illa manu texit utraque rosam.

13. „*ex arbore*] Id non est *in arbore*, sed inter arbores, quod nos dicimus *aus den Bäumen* pro *durch die Bäume*." Hand Tursell. 2. p. 626. 17. *hic* Codd. L. — *hinc* Volscus. Vulgo. 21. Sic Lips. Scal. Vulgo. — L. et Iac. cum Cdd. *praescripto sevecta est pagina giro*: sed, ut v. *sevehi* (*auf die Seite fahren*) Latinum sit, de quo magno opere dubitare licet, ingratissima tamen esset imago. Totius loci distinctionem sic constituit Iacob.: *Mollia sunt parvis prata terenda rotis. Ut tuus in scamno iactetur saepe libellus, Quem legat exspectans sola puella virum, Cur tua praescripto sevecta est pagina giro? Ut* ita erit *licet, quamvis*. Sed tota loci sententia huic rationi repugnat merito a L2. reiectae. Est autem haec: „ut libenter legare a puellis, tenuia atque amatoria argumenta sequi debes." Non vero: „Licet tua carmina ament puellae, cur altiora affectas?" Et proprie *Ut - - iactetur*. ne significaret quidem illud, quod vult Iac., sed esset „fac tuum libellum iactari," *gesetzt auch du werdest häufig gelesen;* quod h. l. absurdum est. 29. *Ergo hic Musarum* Lachm. coni. Sed *ergo* h. l. non proprie quidem significat *tum* vel *deinde*, sed inservit tantum continuandae orationi, cum maiore aliqua vi. 30. a Tegea, Arcadiae urbe. 31. *Ut* Cod. Gron. — *mea cura* Passerat. 32. „i. e. Hippocrene, fons equi Gorgonei s. Pegasi ex cruore Medusae orti ungula pedis apertus." Kuin. 33. *iura* Scal. coni.

E quarum numero me contigit una dearum:
Ut reor a facie, Calliopea fuit.
„Contentus niveis semper vectabere cycnis,
Nec te fortis equi ducet ad arma sonus.
Nil tibi sit rauco praeconia classica cornu
Flare nec Aonium cingere Marte nemus:
Aut quibus in campis Mariano proelia signo
Stent et Teutonicas Roma refringat opes,
Barbarus aut Suevo perfusus sanguine Rhenus
Saucia maerenti corpora vectet aqua.
Quippe coronatos alienum ad limen amantes
Nocturnaeque canes ebria signa fugae,
Ut per te clausas sciat excantare puellas,
Qui volet austeros arte ferire viros."
Talia Calliope, lymphisque a fonte petitis,
Ora Philetaea nostra rigavit aqua.

Lib. III. (IV.) ELEGIA III.

Arma deus Caesar dites meditatur ad Indos
Et freta gemmiferi findere classe maris.
Magna, viri, merces: parat ultima terra triumphos;
Tigris et Euphrates sub tua iura fluent.
Sera, sed Ausoniis veniet provincia virgis:
Assuescent Latio Partha tropaea Iovi.
Ite, agite, expertae bello date lintea prorae,

Barth. 36. *et* L2. — *at* Iac. 37. *dearum* Codd. omnes praeter Heinsianum: ex quo Broukh. Burm. *sororum.* Interpolatori obversabatur Virg. Ecl. 6, 65. *Aonas in montes ut duxerit una sororum.* Ovid. Met. 5, 268. Tib. 3, 4, 45. *doctaeque sorores*, ubi v. Huschk. 41. *Nec tibi sit* Frut. Gronov. — *Ne* vel *ni t. s.* Passerat. Huschk. — *praetoria* Beroald. ex cod. Burm. al. Reliqui omnes *praeconia.* „Recte ita victoriarum navalium laudes dici possunt, ut *classica bella* 2, 1, 28." Lachm. Apte opponuntur in seqq. proelia terrestria. 45. *saevo* Codd. plerique, Iac. 48. *nocturnasque - - faces* Mur. favente Burm. 49. *exorare* Pucc. Iacob. verbo h. l. nimis vulgari.

Lib. III. (IV.) ELEG. III.

1. Augusto bellum adversus Indos, Arabas et Parthos (cfr. Aen. 7, 605.) paranti a. u. c. 730. bene ominatur. 3. *viri* Codd. omnes, quod primus recte distinxit Lachm. — *viae* Heins. Burm. Sed illa quoque lectione retenta, servari potest v. 4.: *sub tua iura*, ubi tertium veluti per parenthesin efferas; (ut 3, 11, 4, 10, 35. seqq.) nam *sub sua iura* Broukh. coni. L. (i. e. *sub debitam ditionem*) duriuscule dictum colliges ex 3, 11. (4, 10.) 2, 32. ubi *sub sua iura* et *in sua regna* ad dominum, non vero ad subditum refertur. 5. *Seres et A. venient* Gulielmius, Heins. coni. vulgo recepta.

Et solitum armigeri ducite munus equi.
Omina fausta cano. Crassos clademque piate:
Ite et Romanae consulite historiae.
Mars pater et sacrae fatalia lumina Vestae,
Ante meos obitus sit, precor, illa dies,
Qua videam spoliis oneratos Caesaris axes,
Ad vulgi plausus saepe resistere equos,
Inque sinu carae nixus spectare puellae
Incipiam et titulis oppida capta legam,
Tela fugacis equi et braccati militis arcus
Et subter captos arma sedere duces.
Ipsa tuam serva prolem, Venus: hoc sit in aevum,
Cernis ab Aenea quod superesse caput.
Praeda sit haec illis, quorum meruere labores:
Me sat erit Sacra plaudere posse via.

Lib. III. (IV.) ELEGIA IV.

Pacis Amor deus est, pacem veneramur amantes:
Stant mihi cum domina proelia dura mea.
Non tamen inviso pectus mihi carpitur auro,
Nec bibit e gemma divite nostra sitis.
Nec mihi mille iugis Campania pinguis aratur,
Nec miser aera paro clade, Corinthe, tua.
O prima infelix fingenti terra Prometheo!
Ille parum cauti pectoris egit opus:

8. „Adducite equum bellatorem, ut suo munere in proeliis fungatur." — *sumite munus* Burm. prob. Hofman Peerlkamp N. Bibl. Crit. 5. p. 171. Iacobs proponit: *Et solitum*, *armigeri*, *cludite munus*, *equi!* i. e. „iam bellicis vestris laboribus finem imponite." Sed quomodo id h. l. quadret, ubi de expeditione suscipienda manifesto sermo est? Ac si dicas, sic profectionem et victoriam coniungi, nimius profecto esset chiasmus inter imagines tunc prorsus dispares, navium ad bellum proficiscentium et equorum post victoriam cessantium. 9. Ita Codd. novem. L. Iac. — *cladesque* Alii. vulgo. 13. *oñerato C. axe* Mur. coni. vulgo. 22. *me* Codd. meliores L. — *mi* alii. vulgo.

Lib. III. (IV.) ELEG. IV.

1. „Hoc carmen Mur. et Scal. nullo, quod sciam, Cod. consentiente, cum superiore coniunxerunt." L. 2. *Sat* Livin. Heins. coni. a Lachm. recepta in Ed. pr. Schaeferus ad Iulian. p. XV. (notante Paldamo p. 240.) recte comparavit Graecorum: πόλεμος ἐνέστηκε. Haec cum proxime praecedd. coniungens Hofman Peerlkamp N. Bib. Crit. 5. p. 164. coni.: *Sint mihi*. 3—5. Plura hic sine idonea caussa innovavit Lachm. in Ed. pr. Sententiarum quidem iunctura non nimis perspicua est, fateor, sed qualis etiam severioribus in poëta, eoque elegiaco, interdum concoquenda est:

Corpora disponens mentem non vidit in arte;
Recta animi primum debuit esse via.
Nunc maris in tantum vento iactamur et hostem
Quaerimus atque armis nectimus arma nova.
Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas:
Nudus ad infernas, stulte, vehere rates.
Victor cum victis pariter miscebitur umbris;
Consule cum Mario, capte Iugurtha, sedes.
Lydus Dulichio non distat Croesus ab Iro.
Optima mors, Parcae quae venit acta die.
Me iuvat in prima coluisse Helicona iuventa
Musarumque choris implicuisse manus.
Me iuvat et multo mentem vincire Lyaeo
Et caput in verna semper habere rosa.
Atque ubi iam Venerem gravis interceperit aetas,
Sparserit et nigras alba senecta comas:
Tum mihi naturae libeat perdiscere mores,
Quis deus hanc mundi temperet arte domum:
Qua venit exoriens, qua deficit, unde coactis
Cornibus in plenum menstrua Luna redit:
Unde salo superant venti; quid flamine captet
Eurus, et in nubes unde perennis aqua:
Sit ventura dies, mundi quae subruat arces:
Purpureus pluvias cur bibit arcus aquas:
Aut cur Perrhaebi tremuere cacumina Pindi,

„*Pacem amo (nec ulla, quam cum domina proelia novi;) illa profecto, propter quae militiae se dare solent alii, aurum, gemmas, latifundia, aera neque cupio neque possideo, contentus mediocritate mea.*" Lachm. autem v. 3. *Nec tantum - (nec*, quod utique ferri potest, habent Codd. omnes praeter Groning.) v. 4. *bibat* 5. *aretur.* 14. Ita libri sinceri et Lachm. — Itali (vulgo): *ab inferna rate; — at inferna - rate* Schrader. Sed 4, 7, 56. duas rates infernas memorat, sceleratorum alteram, alteram piorum. 15. *miscebitur umbris* cum Cdd. Scal. Iac. L2. — *miscebimur undis* Cd. Groning., unde de Gulielmii coni. invaluit: *miscebimur Indis.* 18. *Parcae*] Lachm. coni. — Codd. *parca,* quod librarii videntur opposuisse Croesi divitiis. — *acta* Codd. aliq. Alii, (vulgo) *apta. (parca dies*, quasi dicas κῆρα ἡμέραν, si Scaligero fides est, ἡ πεπρωμένη ἡμέρα.) 19. 21. *iuvet* Codd. pauci. Guyet. L. 27. *Exoriens* de sole nonnulli accipiunt provocantes ad Eleg. in obit. Maecen. 56. *Hic tela in profugos — Misit ad extremos exorientis equos.* (Aen. 5, 739. Val. Flacc. 3, 411. non *Exoriens*, sed *Oriens* dicitur sol.) Sed vide ne huic interpretationi obstet v. 34. 31. *Sit ventura* e Cdd. Iac. L2. pro *Si vent.* Similiter v. 39. *sint iura* iidem pro *si i.* 33. Perrhaebi, populi Thessaliae, Lapitharum potentia fracti fugerunt in Aetoliae montana, Pindo proxima. Il. β, 759.

Solis et atratis luxerit orbis equis:
Cur serus versare boves et plaustra Bootes:
Pleïadum spisso cur coit igne chorus:
Curve suos fines altum non exeat aequor,
Plenus et in partes quattuor annus eat:
Sub terris sint iura deûm et tormenta gigantum;
Tisiphones atro si furit angue caput;
Aut Alcmaeoniae furiae aut ieiunia Phinei;
Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas;
Num tribus infernum custodit faucibus antrum
Cerberus et Tityo iugera pauca novem:
An ficta in miseras descendit fabula gentes
Et timor haud ultra quam rogus esse potest.
Exitus hic vitae superet mihi. Vos, quibus arma
Grata magis, Crassi signa referte domum.

Lib. III. ELEGIA IX. (IV. XI.)

Quid mirare, meam si versat femina vitam
Et trahit addictum sub sua iura virum,
Criminaque ignavi capitis mihi turpia fingis,
Quod nequeam fracto rumpere vincla iugo?
Venturam melius praesagit navita noctem;
Volneribus didicit miles habere metum.
Ista ego praeterita iactavi verba iuventa;
Tu nunc exemplo disce timere meo.
Colchis flagrantes adamantina sub iuga tauros
Egit et armigera proelia sevit humo;

36. *imbre* Heins. coni. Burm. 41. Alcmaeon, Amphiarai filius, matris Eriphylae occisor. — Phineus, Arcadiae rex, propter filium excaecatum a Diis excaecatus et Harpyiarum ingluvie punitus, (v. Ovid. Met. 7, 8. Val. Flacc. 4, 425.) apud Propertium etiam in Orco.

Lib. III. ELEG. IX. (IV. X.)

5. Pro v. *melius* Markl.: — *vetulus*, Lachm. olim: — *pavidus* suspicabatur. Ib. *mortem* Codd. plures. 13. *quondam* e Cdd. Iac. L2. — *contra* e Cd. Mentel. Vulgo. 14. Penthesilea, Amazonum regina ab Achille interfecta vulgo traditur. v. Quintum Smyrn. Lib. 1. sed alios auctores h. l. secutus est noster. 18. *Gygaeus lacus* XL. stadia aberat a Sardibus. Plin. 5, 29. 23. ita Codd. plerique L. Al. *misit:* Iacob. — *immissi* vulgo. — Cfr. Curtium 5, 1, 23. *murus instructus laterculo coctili, bitumine interlitus, spatium XXXII. pedum latitudine amplectitur. Quadrigae inter se occurrentes sine periculo commeare dicuntur.* 26. *surgere* Codd. omnes. — *subdere* coni. Burm. primi et Schrad. recepta a Lachm. prob. Iacob.

Custodisque feros clausit serpentis hiatus,
Iret ut Aesonias aurea lana domos.
Ausa ferox ab equo quondam oppugnare sagittis
Maeotis Danaûm Penthesilea rates;
Aurea cui postquam nudavit cassida frontem,
Vicit victorem candida forma virum.
Omphale et in tantum formae processit honorem,
Lydia Gygaeo tincta puella lacu,
Ut, qui pacato statuisset in orbe columnas,
Tam dura traheret mollia pensa manu.
Persarum statuit Babylona Semiramis urbem,
Ut solidum cocto tolleret aggere opus,
Et duo in adversum missi per moenia currus,
Ne possent tacto stringere ab axe latus;
Duxit et Euphratem medium, qua condidit arces,
Iussit et imperio surgere Bactra caput.
Nam quid ego heroas, quid raptem in crimina divos?
Iuppiter infamat seque suamque domum.
Quid? modo quae nostris opprobria vexerat armis
Et famulos inter femina trita suos
Coniugii obscoeni pretium Romana poposcit
Moenia et addictos in sua regna patres!
Noxia Alexandrea, dolis aptissima tellus,
Et toties nostro, Memphi, cruenta malo,
Tres ubi Pompeio detraxit arena triumphos:
(Tollet nulla dies hanc tibi, Roma, notam!)
Issent Phlegraeo melius tibi funera campo,

29. Sententiae sic procedunt: „quid memorem heroas et deos a feminis male habitos? quid memorem porro inter insignia exempla muliebris superbiae Cleopatram, quae maxima cum contumelia modo nos oppugnatum venerat imperiumque Romanum - - sibi poposcit." Actio *vehendi opprobria illa*, apud poëtam praesertim, recte praecedere potest alteram *poscendi moenia*. — *vexerit* L2. cum Cdd. aliq. solita permutatione, h. l. perspicue falsa. Sic enim hoc diceret, quod optimus poëta dicere nunquam poterat: „quid dicam heroas deosque superbe tractatos a feminis, quid porro dicam, quam contumèliose nobis nuper bellum *intulerit* Aegypti regina et ab Antonio pretium sibi *poposcit* moenia Romana"; quod soloecum esse statim vides. 31. *coniugis obscoeni* Cdd. omnes. Scal. Iac. L2. Explicant nunc: „Pretium coniugis, quod coniux dat. Obscoenus autem coniux est, qui feminam tam lascivam matrimonio petit." Audio; sed per se longe facilior est emendatio vulgo recépta: *Coniugii obscoeni*, nec apud Prop. prorsus defugienda propter formam gen. in *ii*: quam exosus L. in Ed. pr. dederat: *Coniugi et obsc.* Cfr. mox v. 47. *Tarquinii*. Item 1, 6, 34. *imperii*. 35. *verna* Heins. i. e. Pothinus.

Vel tua si socero colla daturus eras.
Scilicet incesti meretrix regina Canopi,
Una Philippeo sanguine adusta nota,
Ausa Iovi nostro latrantem opponere Anubim
Et Tiberim Nili cogere ferre minas
Romanamque tubam crepitanti pellere sistro,
Baridos et contis rostra Liburna sequi
Foedaque Tarpeio conopia tendere saxo,
Iura dare et statuas inter et arma Mari.
Quid nunc Tarquinii fractas iuvat esse secures,
Nomine quem simili vita superba notat,
Si mulier patienda fuit? Cape, Roma, triumphum
Et longam Augusto salva precare diem.
Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili;
Accepere tuae Romula vincla manus.
Brachia spectavi sacris admorsa colubris
Et trahere occultum membra soporis iter.
„Non hoc, Roma, fui tanto tibi cive verenda,"
Dixit, „et assiduo lingua sepulta mero."
Septem urbs alta iugis, toto quae praesidet orbi,

36. *Magne, notam* Guyet. Hoc versu in parenthesi posito non ingrate, etsi negligentius v. 37. post Romam ac Memphim Pompeium alloquitur. Quod si autem v. 36. sententia ita definiatur: *nullo tempore non indignum erit nomine Romano, summum Romanorum ducem tanta cum perfidia ab Aegyptiis proditoribus occisum esse*, nec propterea de dimissa ultione cogitetur, haud video, quid offensionis habeat. Ib. *Phlegraei campi* a quibusdam in Thessalia, ubi Pharsalus, ab aliis in Macedonia, a plurimis, ut ab ipso quoque Propertio 1, 20, 9., in Campania iuxta Cumas ponuntur. 40. Sententia, ni fallor, haec est: *Cleopatra, unica nota, quae per sanguinem Philippeum i. e. a posteris Philippi nobis Romanis, leviter tamen, inusta sit, ita ut Augusti victoriae istam maculam quasi iam deleverint.* Illud enim sibi vult *adusta*, voc. longe levius, ideoque h. l. aptius, quam *inusta*, quod Codd. lectioni substituerunt inde a Scaligero, uno Lachm. ad verum redeunte. Reliquos videlicet Philippi posteros ac successores, Philippum III., Persen, cet. devicerant Romani; una Cleopatra terrorem iis ineusserat. Ptolemaeum autem Lagi, Curtio teste, 9, 8, 22. nonnulli a Philippo genitum esse credebant. Hinc, opinor, manifestum fiet, parum probabiliter a Lachmanno in Ed. pr., etsi plaudente Censore Ien., transpositos fuisse v. 36. et 40. ita scriptum: *Una Philippeo sanguine adusta notâ* i. e. „unam Aegyptum a progenie τῶν διαδόχων notam et ignominiam traxisse dicit, quum Syria et Macedonia bonis regibus insignes fuerint." Sed quisnam Romanorum Philippos illos atque Antiochos inter bonos reges unquam retulit? E C2d. edidit: *sanguini*, ut sit, „maximum opprobrium stirpis Philippeae." Cfr. Lucan. 10, 59. *Dedecus Aegypto, Latio feralis Erinnys Romano non casta malo — — — Terruit illa suo, si fas, Capitolia sistro Et Romana petit imbelli signa Canopo.* 47. *Tarquini* Iac. e Cdd. 55. Puccii lect. nunc Iac. et L2. recepi. „Loquens hoc disticho inducitur Cleopatra: Hoc tanto cive non ego

Femineas timuit territa Marte minas!
*Hannibalis spolia et victi monumenta Syphacis
Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes:
Curtius expletis statuit monumenta lacunis;
At Decius misso proelia rupit equo.
Coclitis abscissos testatur semita pontes;
Est, cui cognomen corvus habere dedit.
Haec di condiderunt, haec di quoque moenia servant;
Vix timeat, salvo Caesare, Roma Iovem.
Nunc ubi Scipiadae classes? ubi signa Camilli?
Aut modo Pompeia Bospore capta manu?
Leucadius versas acies memorabit Apollo.
Tantum operis belli sustulit una dies.
At tu, sive petes portus seu, navita, linques,
Caesaris in toto sis memor Ionio.

Lib. III. ELEGIA XVII. (IV. XVI.)

Nunc, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris:
Da mihi pacato vela secunda, pater.

tibi, Roma, timenda fui, nec Antonius vinolentia delirans." Iacob. Prius scil. corrupte: *Non haec, Roma, fuit tanto tibi cive verenda, Dixit et assiduo*, unde de audaci Dan. Heinsii coni. postea vulgo fecerunt: *Non haec, Roma, fuit - - Nec ducis assiduo* cet. 57. *toti* al. 59. Haec ita nuper quidam explicavit: *spolia Hannib. et Syphacis victi et Pyrrhi gloria fracta ad nostros pedes sunt monumenta.* Sed hac ipsa interpretatione evincitur, quam inepta sit vulgata praeter molestissimam repetitionem v. *monumenta;* unde egregie quidem ad sententiam, sed tamen minus probabiliter Lachm. suspicatus est: *sunt parta.* Fortasse: *non nota*, interrogationis signo post *pedes* posito. 60. Fea ad Horat. Epist. 2, 1, 191.: *Mox trahitur manibus regum fortuna retortis.* inde h. l. auctoritate Mss. emendat *tracta.* At Pyrrhus Romam tractus non est. 62. *Ac* vel *At Decius misso* Codd. — *Admisso Decius* Scal. coni. vulgo recepta. — *At* recepere Iac. L2. 64. i. e. M. Valerius Corvus u. c. 405. 65. *condiderant* e Cdd. Iac. L2. Praestat perf. 67. Sententiarum nexum unus vidit Vulpius: *Actiaca victoria Caesar Augustus Scipionum, Camilli, Pompeii gloriam superavit.* Non audiendi igitur sunt, qui hoc distichon vel post v. 46. (Lachm. 1.) vel post v. 58. (Passerat. Broukh. Burm.) collocaverunt. Nunquam aut raro haec transponendi conamina Criticis successerunt in poetis elegiacis, qui laxioribus saepe vinculis sententias solent adstringere. Ceterum Lachm. in Ed. pr. dedit *Bospore capte* ex Heinsii coniectura. Contra Iac. L2. *Bospore capta* e Cdd. pro vulg. *Bospora capta.* Cfr. (laud. Iac.) Schneideri *Gr. Lat.* 2. p. 46. Sulpicius Sev. Dial. 1, 26. *Bosporus exclusa.*

Lib. III. ELEG. XVII. (IV. XVI.)

2. *pacato* cum Cdd. Vulp. Iac. L2. „Hoc recepi, quia pacis per Bacchum impetrandae precatio per versus seqq. aperte exponitur." Iac. — *bacchato* (cum Cd. Groning.) Vulgo. — *lymphato* Burm. coni.

Tu potes insanae Veneris compescere fastus
    Curarumque tuo fit medicina mero.
Per te iunguntur, per te solvuntur amantes:
    Tu vitium ex animo dilue, Bacche, meo.
Te quoque enim non esse rudem testatur in astris
    Lyncibus ad caelum vecta Ariadna tuis.
Hoc mihi, quod veteres custodit in ossibus ignes,
    Funera sanabunt aut tua vina malum.
Semper enim vacuos nox sobria torquet amantes,
    Spesque timorque animum versat utroque modo.
Quod si, Bacche, tuis per fervida tempora donis
    Arcessitus erit somnus in ossa mea:
Ipse seram vites pangamque ex ordine colles,
    Quos carpant nullae me vigilante ferae:
Dummodo purpureo spument mihi dolia musto
    Et nova pressantes inquinet uva pedes.
Quod superest vitae, per te tua cornua, vivam
    Virtutisque tuae, Bacche, poëta ferar.
Dicam ego maternos Aetnaeo fulmine partus,
    Indica Nysaeis arma fugata choris:
Vesanumque nova nequidquam in vite Lycurgum,
    Pentheos in triplices funera grata greges,
Curvaque Tyrrhenos delphinum corpora nautas

8. *ad* Codd. meliores, Lachm. — *in* vulgo. 10. *aut* Codd. L. — *ut* Volsc. — *vel* vulgo. („Particula *aut* prorsus excludit alterum, *vel* admittit." Lachm. p. 318.) 12. *utroque modo*] Codd. aliq. probante Huschkio ad Tib. 1, 8, 64. Iac. L2. — *utroque meum* Vulgo. — *utrinque meum* haud male Gron. Perreius; nisi quod sententia generalis videtur de omnibus amantibus, non de Propertio solo. 15. *caules* Burm. primi coni. 19. *per te tua cornua* egregie L2. ex solita formula, de qua egi post Garatonium ad *Plancianam* C. 42. *per vos fortunas, per liberos vestros.* Vulgo paene ridicule: *per te et tua cornua.* 27. *olenti flumine*, commate post *merum* posito, Scal. coni. vulgo recepta. 28. *potat*] Cod. Gron. Iac. recte. v. Huschke ad Tib. 2, 4, 38. et 4, 4, 25. „Scribunt Latini promiscue v. c. *turba ruit* et *turba ruunt.* Non scribunt *ruunt turba*, sed *ruit turba.*" — *potant* reliqui Codd. Vulgo. L2. — *Naxia turba* offendit sane post *Naxon*, nihil tamen iuvantibus libris, quorum aliquot *noxia*, unus *maxima.* 30. *Bassaricas*, Bacchi ipsius, qui *Bassareus* dicebatur a voce Thracia βασσάρα, vulpes. Ceterae, quae h. l. memorantur fabulae Bacchicae satis sunt notae: ad v. 21. cfr. Ovid. Met. 3, 253. v. 22. id. 4, 20. v. 23. de *Lycurgo*, Edonum rege Il. ζ, 130. Hygin. f. 132. de *Pentheo* Eurip. Bacch. 1023. Ovid. Met. 3, 515. de nautis *Tyrrhenis* Homericum hymn. in Bacch. Ovid. Met. 3, 629. de Bacchi adventu in *Naxon* Catull. Epithal. P. et Thet. 252. 33. Codd. omnes h. l. *tympana* et v. 36. *cymbula.* Burm. Sec. et Lachm. in Ed. pr. transposuerunt utrumque voc. Recte refutavit Iacobs *Blum.* p. 219. Cfr. etiam Wakef.

In vada pampinea desiluisse rate,
Et tibi per mediam bene olentia flumina Naxon,
Unde tuum potat Naxia turba merum.
Candida laxatis onerato colla corymbis
Cinget Bassaricas Lydia mitra comas.
Levis odorato cervix manabit olivo
Et feries nudos veste fluente pedes.
Mollia Dircaeae pulsabunt tympana Thebae,
Capripedes calamo Panes hiante canent,
Vertice turrigero iuxta dea magna Cybebe
Tundet ad Idaeos cymbala rauca choros.
Ante fores templi craterae antistitis auro
Libatum fundent in tua sacra merum.
Haec ego non humili referam memoranda cothurno,
Qualis Pindarico spiritus ore tonat.
Tu modo servitio vacuum me siste superbo
Atque hoc sollicitum vince sopore caput.

Lib. III. ELEGIA XXII. (IV. XXII.)

Frigida tam multos placuit tibi Cyzicus annos,
Tulle, Propontiaca qua fluit Isthmos aqua;
Dindymus et sacrae fabricata iuvenca Cybebae
Raptorisque tulit qua via Ditis equos.

ad Lucret. 2, 618. Ad Cdd. ordinem rediere Iac. L2. 36. *Tundet* Scal. coni. retinuit L2. — Iac. cum Cdd. *fundet*. 37. *craterae* dedi ex Cod. 1. (alius *cratere*.) reliqui et vulgo *crater*; *fundent* de coni. pro *fundens*. — *Crater - - fundet* volebat Burm.: sed Propertius in hac pentametri sede nusquam producit syllabam brevem, nisi in versu fortasse spurio 2, 24. (3, 16. L.) 4. Meam rationem probarunt Iacobs et Iacob. Contra L2. *crater antistitis - - fundens*, qua constructione, haud satis intelligo. Fortasse cogitatione supplendum ratus est: „fundens erit."

Lib. III. ELEG. XXII. (IV. XXII.)

1. *Cyzicus* urbs Mysiae minoris ad Propontidem in insula duobus pontibus continenti iuncta. 3. *Δίνδυμος, ὄρος Κυζίκου, ἱερὸν Ῥέας* Schol. Apollon. 1, 985. — Codd. omnes habent: *sacra fabricata inventa.* Voss. ad Catull. p. 161. egregie emendavit *sacrae fabricata iuvenca*, ut respiciatur ad iuvencam marmoream, in Cybebae sacello, quod erat in antro Lobrinae, montis Cyziceni, in quo Magnae Matri et Attini fiebant taurobolia. 4. De Proserpinae raptu, quem plerique in Sicilia factum esse narrabant, alii vel in Attica, vel in Creta (Schol. ad. Hes. Theog. 913.) vel apud Oceanum (Orpheus Argon. 1201.) vel apud Nysam (Hymn. in Cer 17.), suos auctores h. l. secutus est Propertius, qui ad Cyzicum, a Iove Proserpinae doti datam, eum referrent; vel significat, illuc usque e Trinacria Deam a raptore latam fuisse. cfr. Creuzer Symbolik 4, p. 79.

Si te forte iuvant Helles Athamantidos urbes
Nec desiderio, Tulle, movere meo,
Tu licet adspicias caelum omne Atlanta gerentem
Sectaque Persea Phorcidos ora manu,
Geryonae stabula et luctantum in pulvere signa
Herculis Antaeique Hesperidumque choros,
Tuque tuo Colchum propellas remige Phasin
Peliacaeque trabis totum iter ipse legas,
Qua rudis Argoa natat inter saxa columba
In faciem prorae pinus adacta novae:
Et si, qua Ortygiae visenda est ora Caystri
Et qua septenas temperat unda vias,
Omnia Romanae cedent miracula terrae:
Natura hic posuit, quidquid ubique fuit.
Armis apta magis tellus quam commoda noxae,
Famam, Roma, tuae non pudet historiae:
Nam quantum ferro, tantum pietate potentes
Stamus; victrices temperat ira manus.
Hic Anio Tiburne fluis, Clitumnus ab Umbro
Tramite et aeternum Marcius humor opus,
Albanus lacus et socia Nemorensis ab unda
Potaque Pollucis lympha salubris equo.

7. „Licet Hellesponti urbes, Atlanta, Mauritaniae Tingitanae montem, Gorgades insulas (*domum ut aiunt, aliquando Gorgonum;* Mela, 3, 9.), ubi Perseus Medusae, Phorci filiae, caput amputavit, Erythiam, Geryonae olim habitationem, et Antaei regiam Irassam ad paludem Tritonidem, Hesperidum hortos in Cyrenaica olim sitos, Phasidos, Caystri, Nilique oras perlustres, tamen nihil invenies, quod Italiae comparari possit." Burm. et Kuin. — Alii v. 16. intelligunt Rhesum s. Rhebam Fl. in faucibus Bospori Plin. 6, 1. quem ἑπτάπορον dixit Nonnus Dionys. 3, 193. 13. „Supplent: *cum Argoa columba*, quod fieri nequit. Vatic. 5. *Argoduce*. Unus: *Areoa.* Lege igitur: *Qua duce Chaonia* —; versus corruptelam contraxit e loco simili, 2, 26, 39. *quom rudis Argus Dux erat ignoto missa columba mari.*" Huschk. ad Tib. 4, 1, 70. Recte quidem ad sententiam, sed parum probabiliter. Illud Vatic. 5. *Argoduce*, nil aliud est, nisi glossema ablativum illum explicans: *Argoa* duce *columba.* 15. Codd. *si qua orige* vel *origae.* — *si quave olorigeri* Itali correctt. — *Et qua Gygaei* alii. (*Et si qua Gygaei* Kuin. miro errore.) — Alii *Et si qua Ortygii*, unde Lachm.: — *Et si, qua Ortygiae*, „qua Caystri ora est tam vicina illa Ortygiae (vetus Ephesi nomen est Plin. 5. 29.), ut huic visenda sit." 22. *illa* Codd. aliq. Burm. 25. *Albanusque lacus socii* Cod. 1. — *Albanusque lacus socia* Codd. 4. — *Albanus lacus et socii* ceteri. Cum Lachm. secuti sumus Ed. Ven. 1500. et Francium, quum utrumque lacum iisdem ex fontibus oriri constet. 26. *lympha* Codd. plerique. — *Nympha* vulgo. cfr. ad Lucr. 6, 1173. et Lachm. p. 215. ubi locos quosdam affert, in quibus v. *lympha* non *Nympha* legi debet, quamvis dissentientibus saepe et Mss. et criticis. Horat. Epod. 16,

At non squamoso labuntur ventre cerastae,
Itala portentis nec fluit unda novis:
Non hic Andromedae resonant pro matre catenae,
Nec tremis Ausonias, Phoebe fugate, dapes:
Nec cuiquam absentes arserunt in caput ignes,
Exitium nato matre movente suo:
Penthea non saevae venantur in arbore Bacchae;
Nec solvit Danaas subdita cerva rates:
Cornua nec valuit curvare in pellice Iuno
Aut faciem turpi dedecorare bove:
Arboreasque cruces Sinis et non hospita Graiis
Saxa et curvatas in sua fata trabes.
Haec tibi, Tulle, parens, haec est pulcherrima sedes,
Hic tibi pro digna gente petendus honos,
Hic tibi ad eloquium cives, hic ampla nepotum
Spes et venturae coniugis aptus amor.

Lib. IV. (V.) ELEGIA XI.

Desine, Paulle, meum lacrimis urgere sepulcrum;
Panditur ad nullas ianua nigra preces.
Quom semel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato stant adamante viae.

48.: *Levis crepante lympha desilit pede.* Propert. 3, 28.: *Et leviter lymphis tota crepitantibus urbe;* 4, 14, 4.: *Et cadit in patulos lympha Aniena lacus.* Ceterum intelligitur fons *Iuturnae* iuxta Numicium, apud quem teste Val. Max. 1, 8. suum equorumque (Cyllari Pollux) sudorem abluerunt Castores post victoriam ab A. Postumio dictatore ad lacum Regillum reportatam u. c. 258. 30. 31. Significat *Atrei* epulas et *Meleagri* titionem ab Althaea combustum. 37. *Arboreasve* Lachm. coni. haud necessaria; v. Huschk. ad Tib. 2, 4, 17. — Significat *Sinin* pinubus adductis viatores adligantem iisdemque remissis lacerantem et *Scironem* latronem hospites a scopulis (Scironiis in Attica) praecipitantem, utrumque a Theseo devictum. v. Plutarch. Thes. 10. 41. (*ad eloquium cursus* quidam ap. Passerat. — *ad e. via fert* Heins. *ad e. vires* Burm.) *Cives* scil." qui tuam eloquentiam admirentur quosque tua facundia iuvare possis." Kuin.

Lib. IV. (V.) ELEG. XI.

1. Maritum alloquitur Cornelia nata ex P. Cornelio Scipione Nasica et Scribonia, secunda coniuge Augusti matreque Iuliae, coniux Paulli Aemilii Lepidi, (filii L. Aemilii Paulli, consulis anni 704, fratris vero M. Aemilii Lepidi triumviri.) De Paullo Aemilio Lepido v. Dion. 47, 6. 55, 2. Vellei. 2, 95. Suet. Aug. 16. Claud. 16. Perizonii Animadv. hist. p. 121. seqq. Fuit Consul suffectus a. 720. ultimus censorum cum L. Munatio Planco a. 732. Cornelia autem mortua est a. 738. ineunte, quo eius frater P. Cornelius Scipio consul fuit. — „Saepe mihi prae omnibus reliquis Latinis poëmatis quattuor ediscenda carmina commendavit Valckenarius, in quibus ipsius

Te licet orantem fuscae deus audiat aulae,
Nempe tuas lacrimas litora surda bibent.
Vota movent superos. Ubi portitor aera recepit,
Obserat herbosos lurida porta rogos.
Sic maestae cecinere tubae, quom subdita nostrum
Detraheret lecto fax inimica caput.
Quid mihi coniugium Paulli, quid currus avorum
Profuit aut famae pignora tanta meae?
Num minus immites habui Cornelia Parcas?
En sum, quod digitis quinque levatur, onus!
Damnatae noctes et vos vada lenta paludes
Et quaecunque meos implicat unda pedes,
Immatura licet, tamen huc non noxia veni;
Det pater hîc umbrae mollia iura meae.
Aut, si quis posita iudex sedet Aeacus urna,

inesset iudicio Romana maiestas: *Laberii* Prologum, a Macrobio conservatum L. 2. Sat. 7. *Catulli* carmen de Nuptiis Pelei et Thetidis: *Incerti poëtae* consolationem ad Liviam Augustam super morte filii, sed hoc cum primis Propertii poëma, ceteris tamen elegantissimi viri dulcissimis etiam elegiis longe excellentius." Koppiers Observ. philol. p. 151. — Illud autem in Drusum „*miserabile carmen*", quamvis tersum ac dulce, quum adulatione in Caesarum domum nimis deturpatum sit, nos quidem liberis adolescentulis publice interpretari noluimus. Laberii vero prologum, morientis iam libertatis egregiam vocem, appendicis loco huic elegiae subiunximus, — Exempla transpositionum a criticis in Propertio passim tentatarum praebebit collocatio sex priorum versuum tum a Koppiersio proposita: *Desine*, *Paulle* — *Nempe tuas* — *Te licet* — *Panditur ad* — *Quom semel* — *Non exorato;* — „coniectura," inquit, quam visam tres Batavi poëtae mox ut veram adprobaverunt." tum a Beckio: *Desine*, *Paulle* — *Nempe tuas* — *Quom semel* — *Non exorato* — *Te licet* — *Panditur ad.* — Alii etiam aliter. 5. *furvae* Heins. probante Kuin., reiiciente Oudend. ad Appul. 6. p. 614. Sententia: „licet te orantem audiat Dis pater, ceteroqui deus potentissimus, nihilominus tamen (*nempe*) ex aeterna fatorum lege preces tuae irritae erunt, lacrimaeque tuae absorbebuntur a surdis Cocyti ripis." 8. *umbrosos* Codd. ab Italis interpol. Vulgo. — *umbrosas* - *domos* Hemsterh. „Bekker (Eleg. Rom.) *herboso rogo* sepulcrum, *lurida porta* inferos describi recte iudicat." Iacob. in Add. „Nullus aditus est per rogos (s. sepulcra) herba mox obsitos ad Orcum ipsum, cuius (lurida) porta clausa est in sempiternum; nulla communio est inter Inferos atque vivos, ne per sepulcra quidem carissimorum." 16. *ulva* Schrad. 18. *Deprecor huic* Koppiers. 19. *Aut si quaesitor posita sedet* — Doering. 20. seqq. In omnibus sum secutus L2., quia Cdd. optt. lectio haud incommode videbatur posse explicari. Recte haec attulit Bekkerus: „Illustrat haec verba Asconius in arg. Milon.: *Quarto die adesse omnes in diem posterum iuberentur ac coram accusatore ac reo pilae, in quibus nomina iudicum inscripta essent, aequarentur; dein rursus postera die sortitio iudicum fieret.*" Satis igitur distinguitur *pila*, e qua iudex sorte extrahitur, ab *urna* s. sitella, in quam iudices tabellas immittunt literis A. (*Absolvo*) C. (*Condemno*) N. L. (*Non liquet*) notatas; omnia hîc ex more Romano. Sententia igitur haec erit: „Quod si fortasse Aeacus (*sortitâ*

In mea sortitâ iudicet ossa pilâ.
Assideant fratres, iuxta Minoïa sella,
Eumenidum intento turba severa foro.
Sisyphe, mole vaces, taceant Ixionis orbes,
Fallax Tantaleo corripiare liquor.
Cerberus et nullas hodie petat improbus umbras,
Et iaceat tacita lapsa catena sera.
Ipsa loquar pro me. Si fallo, poena sororum,
Infelix humeros urgeat urna meos.
Si cui fama fuit per avita tropaea decori,
Afra Numantinos regna loquuntur avos;
Altera maternos exaequat turba Libones
Et domus est titulis utraque fulta suis.
Mox, ubi iam facibus cessit praetexta maritis,
Vinxit et acceptas altera vitta comas,

pilâ) sortito quaesitor mihi obtigerit, is appositâ urnâ s. sitella, in quam mittantur iudicum ceterorum tabellae, utique iudicet *in mea ossa*, poëtica h. l. constructione = de ossibus meis, de me mortua. *Assideant fratres*, Rhadamanthus scil. et Minos, quem consulto manifestius designat vv. seqq. *iuxta* (sit) *Minoia sella*, et novo ἀσυνδέτῳ, non sine arte in gravissimo hoc poëmate observata; proximam coronam veluti auditorum constituant Eumenides, in quas intentum sit totum forum, i. e. reliquarum umbrarum multitudo. Cfr. etiam Senecam Herc. fur. 3, 731. *Non unus acta sede quaesitor sedens Iudicia trepidis sera sortitur reis. Aditur illo Gnosius Minos foro; Rhadamanthus illo; Thetidis hoc audit socer.* Magistris indicanda est praecipua lect. varietas: *Is mea sortitâ vindicet ossa pilâ.* (Heins. scil. *Is.* Cdd. aliq. *vindicet.*) — *Assideat frater* (Rhadamanthus) *iuxta et Minoia sella* Santen. — *Assideant fratres, iuxta Minoia sella, et* Puccius, Vulgo. *Assideant fratres iusta minonida sellam* Cod. Groning. i. e. *A. f. iuxta Minoida sellam.* — *Assideat fratres iuxta et Minoida sellam Eumenidum - - turba* ego aliquando, cum Lachm. Ed. pr, qui tamen retinuerat *Assideant.* Iacob denique proposuit: *Ut mea sortita vindicet ossa pila, Assideant fratres, iuxta Minoida sellam Eumenidum* cet." ita ut Eumenidum turba, sortito inter iudices selectos adscita, vindicet, absolvat me mortuam." Quae tamen ratio multas propter rationes postponenda videtur nostrae; maxime quia Eumenides nullo modo in iudicum numerum referri possunt. 23. *cessent* pro *taceant* Porcius, ex manifesta interpolatione. 24. *Tantaleo corripere ore liquor* Aurat. Heins. — *Tantalide* vel *Tantalidae* Passovii susp. — *Tantalidae* recepit Iacob. 27. *loquar* e Cdd. Iac. L2. pro *loquor.* 30. *Afra* est Scal. coni. Libri *Atra*, *Aera*, *Vera*, unde Lips. *Versa.* 31. „Altera turba, maternum genus exaequat Libones Aemiliis, seriem Libonum Aemiliis aequiparandorum exhibet;" in quo equidem nihil duri video, praesertim apud Prop. Iacob susp.: *Altera materno se exaequat turba Libone* quod ipsum, si Prop. scripsisset, meliore fortasse iure „durum" haberetur. 34. Vulgo *aspersas* ex eleganti Pucc. emend. *Facem in nuptiis in honorem Cereris proferebant, aquaque adspergebatur nova nupta, sive ut casta puraque ad virum veniret, sive ut aquam atque ignem cum viro communicaret.* Festus in *Facem.* *Acceptas* explica, „quos vitta accepit, cinxit."

Iungor, Paulle, tuo sic discessura cubili:
In lapide hoc uni nupta fuisse legar.
Testor maiorum cineres tibi, Roma, verendos,
Sub quorum titulis, Africa, tonsa iaces,
Et Persen proavi simulantem pectus Achillis,
Quique tuas proavus fregit, Achille, domos,
Me neque censurae legem mollisse nec ulla
Labe mea vestros erubuisse focos.
Non fuit exuviis tantis Cornelia damnum,
Quin erat et magnae pars imitanda domus.
Nec mea mutata est aetas; sine crimine tota est:
Viximus insignes inter utramque facem.
Mî natura dedit leges a sanguine ductas,
Ne possem melior iudicis esse metu.
Quaelibet austeras de me ferat urna tabellas;
Turpior assessu non erit ulla meo.
Vel tu, quae tardam movisti fune Cybeben,
Claudia, turritae rara ministra deae:
Vel cui, commissos quom Vesta reposceret ignes,
Exhibuit vivos carbasus alba focos.
Nec te, dulce caput, mater Scribonia, laesi:
In me mutatum quid nisi fata velis?

35. Libri quidam *cum discessura* vel *condiscessura*, unde Puccius et Huschk.: — *non discessura.* 36. *In lapide hoc:* haec ait veluti sui sepulcri lapidem titulum demonstrans. Blandiri potest coniect. Marcilii et Koppiersii a Lachm. aliquando recepta: *in lapide huic uni.* Sed praeter licentiam voc. *huic* monosyllabi in medio versiculo merito offendimus in vv. *in lapide* sic nude positis. 38. *iacet* Sant. e 2. Codd. 39. Sic cum Cdd. L2. Construe: „Et testor proavum meum, L. Aemilium Paullum Macedonicum, qui fregit (debellavit) Persen et tuas sedes, o Achilles"; potius quam: „Et testor ipsum illum Persen, qui frustra animos et virtutem proavi Achillis simulabat, itemque testor proavum meum Aemilium, qui illas tuorum, o Achilles, degenerum nepotum sedes, Macedoniam, in populi Ro. potestatem redegit." (cfr. Bekkerum.) Santeni coni. in pr. Ed. receperat Lachm.: *Te, Perseu, proavi simulantem pectus Achillis, Quique tuas proavo fregit Achille domos.* 41. *metuisse* Cod. ap. Fea ad Hor. 2. Epist. 1, 153. — Ruhnk. ad Vellei. 2, 95. „ad censuram a Paullo remissius actam tecte respexisse videtur." Egregia vero arte usus esset poëta, si hoc vel tectissime significasset! 48. *possim* Codd. plerorumque lectionem defendit Huschk. ad Tib. 2, 4, 17. Contra *possem* ex Codd. Lachm. Iac. Recte. 49. *Quamlibet* Itali. Livinei. Vulgo. 50. *assensu* Codd. plerique. 52. Claudia Quinta, Appii Caeci filia, Vestalis virgo, de stupro suspecta navem, in qua Cybele a Pessinunte, Phrygiae urbe, Romam adducta erat (u. c. 548.), quum sederet vado limoso, cingulo adhibito traxit. Liv. 29, 14. Ovid. Fast. 4, 307. Sil. Ital. 17, 40. 53. Fabula de Aemilia (cuius quum socordia Vestae ignis exstinctus esset, inter preces carbasina veste foculo imposita ignis subito emicuisse

Maternis laudor lacrimis urbisque querelis,
Defensa et gemitu Caesaris ossa mea.
Ille sua nata dignam vixisse sororem
Increpat et lacrimas vidimus ire deo.
Et tamen emerui generosos vestis honores,
Nec mea de sterili facta rapina domo.
Tu, Lepide, et tu, Paulle, meum post fata levamen,
Condita sunt vestro lumina nostra sinu.
Vidimus et fratrem sellam geminasse curulem,
Consule quo facto tempore rapta soror.
Filia, tu specimen censurae nata paternae,
Fac teneas unum nos imitata virum,
Et serie fulcite genus. Mihi cymba volenti
Solvitur aucturis tot mea fata malis.
Haec est feminei merces extrema triumphi,
Laudat ubi emeritum libera fama rogum.
Nunc tibi commendo communia pignora natos:
Haec cura et cineri spirat inusta meo.
Fungere maternis vicibus, pater: illa meorum
Omnis erit collo turba ferenda tuo.
Oscula quom dederis tua flentibus, adiice matris.
Tota domus coepit nunc onus esse tuum.

dicitur) ad Numae regnum refertur. v. Dionys. Hal. 2, 58. Val. Max. 1, 1, 7. 59. *Iulia* Augusti demum quarto decimo circiter anno post Corneliae mortem relegata. 61. Quum incerta interpretatio *generosorum vestis honorum* videretur, quos plerique de veste matronali trium liberorum matribus concessa intelligunt, Santen. coni. *stirpis*. 64. *vestra - manu* Scal. Heins. coni. 66. Sic Cdd. L2. Neutiquam construere possumus *tempore, consule quo facto*, ut sit pro: „eo tempore, quo consul factus est"; sed *tempore* ex ipsa versûs conformatione pertinet ad v. *rapta*. Iam hoc duplicem admittit explicationem: a) pro *tempori*, *temperi*, i. e. nimis mature, nimis cito: b) tempore opportuno, „me ipsa non nolente, utpote quae tamen fratrem vidissem factum consulem." Et hanc explicationem praefero equidem cum Bekkero, quum per totum carmen Cornelia pio in Deos animo suam voluntatem ad Deorum s. Fati iussa applicet. (*Alle ihre Reden athmen fromme Ergebung in des Schicksals Gebote.*) Iam, quum hoc non viderent Interpretes, varia coniecerunt: *funere* Anonymus Anglus. *festo tempore* Kopp. *fati crimine* Broukh. *Consul quo factus tempore r. s.* Lachm. in Ed. pr. — *Consule quo, infecto tempore r. s.* Iacob, quod Latinitati adversatur. In Add. tamen ipse quoque redire videtur ad Bekkeri interpret. 70. „Ideo libenti animo morior, quia fieri potest, ut multa in posterum mala comitatura sint longiorem vitam." Locus est sanissimus, etsi a multis vexatus: Lachm. in Ed. pr. coni. *meis*, sensu aliquo, non tamen extra dubitationem posito. („quum ampla nepotum spe mea fata maiora factum iri videam.") Anon. Etonens. *Solvit, lucturis tot mea fata meis.* — *Solvit, victuris post mea fata meis* Herel.

Et, si quid doliturus eris, sine testibus illis;
Quom venient, siccis oscula falle genis.
Sat tibi sint noctes, quas de me, Paulle, fatiges,
Somniaque in faciem credita saepe meam.
Atque, ubi secreto nostra ad simulacra loqueris,
Ut responsurae singula verba iace.
Seu tamen adversum mutarit ianua lectum,
Sederit et nostro cauta noverca toro,
Coniugium, pueri, laudate et ferte paternum;
Capta dabit vestris moribus illa manus.
Nec matrem laudate nimis: collata priori
Vertet in offensas libera verba suas.
Seu memor ille mea contentus manserit umbra
Et tanti cineres duxerit esse meos,
Discite venturam iam nunc sentire senectam,
Coelibis ad curas nec vacet ulla via.
Quod mihi detractum est, vestros accedat ad annos:
Prole mea Paullum sic iuvet esse senem.
Et bene habet: nunquam mater lugubria sumpsi;
Venit in exsequias tota caterva meas.
Causa perorata est. Flentes me surgite, testes,
Dum pretium vitae grata rependit humus.
Moribus et caelum patuit: sim digna merendo,
Cuius honoratis ossa vehantur avis.

79. Recte sic distinxit L2. „si qui dolendum habes, dole id clam illos." Vulgo iungunt: *si quid doliturus eris sine testibus illis*, *quom* cet. 82. *reddita* Graev. coni. 85. „Quae conveniebant in manum viri, lectum (*genialem* Horat. Ep. 1, 1, 87.) sibi sternebant in atrio, quem adversum vocabant, quia e regione ianuae esset. Ianua dicitur mutare lectum, quae videt alium adversum lectum in locum prioris, nova scil. uxore domum ducta." Scalig. cfr. Ascon. ad Milonian. C. 5. Laberium ap. Gell. 16, 9. *Mater familias tua in lecto adverso sedet*, et Böttiger Aldobr. Hochzeit p. 125. 93. *lenire* Anon. — *saepire* Heins. — „*sentire* nemo probabiliter explicavit." Lachm. Tentavit tamen Wyttenb. Bibl. crit. 3, 4, p. 53. „Plane nobis probatur illud *sentire*, quod a Graecis exquisitius subinde dicitur, αἰσθάνεσθαί τινος, affici alicuius rei vel grato vel ingrato sensu, cura, studio, ad eam vel adipiscendam vel fugiendam." 100. *grande rependit honos* Koppiers. 102. *avis* coni. Heins. Broukh. Lachm. — Epiced. Drusi v. 162. *Druse, neque ad veteres conditus ibis avos.* — *aquis* Cdd. aliq. —, *equis* Gron., quod restituit Iacob: „Verisimilius apotheosis equis honoratis describatur, non adventus in Elysio, quo versus proximus nos vocat *Moribus et caelum patuit: sim digna merendo, c.* Sic Iuppiter Herculem *Quadriiugo curru radiantibus intulit astris* Ovid. Met. 9, 272." Sed nec de apotheosi nec de adventu in Elysios campos sermo est; verum de condendis ossibus in honoratorum maiorum monumento.

D. LABERII PROLOGUS.

MACROB. SATURN. II. C. 7.

Laberium asperae libertatis equitem Romanum Caesar quingentis milibus invitavit, ut prodiret in scenam et ipse ageret mimos, quos scriptitabat. Sed potestas, non solum si invitet, sed etiam supplicet, cogit. Unde se et Laberius a Caesare coactum in prologo testatur his versibus:

Necéssitas, quoius cúrsus transversi ímpetum
Voluérunt multi effugére, pauci potúerunt,
Quo mé detrusit paéne extremis sénsibus?
Quem núlla ambitio, núlla unquam largítio,
Nullús timor, vis núlla, nulla auctóritas
Movére potuit ín iuventa dé statu;
Ecce ín senecta ut facíle labefecít loco
Viri éxcellentis ménte clementi édita
Submíssa placide, blándiloquens orátio!
Etenim ípsi Dí negáre cui nil potúerunt,
Hominém me denegáre quis possét pati?
Ego bís tricenis ánnis actis siné nota
Equés Romanus éx Lare egressús meo
Domúm revortar mímus! Nimirum hóc die
Unó plus vixi, mihí quam vivendúm fuit.
Fortúna immoderata ín bono aeque atque ín malo,
Si tibi érat libitum líterarum laúdibus
Floréns cacumen nóstrae famae frángere,
Cur quóm vigebam mémbris praeviridántibus,
Satis fácere populo et táli quom poterám viro,
Non fléxibilem me cóncurvasti, ut cárperes?
Nunc mé quo deiicís? Quid ad scenam áffero?
Decórem formae, an dígnitatem córporis,
Animí virtutem, an vócis iocundáe sonum?
Ut hedéra serpens víres arboreás necat,

(v. 1. ita Ascens. 1519. Camer. 1533. *cursu aversu* Vesal. 1521. — *cursu averso* Ald. 1528.) 3. *detrusti* Scal. Ib. *extremis sensibus* i. e. „iis sensibus vel, ut nos dicimus, ratione, quae remanere debet homini non prorsus *vesano*, cui" *extremis* „etiam sensibus deperditis, nulli prorsus supersunt sensus." — *extorrem sensibus* vel etiam *ex mentis sensibus* volebat Oudendorp. 12. *Ego bis* Edd. laud. Collect. Pisaur. T. 4. p. 382. — *Ergo* Gron. 13. *ex*, quod in Gron. deest, ex Pisaur. inserui. *Ergo annis bis tricenis* Bothe. 18. *Florens cacumen* cum Lipsio, Heinsio et Wielandio Bothe; pro Cett. *floris*, quo retento *lit. laud.* vix recte explicari potest. Sed est ablat. pendens a v. *florens*. 21. *Non me flex.* Bothe. 22. *me deiicis quo* Asc. — *deiicis quo me* Bothe.

Ita mé vetustas ámplexu annorúm necat.
Sepúlcris similis nihíl nisi nomen retíneo.

In ipsa quoque actione subinde se, qua poterat, ulciscebatur inducto habitu Syri, qui velut flagris caesus praeripientique se similis exclamabat:

Porró Quirites! líbertatem pérdidimus!

et paullo post adiecit:

Necésse est multos timéat, quem multí timent.

quo dicto universitas populi ad solum Caesarem oculos et ora convertit, notantes impotentiam eius hac dicacitate lapidatam.

25. *necat* Edd. laudatae. Pisaur. — *enecat* Gron. — *enicat* Bothe. 27. *sepulcris* Edd. laudatae. Pisaur. — *sepulcri* Gron. In externa similitudine dativum praeferunt Grammatici. 29. *perdidimus* recte Edd. vett. — *perdimus* Camer. Vulgo. Pro *notantes* Bothe malebat *notantis* (populi); sed recte *universitas populi* = universi, *notantes*.)

P. OVIDII NASONIS

ELEGIAE SELECTAE.

AMOR. Lib. I. ELEGIA XV.

Quid mihi, Livor edax, ignavos obiicis annos
 Ingeniique vocas carmen inertis opus?
„Non me more patrum, dum strenua sustinet aetas,
 Praemia militiae pulverulenta sequi,
Nec me verbosas leges ediscere nec me
 Ingrato vocem prostituisse foro."
Mortale est, quod quaeris, opus; mihi fama perennis
 Quaeritur, in toto semper ut orbe canar.
Vivet Maeonides, Tenedos dum stabit et Ide,
 Dum rapidas Simoïs in mare volvet aquas.
Vivet et Ascraeus, dum mustis uva tumebit,
 Dum cadet incurva falce resecta Ceres.
Battiades semper toto cantabitur orbe,
 Quamvis ingenio non valet, arte valet.
Nulla Sophocleo veniet iactura cothurno:
 Cum Sole et Luna semper Aratus erit.
Dum fallax servus, durus pater, improba lena
 Vivent, dum meretrix blanda, Menandros erit.
Ennius arte carens animosique Accius oris
 Casurum nullo tempore nomen habent.
Varronem primamque ratem quae nesciat aetas

AMOR. Lib. I. ELEG. XV.

5. *addiscere* Cod. 1. Cic. de Legg. 2, 23. *Discebamus pueri XII. ut carmen necessarium: quas iam nemo discit.* 12. *seges* Codd. multi. 19. *Attius* scribunt Herm. et Osann. Anal. p. 61. Sed utroque modo scriptum reperitur hoc nomen in lapidd. v. c. Collect. Pisaur. Poet. Lat. T. 4, p. LII. *L. Accius. L. F.* cet. 21. P. Terentium Varronem Atacinum significat, eiusque Argonautica ex Apollonio ducta. „*velivoli maris vatem* eundem alibi vocat propter *Libros navales* s. de ora maritima. v. Wernsdorf. P. L. M. T. 1. p. 154.

Aureaque Aesonio terga petita duci?
Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti,
Exitio terras quom dabit una dies.
Tityrus et segetes Aeneïaque arma legentur,
Roma, triumphati dum caput orbis eris.
Donec erunt ignes arcusque Cupidinis arma,
Discentur numeri, culte Tibulle, tui.
Gallus et Hesperiis et Gallus notus Eois
Et sua cum Gallo nota Lycoris erit.
Ergo quom silices, quom dens patientis aratri
Depereant aevo, carmina morte carent.
Cedant carminibus reges regumque triumphi;
Cedat et auriferi ripa beata Tagi.
Vilia miretur vulgus; mihi flavus Apollo
Pocula Castaliae plena ministret aquae,
Sustineamque coma metuentem frigora myrtum,
Atque a sollicito multus amante legar.
Pascitur in vivis Livor; post fata quiescit,
Quom suus ex merito quemque tuetur honor.
Ergo etiam, quom me supremus adederit ignis,
Vivam parsque mei multa superstes erit.

AMOR. Lib. III. ELEGIA IX.

Memnona si mater, mater ploravit Achillem,
Et tangunt magnas tristia fata deas,
Flebilis indignos, Elegeïa, solve capillos.
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit!
Ille tui vates operis, tua fama, Tibullus

23. *subtilis* Barth. coni. 24. *ima* Scal. cfr. Lucr. 5, 96. 25. *segetes* Codd. Edd. vett., ut respiciatur initium Georgicon. *fruges* ex aliis Codd. praetulit Heins. 26. *erit* Iahn. 29. Cornelius Gallus Foroiuliensis, quaesita morte quadragesimo aetatis anno obiit praefectus Aegypto. a. u. c. 728. Cfr. Virg. Ecl. 6, 64. Ecl. 10. 34. *benigna* alii, i. e. fertilis; *beata*, dives. 36. *Castalia* - *aqua* plerique. „Fere semper Ovid. *plenum* cum gen. construit." Heins. 40. *Tunc* Alii, unde Iahn: *Tum*. 42. *multa* Codd. Edd. vett. Burm. — *magna* e Codd. 2. Ciof. Heins.

AMOR. Lib. III. ELEG. IX.

14. *castris*] plures Codd., quod collatis Virg. Aen. 10, 635. et Tib. 2, 5, 49. utique praeferendum videbatur. *tectis* vulgo. 18. *putant* Ed. pr. Tibulli. v. Dissenii Supplem. ad Wund. ed. p. 62. qua de re cfr. Heindorf ad Horat. Serm. 1, 4, 24. Bernhard. et Beier. ad Cic. de off. 1, 2, 5. 23. Ita de coni. Scal. et Heins. Codd. meliores utroque loco *Et Linon*;

Ardet in exstructo corpus inane rogo.
Ecce puer Veneris fert eversamque pharetram
Et fractos arcus et sine luce facem.
Adspice, demissis ut eat miserabilis alis
Pectoraque infesta tundat aperta manu.
Excipiunt sparsi lacrimas per colla capilli
Oraque singultu concutiente sonant.
Fratris in Aeneae sic illum funere dicunt
Egressum castris, pulcher Iüle, tuis.
Nec minus est confusa Venus, moriente Tibullo,
Quam iuveni rupit quom ferus inguen aper.
At sacri vates et divûm cura vocamur:
Sunt etiam, qui nos numen habere putent.
Scilicet omne sacrum mors importuna profanat:
Omnibus obscuras iniicit illa manus.
Quid pater Ismario, quid mater profuit Orpheo?
Carmine quid victas obstupuisse feras?
Aelinon in silvis idem pater Aelinon altis
Dicitur invita concinuisse lyra.
Adiice Maeoniden, a quo ceu fonte perenni
Vatum Pieriis ora rigantur aquis;
Hunc quoque summa dies nigro submersit Averno:
Defugiunt avidas carmina sola rogos.
Durat opus fatum, Troiani fama laboris,
Tardaque nocturno tela retexta dolo.
Sic Nemesis longum, sic Delia nomen habebunt.
Altera cura recens, altera primus amor.
Quid vos sacra iuvant? quid nunc Aegyptia prosunt

celeri corrupte *Elinon* vel *edidit*, *editus*, *abditus*. Ceterum *Aelinon* reliqui poëtae Latini ignorant. Intelligitur autem Linus, Apollinis et Psamathes (Pausan. Corinth. 19, 7. Conon 19.) filius, a canibus discerptus. Schol. Villois. ad Il. σ, 570. Conon l. l. a Lino filio Amphimari et Uraniae, quem ipse Apollo occidit, Paus. Boeot. 29, 3. et a Lino „τοῦ ποιήσαντος τὰ ἔπη" Paus. Corinth. 19, 7. distinguendus. v. Schweigh. ad Herod. 2, 79. Creuzer Symb. 2. p. 263. 24. *invicta* Codd. multi. Ed. pr. Tib. 27. *dimisit* Codd. 2. — *demisit* placet Burmanno. 28. *Defugiunt*] Cod. 1. idque etsi rarum apud poëtas praeferendum videbatur. (Idem praetulit nunc Iahn.) — *Effugiunt* Ed. pr. Tib. — *Diffugiunt* plerique Codd. et Edd.; sed offendit iunctum accusativo. 29. *vatum* Codd. Edd omnes; sed hoc ineptum; nondum enim de pluribus Homeris cogitabant. — *vatis* Heinsii coni. quum languidior est, tum vix corruptus fuisset singularis. De coni. igitur dedi *fatum*. „Fatum, quod omnia paullatim absumit, durando superant Homeri carmina." Sic Liv. 1. 9. *hominis aetatem durare*.

Sistra? quid in vacuo secubuisse toro?
Quom rapiunt mala fata bonos, (ignoscite fasso:)
Sollicitor nullos esse putare deos.
Vive pius, moriere pius: cole sacra, colentem
Mors gravis a templis in cava busta trahet.
Carminibus confide bonis: iacet ecce Tibullus;
Vix manet e tanto parva quod urna capit.
Tene, sacer vates, flammae rapuere rogales,
Pectoribus pasci nec timuere tuis?
Aurea sanctorum potuissent templa deorum
Urere, quae tantum sustinuere nefas!
Avertit voltus, Erycis quae possidet arces:
Sunt quoque, qui lacrimas continuisse negent.
Sed tamen hoc melius, quam si Phaeacia tellus
Ignotum vili supposuisset humo.
Hinc certe madidos fugientis pressit ocellos
Mater et in cineres ultima dona tulit;
Hinc soror in partem misera cum matre doloris
Venit inornatas dilaniata comas.
Cumque tuis sua iunxerunt Nemesisque priorque
Oscula nec solos destituere rogos.
Delia discedens, „Felicius, inquit, amata
Sum tibi: vixisti, dum tuus ignis eram."
Cui Nemesis, „Quid, ait, tibi sunt mea damna dolori?
Me tenuit moriens deficiente manu."

33. *vos Aegyptia* Cod. 1. probante Barthio, cui talia ubique in deliciis erant. — Ceterum *σεῖστρον*, „aereum crepitaculum, cuius per angustam laminam in modum balthei incurvatam, traiectae mediae paucae virgulae, crispante brachio trigeminos iactus, reddebant argutum sonorem." Appul. Met. 11. p. 759. Oud. Creuzer Symb. 1. p. 515. — Significat Tib. 1, 3, 23. 35. *rapiunt* meliores, teste Heinsio. Vulgo *rapiant;* sed de tempore potius sermo est; „tunc, quum rapiunt cet., adducor quasi, ut Deos esse negem." 37. *moriture* Cod. 1. (Heins. coni.) Iahn distinxit: *Vive pius: moriere; pius cole sacra, colentem —;* qua tamen ratione perit concinnitas membrorum: scil. alterius *κώλου* vv. *colentem Mors - - trahet* alterius illis respondent: *moriere* (quamvis) *pius.* 40. *e tanto* opponitur v. *parva;* prorsus ut apud Sophocl. *El.* 758. *ἐν βραχεῖ χαλκῷ μέγιστον σῶμα δειλαίας σποδοῦ φέρουσιν.* Hinc probare non possum al. lect. *e toto* a Iahnio receptam. — *curva* pro *parva* perperam Cdd. aliq., unde tamen Heins. suspic.: *curta.* 46. *negant* Iahn., qui tamen v. 18, praetulit *putent.* 49. *Hic — manibus* Codd. aliq. 51. *dolorum* Ed. pr. Tib. 57. Ita Codd. plerique. Edd. vett. „Quid te attinet lugere Tibullum, qui te relicta, mihi uni mortuus est?" *sint* ex uno Cod. recepit Heins. *Quid ais? tibi sint mea damna labori*, sine interrogatione, ex duobus Burm., rustice satis. (Meam rationem

Si tamen e nobis aliquid nisi nomen et umbra
   Restat, in Elysia valle Tibullus erit.
Obvius huic venies hedera iuvenilia cinctus
   Tempora cum Calvo, docte Catulle, tuo;
Tu quoque, (si falsum est temerati crimen amici,)
   Sanguinis atque animae prodige Galle tuae.
His comes umbra tua est, si quid modo corporis umbra est:
   Auxisti numeros, culte Tibulle, pios.
Ossa quieta, precor, tuta requiescite in urna
   Et sit humus cineri non onerosa tuo!

TRISTIUM Lib. IV. ELEGIA X.

Ille ego qui fuerim tenerorum lusor amorum,
   Quem legis, ut noris, accipe, posteritas.
Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis,
   Milia qui novies distat ab Urbe decem.
Editus hîc ego sum: nec non ut tempora noris,
   Quom cecidit fato Consul uterque pari.
Si quid id est, usque a proavis vetus ordinis heres,
   Non modo Fortunae munere factus eques.
Nec stirps prima fui, genito iam fratre creatus,
   Qui tribus ante quater mensibus ortus erat.
Lucifer amborum natalibus adfuit idem;
   Una celebrata est per duo liba dies.
Haec est armigerae festis de quinque Minervae,

secutus est etiam Iahn.) 61. *venies*] Codd. plerique Ed. pr. Tib. — *venias* ex 2. Codd. Heins. 62. C. Licinius Calvus „*iucundissimus*" Catullo C. 14. Cic. ad Div. 7, 24; 15, 21. Brut. 81. Eius vix sexdecim versus supersunt, in quibus illud: *Pollentemque deum Venerem* Macrob. S. 3, 8. 63. *temeratus amicus* est Tibullus; incertum vero, qua in re, an in agrorum divisione, Gallus eum offenderit. 65. Ita Codd. 4. Heins. B. Alii: *si qua est modo corporis umbra.* Amor. 1, 12, 3. *Omnia sunt aliquid* —; Prop. 4, 7, 1. *sunt aliquid Manes.*

TRISTIUM Lib. IV. ELEG. X.

5. *si tempora quaeris* Cod. Rich. Nobbe. Est elegans interpolatio ex Fast. 6, 767., cui tamen obstat particula *necnon.* 6. u. c. 711. v. ad Tib. 3, 5, 18. 7. Ità Burm. Idem versus legitur sine ulla varietate Amor. 3, 15, 5. *Si quid et (id* Heins.) *a proavis usque est v. o. h.* Heins. N. sed facilior erat Ovidius. 9. *sum fratre* Alii. 13. *Quinquatrus* s. *Quinquatria* sollemne Minervae inde a XIV. Kal. Apr. Fast. 3, 810. *Nominaque a iunctis quinque diebus habent; sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro; Causa, quod est illa nata Minerva die, Altera tresque super strata celebrantur arena.*

Quae fieri pugna prima cruenta solet.
Protinus excolimur teneri curaque parentis
Imus ad insignes Urbis ab arte viros.
Frater ad eloquium viridi tendebat ab aevo,
Fortia verbosi natus ad arma Fori.
At mihi iam puero caelestia sacra placebant
Inque suum furtim Musa trahebat opus.
Saepe pater dixit: „Studium quid inutile tentas?
Maeonides nullas ipse reliquit opes."
Motus eram dictis: totoque Helicone relicto,
Scribere conabar verba soluta modis.
Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos
Et, quod tentabam dicere, versus erat.
Interea tacito passu labentibus annis
Liberior fratri sumpta mihique toga est
Induiturque humeris cum lato purpura clavo
Et studium nobis, quod fuit ante, manet.
Iamque decem vitae frater geminaverat annos,
Quom perit, et coepi parte carere mei.
Coepimus et tenerae primos aetatis honores;
Eque viris quondam pars tribus una fui.
Curia restabat; clavi mensura coacta est:
Maius erat nostris viribus illud onus.
Nec patiens corpus nec mens fuit apta labori,
Sollicitaeque fugax ambitionis eram:
Et petere Aoniae suadebant tuta sorores
Otia iudicio semper amata meo.
Temporis illius colui fovique poëtas;
Quotque aderant vates, rebar adesse deos.
Saepe suas volucres legit mihi grandior aevo,
Quaeque necet serpens, quae iuvet herba, Macer.
Saepe suos solitus recitare Propertius ignes,
Iure sodalicio qui mihi iunctus erat.

17. *Lucium* dicit Ciofan. ex glossis, ut videtur, antiquis. 19. *Permessia* suspicio Heinsii. 29. *humeros* ex 3. Codd. recepit Nobbe; perperam, quum *purpura* subiectum propositionis sit, non *frater* v. c. 34. Triumvir Capitalis, (vel Monetalis.) v. Masson. vitam Ovidii. ed. Fisch. p. 42. 44. *Aemilius Macer* Veronensis. Ornithogoniam et Theriaca scripsit, Nicandrum imitatus; obiit a. u. 737. 36. *sodalicio* ex Codd. Edd. Burm. reliqui *sodalicii.* 47. *Ponticus* idem, ad quem Propertius misit 1. Eleg. 7. et 9.

Pontius heroo, Bassus quoque clarus iambo,
  Dulcia convictus membra fuere mei:
Et tenuit nostras numerosus Horatius aures,
  Dum ferit Ausonia carmina culta lyra.
Virgilium vidi tantum: nec avara Tibullo
  Tempus amicitiae fata dedere meae.
Successor fuit hic tibi, Galle; Propertius illi:
  Quartus ab his serie temporis ipse fui.
Utque ego maiores, sic me coluere minores:
  Notaque non tarde facta Thalia mea est.
Carmina quom primum populo iuvenilia legi,
  Barba resecta mihi bisve semelve fuit.
Moverat ingenium totam cantata per Urbem
  Nomine non vero dicta Corinna mihi.
Multa quidem scripsi, sed quae vitiosa putavi,
  Emendaturis ignibus ipse dedi.
Tum quoque, quom fugerem, quaedam placitura cremavi,
  Iratus studio carminibusque meis.
Molle, Cupidineis nec inexpugnabile telis
  Cor mihi, quodque levis causa moveret, erat.
Quom tamen hôc essem minimoque accenderer igni,
  Nomine sub nostro fabula nulla fuit.
Paene mihi puero nec digna nec utilis uxor
  Est data, quae tempus perbreve nupta fuit.
Illi successit, quamvis sine crimine, coniux,
  Non tamen in nostro firma futura toro.
Ultima quae mecum seros permansit in annos,
  Sustinuit coniux exsulis esse viri.
Filia me mea bis prima fecunda iuventa,
  Sed non ex uno coniuge, fecit avum.
Et iam complerat genitor sua fata novemque
  Addiderat lustris altera lustra novem:
Non aliter flevi, quam me fleturus ademptum

Scripsit is Thebaida, Antimachum secutus. *Basso* item inscriptam habemus Prop. 1, Eleg. 4. Probe distinguendus is est a cognominibus poëtis, qui post eum floruerunt, Caesio Basso, Gavio Basso et Saleio Basso, de quibus v. Wernsd. P. L. M. T. 3. p. XXXIII. et T. 4. P. 1. p. 43. 50. *Aonia* Codd. 4. (*Aeolia?* Heins.) 51. *amara* Burm. ex Codd. 53. *is tibi* Heins. 73. *socios* Codd. 75. *Filia bis prima mea me* Heins. coni. 79. *adempto* Codd. multi.

Ille fuit. Matri proxima iusta tuli.
Felices ambo tempestiveque sepultos,
Ante diem poenae quod periere meae!
Me quoque felicem, quod non viventibus illis
Sum miser et de me quod doluere nihil!
Si tamen exstinctis aliquid nisi nomina restat
Et gracilis structos effugit umbra rogos;
Fama, parentales, si vos mea contigit, umbrae,
Et sunt in Stygio crimina nostra foro,
Scite, precor, causam (nec vos mihi fallere fas est,)
Errorem iussae, non scelus, esse fugae.
Manibus id satis est. Ad vos studiosa revertor
Pectora, qui vitae quaeritis acta meae.
Iam mihi canities pulsis melioribus annis
Venerat, antiquas miscueratque comas:
Postque meos ortus Pisaea vinctus oliva
Abstulerat decies praemia victor equus:
Quom maris Euxini positos ad laeva Tomitas
Quaerere me laesi Principis ira iubet.
Causa meae cunctis nimium quoque nota ruinae
Indicio non est testificanda meo.
Quid referam comitumque nefas famulosque nocentes?
Ipsa multa tuli non leviora fuga.
Indignata malis mens est succumbere seque
Praestitit invictam viribus usa suis.
Oblitusque togae ductaeque per otia vitae,
Insolita cepi temporis arma manu;
Totque tuli terra casus pelagoque, quot inter
Occultum stellae conspicuumque polum.
Tacta mihi tandem longis erroribus acto
Iuncta pharetratis Sarmatis ora Getis.
Hic ego, finitimis quamvis circumsoner armis,
Tristia, quo possum, carmine fata levo.

80. *busta* Codd. *iusta* Cuiac. Heins. coni. Perpetua haec confusio. Stat. Silv. 3, 2, 142. *Ast ego, (narrabo) devictis dederim quae busta Pelasgis.* ibidem Heins. et Markl. emend. *iusta.* 81. *ambos* Cod. 1. Ib. *sepultos.* Ed. Eton. Burm. coni. *sepulti* vulgo. 92. *quae* Codd. plerique. 95. a. u. 762. Ovidii LI. et LII. anno. v. Masson. p. 92. 96. *equus*] Bentl. Burm. coni. *eques* Codd. 105. *togae*] Cod. Richel. quod Burm. recepit. *mei* reliqui Codd. 106. *tum prius* Scal. 112. *qua* Cod. 1.

Quod quamvis nemo est, cuius referatur ad aures,
Sic tamen absumo decipioque diem.
Ergo, quod vivo durisque laboribus obsto
Nec me sollicitae taedia lucis habent,
Gratia, Musa, tibi: nam tu solatia praebes,
Tu curae requies, tu medicina venis:
Tu dux, tu comes es: tu nos abducis ab Istro
In medioque mihi das Helicone locum.
Tu mihi (quod rarum,) vivo sublime dedisti
Nomen, ab exsequiis quod dare Fama solet.
Nec, qui detrectat praesentia, Livor iniquo
Ullum de nostris dente momordit opus.
Nam tulerint magnos quom secula nostra poëtas,
Non fuit ingenio Fama maligna meo.
Quomque ego praeponam multos mihi, non minor illis
Dicor et in toto plurimus orbe legor.
Si quid habent igitur vatum praesagia veri,
Protinus, ut moriar, non ero, terra, tuus.
Sive favore tuli sive hanc ego carmine famam,
Iure tibi grates, candide lector, ago.

118. *venis* cum Ed. Eton. restituimus ex Codd. fere omnibus; *vetus* quum corrupte legeretur in Cod. apud eundem, correxerunt: *malis* Cod. 1. *mali* in margine alterius, quod recepit Heins. Burm. 119. Tres *me subducis*, totidem *me deducis*, (*me seducis* Heins.)

AULI PERSII FLACCI

SATIRAE SEX.

PRAEFATIO.

Quum in seminariis philologicis potius quam in gymnasiis utiliter tractetur Persii et crisis et interpretatio, neque pauca sufficiant ad utramque expediendam et multa hic dari nequierint, satisque eorum, quae in priore Editione vel recta vel prava protuleram, mentionem fecerint successores mei Weberi ambo et Plum, consilio prorsus mutato, in usum potissimum iuvenum seminariis illis adscriptorum, nudam lectionis varietatem dedi e Codd. aliquot a me primum excussis.

Sunt autem hi:

Codex T.: Turicensis C. 135. 4°. membr. Sec. XIII. perbonus.
— R.: Basileensis F. III. 22. 4°. membr. Sec. XIII. vitiosissimus.
— V.: Guelferbytanus August. 29. 12. 4°. membr. Sec. XIV. N. 650. apud Ebertum, qui eum bonae notae dicit, neque immerito. Huius collationem accuratissimam cum Reizii editione debeo Iulio Silligio V. C.
— E.: Einsiedlensis N. 328. 4°. chartac. Sec. XV. Codex minime malus.
— S.: Basileensis alter. F. III. 6. fol. chartac. Sec. XV. Abest ab hoc Cod. admodum vitioso satira sexta.
— A.: Andegavensis Editio perantiqua. fol. Ebert. N. 16232.
— M.: Argentoratensis Editio perantiqua (circa 1472.) Ebert. N. 16231.
— F.: Varietas Codd., fortasse etiam coniecturae VV. DD. in margine Editionis Foquelini cum eiusdem philologi Curis secundis autographis in Bibliotheca Bernensi G. 37. Hanc enotavi ibi dumtaxat, ubi praebet lectiones in TRVESAM haud inveniendas.
— Vatic.: Fragmentum Vaticanum Sat. 1. antiquissimum in Maii *Class. Auct.* Vol. 3. pag. XX.

In margine inferiore habes varietatem Reizii (*r.*), Passovii (*p.*) Ernesti Guilielmi Weberi (*w.*), Plumii (*P.*) et Gulielmi Ernesti Weberi (*W.*) — Glossas veteres subieci ex Reizii recensione, collatis Edd. Pithoei et Casauboni.

A. PERSII FLACCI VITA

SCRIPTA UT VIDETUR A SUETONIO SED INTERPOLATORIS MANUM PASSA.

A. Persius Flaccus natus est pridie Nonas Decembres, Fabio Persico, L. Vitellio COSS. Decessit VIII. Kalendas Decembres, P. Mario, L. Asinio Gallo COSS.

Natus in Etruria Volaterris, eques Romanus sanguine et affinitate primi ordinis viris coniunctus, decessit ad octavum milliarium via Appia, in praediis suis. Pater eius Flaccus pupillum reliquit moriens, annorum fere sex. Fulvia Sisennia mater nupsit postea Fusio, equiti Romano: et eum quoque extulit intra paucos annos. Studuit Flaccus usque ad annum XII. Volaterris: inde Romae apud grammaticum Remmium Palaemonem et apud rhetorem Virginium Flavum. Quom esset annorum XVI. amicitia coepit uti Annaei Cornuti, ita ut ab eo nusquam discederet: a quo inductus aliquatenus in philosophiam est. Sed mox ut a schola et magistris diverterat, lecto libro Lucilii decimo, vehementer Satiras componere studuit: cuius libri principium imitatus est, sibi primo, mox omnibus detrectaturus, cum tanta recentium poëtarum et oratorum insectatione, ut etiam Neronem culpaverit. Cuius versus in Neronem quom ita se haberet: *Auriculas asini Mida rex habet:* in hunc modum a Cornuto, ipso nondum mortuo, est emendatus: *Auriculas asini quis non habet?* ne hoc Nero in se dictum arbitraretur. Amicos habuit a prima adolescentia Caesium Bassum, poëtam, et Calpurnium Suram, qui eo vivo iuvenis decessit. Coluit ut patrem Servilium Nonianum. Per Cornutum cognovit Annaeum etiam Lucanum, aequaevum, auditorem Cornuti. Nam Cornutus illo tempore tragicus fuit, sectae Stoicae, qui libros philosophiae reliquit. Sed Lucanus adeo mirabatur scripta Flacci, ut vix retineret se, illo recitante, a clamore [quin illa vera esse poëmata diceret]. Sero cognovit Senecam, sed non ut caperetur eius ingenio. Usus est apud Cornutum duorum convictu doctissimorum et sanctissimorum virorum, acriter tum philosophantium, Claudii Agathemeri, medici Lacedaemonii, et Petronii Aristocratis, Magnetis, quos unice miratus est et aemulatus, quom aequales essent, et Cornuti minores. Ipse etiam decem fere annis summe dilectus a Paeto Thrasea est, ita ut peregrinaretur quoque cum eo aliquando, cognatam eius Arriam uxorem habente. Fuit morum lenissimorum, verecundiae virginalis, formae pulchrae, pietatis erga matrem et sororem et amitam exemplo sufficientis. Fuit frugi et pudicus. Reliquit circa sestertium vicies matri et sorori: scriptis tamen ad matrem codicillis rogavit, ut daret Cornuto sestertia, ut quidam, centum, ut alii volunt, plus, et argenti facti pondo viginti et libros circa septingentos, sive bibliothecam suam omnem. Verum Cornutus sublatis libris, pecuniam sorori et matri, quas heredes fecerat, reliquit. Et raro et tarde scripsit. Hunc ipsum librum imperfectum reliquit. Versus aliqui dempti sunt ultimo libri, ut quasi finitus esset. Leviter retractavit Cornutus, et Caesio Basso petenti ut ipse ederet, tradidit edendum. Scripsit etiam in pueritia Flaccus praetextatam et Ὁδοιπορικῶν librum unum, et paucos uxori Thraseae in Arriam matrem versus, quae se ante virum occiderat. Omnia autem ea Cornutus auctor fuit matri eius ut aboleret. Editum librum continuo mirari homines et diripere coeperunt. Decessit autem vitio stomachi, anno aetatis XXIIX. (*Integram servavi Reizii huius vitae recensionem comparandam cum recentioribus Suetonii editionibus.* Or.)

PROLOGUS.

Nec fonte labra prolui caballino
Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini, ut repente sic poëta prodirem.
Heliconidasque pallidamque Pirenen
Illis remitto, quorum imagines lambunt
Hederae sequaces: ipse semipaganus
Ad sacra vatum carmen affero nostrum.
Quis expedivit psittaco suum χαῖρε,
Picasque docuit nostra verba conari?
Magister artis ingenique largitor
Venter, negatas artifex sequi voces.
Quod si dolosi spes refulserit nummi,
Corvos poëtas et poëtrias picas
Cantare credas Pegaseium nectar.

SATIRA PRIMA.

O curas hominum! o quantum est in rebus inane!
„Quis leget haec?" — Min tu istud ais? Nemo hercule. —
„Nemo?"

Abest Prologus a V. 2. *Parnaso* TEM. 3. Ut nos, E. *memini me ut repente sic* TSM. *memini me ut sic repente* RA. 4. Ut nos, E. Codd. Paris. Wimar. *Eliconiedasque* T. *Eliconiadisque* R. *Aeliconidasque* A. *Aeliconiadas et pallidam p.* SM. Ib. *pirenem* RSM. *pyrenem* A. 5. Ut nos, A. *relinquo* TRESM. 6. *ipse ego semip.* E. 7. *natum* T. *carmen hoc aff.* A. *offero* F. 8. *chere* TRESAM. Post v. 8. A. inserit *Corvos quis olim suum concavum salutare?* (Cod. Brem. et Fontius, Persii editor (1480.), non amicus, ut ratus est Weberus: *Corvos quis olim concavum salutare?*) 9. Ut nos, TRESAM. (non: *verba nostra*). „Et *blandiri* legitur." SCHOL. 10. *ingeniique* TRESAM. 12. *refulgeat* ES. 13. *poëtridas* TRESAM. 14. *pegaseum melos* ESAM. *pegaseumque melos* R. *pegaseum tunc melos* T. Voc. *pegaseum* superscr. in T. *per*, cum gl. *valde pegaseum*. Cfr. Santen. ad Terentianum p. 2.

SATIRA I. 1. *hominum quantum* VA., ut volebat Schuetz. Primi tres vv. varie interpunguntur. Nos secuti sumus P. — Cod. Tur. et Reiz. sic: Monitor. *Quis - haec?* Persius. *Min - ais?* M. *Nemo hercule.* P. *Nemo?* M. *Vel - miserabile.* P. *Quare?*

EDD. RECENTT. 2. *Neque* r. *Parnaso* rP. 3. *memini me, ut* P. 4. *Heliconiadasque* wPW. 5. *relinquo* pP. 9. *verba nostra* rwW. 14. *melos* P.

GLOSSAE VETERES IN PERSIUM EX REIZII RECENSIONE CUM VARIETATE PITHOEANA.

PROLOGUS.

9. *Conari*] Et *blandiri* legitur. 14. *Pegaseïum melos*] In aliis est *nectar*.

SATIRA I. 1. *Quantum est in rebus inane*] Graecum est ὅσον τὸ κενόν. 2. *Quis leget haec*] Hunc versum de Lucilii primo transtulit.

Vel duo vel nemo. — „Turpe et miserabile." — Quare?
Ne mihi Polydamas et Troïades Labeonem
Praetulerint? Nugae! Non, si quid turbida Roma
Elevet, accedas examenque improbum in illa
Castiges trutina, nec te quaesiveris extra.
Nam Romae quis non? Ah si fas dicere! sed fas
Tunc quom ad canitiem et nostrum istud vivere triste
Adspexi ac nucibus facimus quaecunque relictis,
Quom sapimus patruos: tunc, tunc ignoscite. — „Nolo." —
Quid faciam? Sed sum petulanti splene cachinno. —
Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber,
Grande aliquid, quod pulmo animae praelargus anhelet. —
Scilicet haec populo pexusque togaque recenti
Et natalitia tandem cum sardonyche albus
Sede legens celsa, liquido quom plasmate guttur

4. — *Nec mihi P. et Tr.* TESM. — *Nec mihi P.* — *nec Tr.* R. Ib. — *polidamas* TRVSM. — *pollidamas* A. Ib. — *Troades* T. 5. — *num si* A. 6. *examenque*] T. — *examenve* RVSAM. — *examen ne* E. 7. — *ne te* R. Ib. — *quaesieris* AM. 8. *Romae est quis* TV. — *ah si*] A. (rw.) — *at si* TR. — *ac si* VESM. 9. — *Tum* M. — *Nunc* V. Ib. — *canitiem nostrum* V. — *canitiem nostrumque* R. 10. — *et nuc.* A. Ib. — *quodcunque* F. 15. — *hoc pop.* M. 16. — *sardonice* TVEAM. 17. *legens* habent omnes mei.

SATIRA. I. 4. *Pulydamas* r. 6. *examenve* r. 8. *Romae est quis non?* p. Ib. *at si* pP. 10. *et nuc.* rP. 12. *splene; cachinno* P. 13. *inclusus numeros ille* p. — *inclusi numeros illi* Gronov. P. 16. *sardonyche, albus* r. 17. *leges* Pith. Casaub. r.

4. *Labeonem*] Labeo transtulit Iliada et Odysseam verbum ex verbo: ridicule satis, quod verba potius quam sensum secutus sit. Eius est ille versus: *Crudum manduces Priamum Priamique pisinnos.* 5. et 6. *Examen* est lingua (*lingula?* Or.) vel lignum, quod mediam hastam ad pondera adaequanda tenet. *Castigare* autem est digito libram percutere, ut temperetur et prae agitatione post aequum conquiescat. *Trutina* vero est foramen, intra quod est lingula, de qua examinatio est. 9. *Nostrum istud vivere triste*] Figura Graeca est, pro „nostram vitam tristem." 11. *Quom sapimus patruos*] Sic Cicero: (*pro Cael. c.* 11.) *Obiurgavit Caelium, ut quidam patruus, censor.* 12. *Cachinno*] nomen est et declinatur per omnes casus: hic cachinno, huius cachinnonis. Cachinnus est cum voce risus lascivior, quem Graeci „*μονογέλωτα*" (sic Reiz. — *μονογέροντας* Pith.) dicunt. Et secundum physicos dixit, qui tradunt homines splene ridere, felle irasci, iecore amare, corde sapere, pulmone iactari. 14. *Animae praelargus*] „Animae praelargus" dicit vento abundans. 16. Ambiguitas in *natalitia*: utrum eam natali suo muneri acceperit, an tantum eo die gerere soleat: quia quidam habent anulos, quos die tantum natali gerunt. Et *albus*, aut festiva veste indutus, aut recitandi pavore ac meditandi et scribendi taedio perfunctus; vel veste candida, nondum purpuream adeptus vestimentum, quod laticlavium dicitur.

Mobile colluerit, patranti fractus ocello.
Hîc neque more probo videas nec voce serena
Ingentes trepidare Titos, quom carmina lumbum
Intrant et tremulo scalpuntur ubi intima versu.
Tun, vetule, auriculis alienis colligis escas?
Auriculis, quibus et dicas cute perditus, ohe! —
„Quo didicisse, nisi hoc fermentum et quae semel intus
Innata est, rupto iecore exierit caprificus?" —
En pallor seniumque! o mores! Usque adeone
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter? —
„At pulchrum est digito monstrari et dicier, Hic est!
Ten cirratorum centum dictata fuisse
Pro nihilo pendas?" — Ecce inter pocula quaerunt
Romulidae saturi, quid dia poëmata narrent.
Hîc aliquis, cui circum humeros hyacinthina laena est,
Rancidulum quiddam balba de nare locutus,
Phyllidas, Hypsipylas, vatum et plorabile si quid,
Eliquat ac tenero supplantat verba palato.

18. *colluerit*] TES. — *collueris* RVAM. et S. a sec. m. 19. *nec voce*] TRSA. — *neque v.* VEM. 20. — *Ingenuos* R. Ib. — *lumbos* SM. 21. — *scalpunt* V. 22. — *auricolis* TVM. Ib. — *alienas* E. 23. — *hohe* R. 24. *Quo*] F. — *Quid* TRVESAM. scil. M. ἀμέτρως: *Quid didicisse iuvat n.* Ib. — *inter* V. 25. — *innata rupto* R. 26. — *senium est quod mores* R. 29. — *Tum cirr.* R. Ib. — *dicata* R. 31. — *qui dia* TR. 32. — *cui circa* AM. — *qui circum* RE. Ib. — *lena* om. *est* E. 33. — *rancidolum* V. Ib. — *quoddam* S. 34. — *vatum probabile* R. 35. — *Elicat* R. Ib. *ac tem.*] EA. — *et ten.* VS. — *a ten.* F.

18. *collueris* rw. 19. *neque voce* rpwPW. 24. *Quid did.* pwPW. 35. *et tenero* rpP.

18. *Patranti*] Patratio est rei venereae perfectio vel consummatio, unde et patres dicti, eo quod patratione filios procreant. Ib. *Ocello*, per ὑποκόρισμα· quia illum contrahendo minorem facit. Iuvenalis: (7, 241.) *oculosque in fine trementes.* 21. *Et tremulo scalpuntur*] In libidinem excitantur: Iuvenalis. (6, 195.) *Quod enim non excitat inguen Vox blanda et nequam? digitos habet.* 26. *Usque adeone scire tuum*] Haec periodus apud Lucilium posita est: *ut me scire volo mi mi conscius sum, ne damnum faciam. Scire hoc se nescit, nisi alios id scire scierit.* (Douza: *Ut me scire volo, mihi sum, puto, conscius ipse. Ne damnum faciam, scire hoc se nesciet, id ni Scire alios scierit.*) 28. *At pulchrum est digito monstrarier*] Hic requiritur historia Demosthenis, qui quom transiret et a mercenario tabernae digito monstraretur, fertur laetatus esse, quod ab ignobilibus sciretur. Et Horatius libro quarto Carminum (3, 21.) sic posuit: *Totum muneris hoc tui est, Quod monstror digito praetereuntium.* 29. *Ten cirratorum*] Occulte tangit Neronem, cuius carmina, quia imperabat, per scholas celebrabantur.

Assensere viri. — Nunc non cinis ille poëtae
Felix? non levior cippus nunc imprimit ossa?
Laudant convivae. — Nunc non e Manibus illis,
Nunc non e tumulo fortunataque favilla
Nascentur violae? — „Rides, ait, et nimis uncis
Naribus indulges. An erit, qui velle recuset
Os populi meruisse et cedro digna locutus
Linquere nec scombros metuentia carmina nec thus?" —
Quisquis es, o, modo quem ex adverso dicere feci,
Non ego, quom scribo, si forte quid aptius exit —
Quando haec rara avis est — si quid tamen aptius exit,
Laudari metuam; neque enim mihi cornea fibra est.
Sed recti finemque extremumque esse recuso
Euge tuum et belle; nam belle hoc excute totum,
Quid non intus habet? non hîc est Ilias Acci
Ebria veratro? non si qua elegidia crudi
Dictarunt proceres? non quidquid denique lectis
Scribitur in citreis? — Calidum scis ponere sumen;
Scis comitem horridulum trita donare lacerna,
Et, Verum, inquis, amo: verum mihi dicito de me! —
Qui pote? vis dicam? Nugaris, quom tibi, calve,
Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstet.

36. — *num non c.* A. — *nunc nunc c.* T. — *non nunc c.* RM. 37. — *nunc levior* T. Ib. — *num lev.* SAM. Ib. — *non impr.* RA. 38. — *nunc nunc e man.* TR. — *num nunc e man.* SM. 39. — *Nunc nunc e tum.* TRSM. (sed M. *est tum.*) — *Num non e tum.* A. 41. — *vale* R. 43. — *tus* V. 44. — *dicere fas est* F. 45. — *si quid forte* A. 47. — *nec* TM. 50. *intro* M. — *habes* E. — *est hic* TR. 51. *nec si* R. 52. *non si quid denique* E. 55. *dicito*] TVAM. — *dicite* RES. 56. — *potes* S. 57. *exstet*] TEA. — *exstat* RVSM. — *exitet* Vatic.

43. *tus* PW. 55. *dicite* rP.

39. *Tumulus* dicitur terrae aggestio, ubi nulla est memoria. 43. Quae carmina nullum periculum habeant manere apud salsamentarios et thurarios. Per *scombros* significat salsamentarios; per *thus*, pigmentarios. („Al. *unguentarios.*" Pith.) 44. *Quisquis es*] Mimica et comica exclamatio: quoniam poëtae nonnunquam, omisso recto sermone, extra scaenam soli loquuntur, sustinentes personam suam, aut aliquorum hominum verba interponunt. 50. *Ilias Acci*] Accius Labeo Iliadem Homeri versibus foedissime composuit. 54. *Scis comitem horridulum*] Scis birrum attritum comiti condonare. *Lacerna*, pallium fimbriatum, quo olim soli milites velabantur; paenula, pallium cum fimbriis longis. 56. *Qui pote?*] Tractus sensus ex Graeco versu, quo significatur, ex ventre crasso tenuem sensum non nasci. („*Παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον.*" Pith.)

O Iane, a tergo quem nulla ciconia pinsit,
Nec manus, auriculas imitari mobilis albas,
Nec linguae, quantum sitiat canis Appula, tantum!
Vos, o patricius sanguis, quos vivere fas est
Occipiti caeco, posticae occurrite sannae! —
„Quis populi sermo est?" — Quis enim? nisi carmina molli
Nunc demum numero fluere, ut per leve severos
Effundat iunctura ungues; scit tendere versum
Non secus, ac si oculo rubricam dirigat uno.
Sive opus in mores, in luxum, in prandia regum
Dicere, res grandes nostro dat Musa poëtae. —
Ecce modo heroas sensus afferre videmus
Nugari solitos Graece nec ponere lucum
Artifices nec rus saturum laudare, ubi corbes
Et focus et porci et fumosa Palilia foeno:
Unde Remus sulcoque terens dentalia, Quincti,
Quom trepida ante boves dictaturam induit uxor
Et tua aratra domum lictor tulit. — Euge, poëta!
Est nunc, Brisaei quem venosus liber Acci,
Sunt, quos Pacuviusque et verrucosa moretur
Antiopa, „aerumnis cor luctificabile fulta."

58. — *pinxit* R. — *punxit* F. 59. *imitari mob.*] Vatic. Lugd. Bat. — *imitata est* Codd. mei et AM. Ib. — *altas* V. 60. — *Apula* VM. — *Apulae tantae* F. — *epula* R. — *tantum silicet* (sic) *c. Apula. quantum* A. 61. — *O vos* R. — *ius est* F. (*fas* firmat Vatic.) — *vis est* V. 63. — *sermo. quis* TS. Ib. *carmine* R. 64. — *numero effluere* A. — *fluere numero* E. Ib. *perlene* M. 65. *scis* M. 66. *ac oculo* M. 67. *in pr.*] TSAM. Item R. a sec. manu. — *et pr.* RVE. 70. — *graeci* Vatic. — *non ponere* S. Ib. — *lucos* F. 71. *corbe* S. 72. — *porci fumosa* T. Ib. — *palaria* R. 73. — *Quinti* TRSM. — *Quintus* F. 74. *Quom*] V. — *Quem* TRESAM. Ib. *dictaturam*] TVEA. — *dictatura* RSM. 75. — *Et tria* T. 76. *Brisaei*] Plum. — *brisei* Vatic. TRESAM. — *briseis* V. (?) Scoppa. 77. — *pacuninus et* T.— *phacunius et* A. 78. = *Antiope* Vat.

---

59. *imitata est mob.* rpwW. Ib. *altas* r. 64. *laeve* rp. 67. *et prandia* wP. — *an pr.* p 68. *Dicere res* P. 73. *Quinti* rw. 74. *Quem* P. Ib. *dictatorem* (Foquel.) rp. 76. *Brysaei* w. — *Briseis* rpW.

---

58. *Nulla ciconia*] Tria genera sannarum: aut manu significare ciconiam, aut opposito temporibus pollice auriculas asininas, aut linguam sitientis canis. *Sanna* autem dicitur os distortum cum voltu: quod facimus, quum alios deridemus. Inde sanniones dicti, qui non rectum voltum habeant. 72. *Palilia*] Varro: *Palilia tam privata quam publica sunt apud rusticos: ut congestis cum foeno stipulis ignem magnum transiliant, his Palilibus se expiari credentes.*

Hos pueris monitus patres infundere lippos
Quom videas, quaerisne, unde haec sartago loquendi
Venerit in linguas? unde istuc dedecus, in quo
Trossulus exsultat tibi per subsellia levis? —
Nilne pudet capiti non posse pericula cano
Pellere, quin tepidum hoc optes audire „decenter!"
Fur es, ait Pedio. — Pedius quid? — Crimina rasis
Librat in antithetis. Doctas posuisse figuras
Laudatur. — Bellum hoc! — Bellum hoc? an, Romule, ceves?
Men moveat quippe et, cantet si naufragus, assem
Protulerim? Cantas, quom fracta te in trabe pictum
Ex humero portes? Verum, nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incurvasse querela. —
„Sed numeris decor est et iunctura addita crudis.
Claudere sic versum didicit: *Berecyntius Attis*,
Et: *qui caeruleum dirimebat Nerea delphin*,
Sic: *costam longo subduximus Apennino.*
Arma virum, nonne hoc spumosum et cortice pingui,

80. — *unum haec* S. — *unde sartago* T. 81. *istuc*] Vatic. = *istud* Cett. — *unum istud debeo in quo* S. 82. *Trosulus* M. — *Trosilus* T. — *Trossilus* A. — *Throsulus* R. — *Rosulus* S. 83. — *nil posse* E. 84. — *trepidum* V. ut volebat Casaub. 86. — *doctus* Scalig. Monti. 87. — *laudatus* Vatic. Ut nos, T. Ib. — *bellum est. an Rom.* RVESAM. — *Romole* T. 88. — *et si cantet* E. 89. — *Protulero* F. Ib. — *te trabe* T. 91. — *incurvare* T. 93. — *didicit versum* V. Ib. *Attis*] Vatic. V. — *atis* T. — *athis* RSAM. — *acis* E. (— *Attin* Cod. Bern.) 95. — *deduximus* R. superscr. *sub.* 96. — *num ne sp.* T. — *nonne est sp.* V.

81. *istud* rpwPW. 82. *laevis* rp. 87. *hoc bellum? un* r. — *bellum est? an* pP. 88. *Men moveat? quippe et* rp. 93. — *didicit versum* pP. Ib. *Atys* pP. — *Attin* rw.

82. *Trossulus*] Trossulum oppidum fuit Etruriae, non longe a Volscis. Hos equites Romani sine peditibus expugnarunt, Numio quodam duce. Unde equites Romani *Trossuli* dicti sunt. 86. *Librat in antithetis*] Antitheta sunt haec: *Fortia neglecti velabant colla capilli: Et per neglecti volitabant colla capilli.* („Al. vers. priore *volitabant* et v. seq. *Et per neglectos volitabant colla capillos.*" Pith.) *Ah quotiens umbra porrexi brachia mota: Ah* (*Aut* bis Pith., sed *Ah* in variis lectt.) *quotiens umbra redduxi brachia mota.* Antitheta autem ista sunt, quae contra se ponuntur: ut, *hinc pudor*, *illinc petulantia: hinc pudicitia*, *illinc stuprum*: *hinc fides*, *illinc fraudatio.* (Cic. in Catil. 2, 11.) 95. *Sic costam*] Omnia Epicorum carmina ita fere sunt composita, ut proximus pes ab ultimo dactylus sit, exceptis admodum paucis, quos σπονδειάζοντας appellant: ut apud Cornelium Severum, *Pinea frondosi coma murmurat Apennini.* („*Sibilat* apud Charis." Pith.)

Ut ramale vetus vegrandi subere coctum? —
„Quidnam igitur tenerum et laxa cervice legendum?" —
Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis,
Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris et lyncem Maenas flexura corymbis
Evion ingeminat; reparabilis adsonat Echo. —
Haec fierent, si testiculi vena ulla paterni
Viveret in nobis? summa delumbe saliva
Hoc natat in labris et in udo est Maenas et Attis,
Nec pluteum caedit nec demorsos sapit ungues.
„Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? Vide sis, ne maiorum tibi forte
Limina frigescant: sonat hîc de nare canina
Litera." — Per me equidem sint omnia protinus alba:
Nil moror. Euge! omnes etenim bene mirae eritis res.
Hoc iuvat. „Hîc, inquis, veto quisquam faxit oletum!" —
Pinge duos angues: pueri, sacer est locus, extra
Meiite. Discedo. Secuit Lucilius urbem,
Te, Lupe, te, Muci, et genuinum fregit in illis.
Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit et admissus circum praecordia ludit,

97. *vegrandi*] Porphyr. et Schol. Cruq. ad Horat. Serm. 1, 2, 129. — *praegrandi* TRVESAM. 98. — *et lapsa* R. — *et lassa* F. Ib. — *legendum est* S. R. in marg. M. 100. — *Et sectum* F. — *Ut*: *ruptumque caput vitulo obl.* F. Ib. — *illatura* R. Omittit hunc v. S. 101. — *linces* A. 102. — *evhion* Vatic. — *euchion* TAM. 103. — *Haec si testiculi fierent* R. Ib. — *venulla* Vatic.; quod verum putat Maius. 104. — *Vincere in* S. Ib. — *in vobis* M. 105. — *in udo menas* RS. Ib. — *Attis*] V. — *Atis* T. — *Athis* RSAM. 106. — *demorsos nec* RS. 107. *radere versu* R. 108. *cave sis* F. 111. — *mire* TRVA. 112. — *hoc inq.* A. 114. — *Mingite* R. et superscr. in S. Ib. — *orbem* T. 115. *Muci*] Weberus meus. — *Muti* Celt. — *multi. genuinum* V. 116. — *ridendi* T. — *tangit amico Flacus* S.

---

97. *praegrandi* rP. 98. *legendum est?* p. 105. *Atys* pP. — *Attin* rw. 111. *omnes*, *omnes bene* r. 115. *Muti* rpwP.

---

79. *Suber*, cortex arboris. Virgilius: (Aen. 7, 554.) *Huic natam, libro et silvestri subere clausam, Implicat.* 99. *Torva Mimalloneis*] Versus Neronis sunt. *Mimallones* dicuntur ministri Liberi patris, ἀπὸ τῆς μιμήσεως. Calendrus Illyriorum rex ad Macedoniam cum exercitu venit: Macedones quom parvum exercitum haberent, plurimas mulieres cothurnis et thyrsis in modum Baccharum ornaverunt. Illi credentes exercitum adventare discesserunt. 101. *Bassarides*, Bacchae. Quibusdam videtur a genere vestis, qua Liber pater utitur, demissa ad talos, quam Thraces bassarin. Quidam a vulpibus, quarum pellibus Bacchae succingebantur. Volpes Thraces bassares dicunt.

Callidus excusso populum suspendere naso.
Men mutire nefas? nec clam nec cum scrobe? — „Nusquam." —
Hîc tamen infodiam: Vidi, vidi ipse, libelle:
Auriculas asini quis non habet? — Hoc ego opertum,
Hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi vendo
Iliade. — Audaci quicunque afflate Cratino,
Iratum Eupolidem praegrandi cum sene palles,
Adspice et haec, si forte aliquid decoctius audis.
Inde vaporata lector mihi ferveat aure:
Non hic, qui in crepidas Graiorum ludere gestit
Sordidus et lusco qui possit dicere: lusce!
Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus
Fregerit heminas Areti aedilis iniquas:
Nec qui abaco numeros et secto in pulvere metas
Scit risisse vafer, multum gaudere paratus,
Si cynico barbam petulans nonaria vellat.
His mane edictum, post prandia Callirhoën do.

SATIRA SECUNDA.

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos.
Funde merum Genio! Non tu prece poscis emaci,
Quae nisi seductis nequeas committere divis.

119. — *muttire* V. 120. — *vidi hic vidi* R. — *vide vide* S. — *vide hic vide* M. 125. — *et hoc* R. superscr. *ac*. Item M. 126. — *Unde* RS. 128. — *poscit* M. et Codd. nonnulli, sed nullus meorum. 129. — *ythaco quod* R. 130. = *Arreti* F. 131. — *abaci* F. — *Nec abyti num.* R. Ib — *secto pulvere* A. — *et docto in pulv.* F. 133. — *vellet* V. 134. — *calioren* T.

SATIRA. II. 2. — *apponet* V.

---

121. *Auriculas asini Mida rex habet* rpW. ex Suetonii vita Persii et Petro Blesensi in Ep. 69. p. 748. b. 126. *Unde* P. 128. *poscit* r. 129. *Seque* e Codd. P.

---

119. *nec cum scrobe*] Midae historiam tangit. 122. *Nulla tibi vendo Iliade*] Non tibi illud dem, si mihi Iliada Labeonis, aut Neronis Troicon tradas. Scripsit Nero Troicon. 133. *Nonaria* dicta meretrix; quia apud veteres a nona hora prostabant, ne mane omissa exercitatione illo irent adolescentes.

SATIRA. II. 1. Alloquitur Plotium Macrinum, hominem sane eruditum et paterno se affectu diligentem, qui in domo Servilii didicerat, a quo agellum comparaverat, indulto sibi pretio aliquanto.

At bona pars procerum tacita libabit acerra.
Haud cuivis promptum est murmurque humilesque susurros
Tollere de templis et aperto vivere voto.
„Mens bona, fama, fides!" — haec clare et ut audiat hospes:
Illa sibi introrsum et sub lingua immurmurat: „O si
Ebullit patruus, praeclarum funus!" et: „O si
Sub rastro crepet argenti mihi seria, dextro
Hercule! pupillumve utinam, quem proximus heres
Impello, expungam! namque est scabiosus et acri
Bile tumet. Nerio iam tertia ducitur uxor!"
Haec sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis terque et noctem flumine purgas.
Heus age, responde: — minimum est quod scire laboro: —
De Iove quid sentis? estne, ut praeponere cures
Hunc? . . „Cuinam?" Cuinam? Vis Staio? — an scilicet haeres,
Quis potior iudex puerisve quis aptior orbis?
Hoc igitur, quo tu Iovis aurem impellere tentas,
Dic agedum Staio: — „proh Iuppiter! O bone", clamet,
Iuppiter! „— at sese non clamet Iuppiter ipse?
Ignovisse putas, quia, quom tonat, ocius ilex

5. (*libabit* Omnes mei.) 6. — *Haud cui ius* SM. — *Haud crinis* R. Ib. — *humilesque figuras* R. Ib. — *promptum mur.* SFM. 8. — *hoc cl.* S. 9. — *murmurat* RSM. 10. — *Ebullat* R. — *Ebulit* S. Ib. *patruus*] ex Heinsii Codd. rP. — *patrui* Codd. mei et AM. (om. v. 10. T.) 11. — *argenti miseria* E. 13. — *nam iam scab.* S. — *nam iam est scab.* F. 14. *ducitur*] TSM. — *conditur* RVEA. 15. — *sancte poscas* R. Ib. — *in flumine* F. Ib. — *merges* V. 18. — *cur est ut* V. 19. *Hunc? Cuinam? Cuinam*] VE. — *hunc cuinam vis* R. — *hunc cuiquam? cuinam* TSAM. Ib. — *scaio* T. — *stagio* F. — *stadio* E. — *stacio* R. 20. — *puerisne* R. 21. — *Hoc ergo* T. Ib. — *quod* M. Ib. — *temptas* RVSAM. 22. *proh*] TRVESM. — *pro* A. 23. — *ad sese* TEA. Ib. — *clamat* V. 24. — *altius ylex* R.

SATIRA II. 5. *libavit* rwW. 10. *patrui* pwW. 19. *Hunc cuiquam? cuinam* p. 22. *pro* p.

13. *Proximus expungam*] Tractum a militibus, qui expuncti dicuntur, dum foras a militia emittuntur. Item metaphora a bello, in quo, cadente qui primus est, succenturiatur alius. 14. Nerius morte coniugum locupletatus, fenerator est factus notissimus: de quo Horatius, (S. 2, 3. 69.) *Scribe decem a Nerio.* Dos enim a cive Romano data, non patrio dicta nomine, si repudium non intervenerit, post mortem uxoris ad maritum pertinet. 19. Staius tutor pupillarius fuit. Gutta et Albus (l. *Bulbus*) et ceteri praepositi, fuerunt iudices, qui in Iuniano iudicio corrupti, Oppianicum damnaverunt.

Sulfure discutitur sacro quam tuque domusque?
An quia non fibris ovium Ergennaque iubente,
Triste iaces lucis evitandumque bidental,
Idcirco stolidam praebet tibi vellere barbam
Iuppiter? — aut quidnam est, qua tu mercede deorum
Emeris auriculas? — pulmone et lactibus unctis? —
Ecce avia aut metuens divûm matertera cunis
Exemit puerum frontemque atque uda labella
Infami digito et lustralibus ante salivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita;
Tunc manibus quatit et spem macram supplice voto
Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in aedes.
„Hunc optent generum rex et regina! puellae
Hunc rapiant! quidquid calcaverit hic, rosa fiat!" —
Ast ego nutrici non mando vota; negato,
Iuppiter, haec illi, quamvis te albata rogarit!
Poscis opem nervis corpusque fidele senectae:
Esto age; sed pingues patinae tucetaque crassa

25. — *Sulphure* V. — *Fulgure* F. 26. — *ergenaque* TM. 33. — *digito lustralibus* T. 34. — *urentesque* V. 35. — *Tum man.* T. — *Hunc man.* E. Ib. — *supplici* T. 36. — *ad aedes* R. 37. *optent*] EAM. — *optet* TRVS. 39. — *Haec ego* F. 40. — *hoc illi* T. Ib. — *quamvis albata negabit* (sic) R. 41. — *Poscit* VE. 42. *pingues pat.*] TA. — *grandes pat.* RVESM.

---

25. *Sulphure* W. 35. *Tum* W. 39. *mando, vota negato* w. (et M.) 42. *grandes patinae* rw.

---

26. *An quia non fibris*] In usu fuit, ut augures vel aruspices adducti de Etruria, certis temporibus fulmina transfigurata in lapides infra terram absconderent, cuius impetratione (l. *in patratione*) rei oves immolabantur. 27. *Bidental*] locus sacro percussus fulmine, qui bidente ab aruspicibus consecratur, quem calcare nefas est. 36. Licinius Crassus inter Romanos locupletissimus, ideo Dives cognominatus. Alii volunt Licinum tonsorem ac libertum Augusti Caesaris significari praedivitem; cuius monumentum est pretiosi operis via Salaria prope Urbem, ad lapidem secundum. De hoc non invenustum Varronis epigramma fertur: *Marmoreo Licinus tumulo iacet: at Cato parvo; Pompeius nullo: credimus esse deos?* (Sic Reiz. e varietate Pith. — *quis putet esse deos?* Pith.) 39. *Non mando*] Verbo usus est aruspicum, (sic Reiz. — *aruspico* Pith. Fort. *aruspicino.*) quom eis dicitur: *Mando tibi, Maxime, ut Iovem adeas* (sic Reiz. — *m. t., ut maximum Iovem audias.* Pith. Brisson. *de form.* Ed. Bach. p. 116.) Ut quemadmodum procurationis assertio sit, ita fiat et in sacris et in prece. (Vv. *et in sacris* om. Reiz.) 42. *Tuceta* apud Gallos Cisalpinos bubula dicitur, condimentis quibusdam crassis oblita ac macerata: et ideo toto anno durat. Solet etiam porcina eodem genere condita servari aut ad saturarum iura. Hinc Plotius Virgilii amicus in eadem regione est nominatus Tucca. (sic Reiz. de Casaub. coni. — *Tuceta* Pith.)

Annuere his superos vetuere Iovemque morantur. —
Rem struere exoptas caeso bove Mercuriumque
Arcessis fibra: „Da fortunare penates,
Da pecus et gregibus fetum!" — Quo, pessime, pacto,
Tot tibi quom in flammas iunicum omenta liquescant?
Attamen hic extis et opimo vincere ferto
Intendit: — „iam crescit ager, iam crescit ovile,
Iam dabitur, iamiam!" — donec deceptus et exspes
Nequidquam fundo suspiret nummus in imo. —
Si tibi crateras argenti incusaque pingui
Auro dona feram, sudes et pectore laevo
Excutiat guttas laetari praetrepidum cor:
Hinc illud subiit, auro sacras quod ovato
Perducis facies. — „Nam fratres inter aënos,
Somnia pituita qui purgatissima mittunt,
Praecipui sunto sitque illis aurea barba." —
Aurum vasa Numae Saturniaque impulit aera
Vestalesque urnas et Tuscum fictile mutat.
O curvae in terras animae et caelestium inanes!
Quid iuvat hos templis nostros immittere mores
Et bona dîs ex hac scelerata ducere pulpa?
Haec sibi corrupto casiam dissolvit olivo;

45. *Arcessis*] TRS. = *Accersis* VEA. 46. — *foetum* V. 47. *iunicum in flammas* T. — *in flamma* F. — *quum flammis* (*in flammas* Omnes mei.) 48. *Attamen*] Omnes mei. Ib. — *vivere* S. Ib. — *farto* S. superscr. *e.* — *festo* V. 49. — *intendis* M. 50. — *expers* TS. Item R. in marg. 51. *suspiret*] Omnes mei — *nummus suspiret* T. — *nummus fundo susp.* M. 52. — *incussaque* RVSAM. 54. — *Excutias* TVA. — *Excuties* RESM. Ib. *laetari*] TVA. — *laetatur* RESM. — *per trepidum* T. 55. — *illut* V. Ib. *subiit*] Omnes mei. — *subito* Cod. Paris. 61. *in terras*] Lactant. 2, 2. „Vetus exemplar legit *in terras*, quod probat Ascensius." Foquelin. in Curis sec. — *in terris* Omnes mei. 62. *iuvat hos*] RSVA. — *iuvat hoc* TV.

45. *Accersis* p. 47. *quum in flammis* rP. 48. *Et tamen* rP. 51. *suspirat* r. 54. *Excutias* P. 55. *subito* w. 61. *in terris* pP. 62. *Quid iuvat hoc, templis* r.

56. *Nam fratres inter aënos*] Acron tradit, quod in porticu Apollinis Palatini fuerunt Danaidum effigies et contra eas sub divo totidem equestres filiorum Aegypti. Ex iis autem statuis quaedam dicebantur postulantibus per somnum dare oracula. 59. *Saturniaque impulit aera*] Aes in aede Saturni condebatur, nondum argento auroque signato. Unde *aerarium* nomen accepit. Fuit autem assis libralis, et dipondius; quod hodie in usu remansit. Et solebat pensari potius quam numerari: unde et *dispensatores* dicti pro *erogatores*. (De Casaub. coni. Reiz. – *d. prorogatores* (sic) Pith.)

Haec Calabrum coxit vitiato murice vellus;
Haec baccam conchae rasisse et stringere venas
Ferventis massae crudo de pulvere iussit.
Peccat et haec, peccat: vitio tamen utitur. At vos
Dicite, pontifices, in sacro quid facit aurum?
Nempe hoc, quod Veneri donatae a virgine puppae.
Quin damus id superis, de magna quod dare lance
Non possit magni Messalae lippa propago:
Compositum ius fasque animo sanctosque recessus
Mentis et incoctum generoso pectus honesto:
Haec cedo, ut admoveam templis, et farre litabo.

SATIRA TERTIA.

„Nempe hoc assidue? Iam clarum mane fenestras
Intrat et angustas extendit lumine rimas.
Stertimus, indomitum quod despumare Falernum
Sufficiat, quinta dum linea tangitur umbra.
En quid agis? Siccas insana canicula messes
Iam dudum coquit et patula pecus omne sub ulmo est."
Unus ait comitum. — „Verumne? itane? ocius adsit

65. *haec* Omnes mei. 69. — *Discite* V. Ib. *in sacro*] V. — *in sancto* TREAM. — *in sacris* F. — *in sanctis* F. — *in templo* S. (et R. in marg.) (Cfr. Victorin. in Cic. Rhet. Lib. 2. p. 218. Capp. *qui vasa ex privato sacra surripuit vel* de sacro *privata.*) 71. — *demus* S. 72. — *messalle* A. 73. *animo*] Cod. Ebner. rpw. — *animi* Omnes mei. 75. — *admoveas* E. (In S. superscr. *ut moveam.*) Ib. — *litato* E. — *libabo* alias *litabo* T.

SATIRA III. 1. *hoc*] TA. — *haec* RVESM. 2. — *ostendit* TESM. 5. — *'ais* TE. 6. — *sub ulmo* om. *est* TV. 7. — *itan herocius* (sic) V. — *assit* TRS.

---

65. *Et Calabrum* r. 69. *in sancto* P. 73. *animi* P. 74. *generosum* p.

---

70. *Donatae a virgine puppae*] Solebant virgines, antequam nuberent, quaedam virginitatis suae dona Veneri consecrare. Hoc et Varro scribit. 72. *Messalae lippa propago*] Cottam Messalinum dicit, qui tam vitiosos oculos in senectute habuit, ut palpebrae eius in exteriorem partem verterentur. Hic ab Aurelio Cotta adoptatus Aurelius Maximus dicebatur, originem trahens ab Aurelio Messala, qui sexies (Sic Reiz. Cfr. Almeloveen Fastos ad a. u. c. 455. — *septies* Pith. Ceterum verum eius nomen, ut omnes norunt, est M. Valerius Corvus:) fuit consul. Qui quom a quodam Gallo ad monomachiam in praelio vocaretur, corvus super galeam in capite eius sedit, et victo hoste Corvinus vocatus est.

SATIRA. III. 1. Hanc satiram poëta ex Lucilii libro quarto transtulit, castigantis divitum luxuriam et vitia.

Huc aliquis! — nemon?" — Turgescit vitrea bilis;
Finditur: Arcadiae pecuaria rudere dicas.
Iam liber et bicolor positis membrana capillis
Inque manus chartae nodosaque venit arundo.
Tunc queritur, crassus calamo quod pendeat humor;
Nigra quod infusa vanescat sepia lympha:
Dilutas queritur geminet quod fistula guttas. —
O miser! inque dies ultra miser! hucine rerum
Venimus? at cur non potius, teneroque palumbo
Et similis regum pueris, pappare minutum
Poscis et iratus mammae lallare recusas?
„An tali studeam calamo?" — Cui verba? quid istas
Succinis ambages? tibi luditur: effluis amens.
Contemnere: sonat vitium percussa, maligne
Respondet viridi non cocta fidelia limo.
Udum et molle lutum es, nunc, nunc properandus et acri
Fingendus sine fine rota. — Sed rure paterno
Est tibi far modicum, purum et sine labe salinum,
(Quid metuas?) cultrixque foci secura patella.
Hoc satis? an deceat pulmonem rumpere ventis,
Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis,

8. — *Hic al.* FM. Ib. — *nemo* R. 9. *Finditur: Arc.*] RV. — *Funditur: Arc.* S. — *Findor ut Arc.* EAM. — *Findor et Arc.* T. Ib. *dicas*] TVES. — *credas* RA. 10. *bicolor positis*] REA. — *positis bicolor* TVSM. — *liber expositis bicolor* F. 11. — *harundo* RSM. 12. — *Tum* T. Ib. *queritur*] Omnes mei. — *querimur* Codd. aliq. Ib. — *calamo crassus* T. 13. — *virescat* R. superscr. *vane.* 14. — *geminet et f.* T. 16. *palumbo*] TSAM. — *palumbes* V. — *columbo* RE. 17. — *papare* TRESAM. 18. — *lalare* R. 19. — *illas* V. 23. — *lutum est* S. Ib. — *iam nunc* F. 26. — *metues* V. Ib. *patella*] TRVSAM. — *patella est* E. 28. — *scemate* TM. Ib. — *qui tusco* A. et R. a sec. manu.

SATIRA III. 9. „*Findor.*" — *ut Arc.* P. Ib. *credas* rP. 10. *positis bicolor* wW. 16. *columbo* P. 26. *patella est* w.

---

10. *Bicolor membrana*] Bicolor, quod pars crocea, pars glutinata apud antiquos erat. 13. *Sepiam* pro atramento, a colore, posuit: quamvis non ex ea ut Afri, sed ex fuligine celeri conficiant atramentum. 18. Nutrices infantibus, ut dormiant, solent dicere saepe, *Lalla, lalla, lalla. Aut dormi, aut lacte.* 12. *Contemnere*] Haec ab Horatio (S. 2, 3. 13.) male translata intempestiva sunt: *Quin tu Invidiam placare paras virtute relicta? Contemnere miser.* Ib. *Sonat vitium*] Ut Virgilius, (Aen. 1. 328.) *nec vox hominem sonat.* 26. *Cultrixque foci*] Quia delibatae (sic Cas. Reiz. — *delibantiae* Pith.) dapes in ea positae ad focum feruntur. 28. *Stemmate quod Tusco*] An oportet te arrogantia inflatum dissilire, quod in aliquo nobili Tusco stemmate millesimus a magno auctore numereris et ramum aliquem ac lineam succes-

Censoremque tuum vel quod trabeate salutas?
Ad populum phaleras. Ego te intus et in cute novi.
Non pudet ad morem discincti vivere Nattae?
Sed stupet hic vitio et fibris increvit opimum
Pingue: caret culpa; nescit quid perdat et alto
Demersus, summa rursus non bullit in unda.
Magne pater divûm, saevos punire tyrannos
Haud alia ratione velis, quom dira libido
Moverit ingenium ferventi tincta veneno:
Virtutem videant intabescantque relicta!
Anne magis Siculi gemuerunt aera iuvenci,
Et magis auratis pendens laquearibus ensis
Purpureas subter cervices terruit, „imus,
Imus praecipites", quam si sibi dicat et intus
Palleat infelix, quod proxima nesciat uxor? —
Saepe oculos, memini, tangebam parvus olivo,
Grandia si nollem morituri verba Catonis
Discere, non sano multum laudanda magistro,
Quae pater adductis sudans audiret amicis.
Iure: etenim id summum, quid dexter senio ferret,

29. *Censoremque*] TRVA. — *Censoremve* ESM. Ib. — *tuum quod tu trab.* E. — *tuum cum tu trab. salutes* RM. (sed M.: *salutas.*) 30. — *faleras* RS. 31. — *mores* V. Ib. — *distincti* SA. Ib. — *nate* RES. — *nacte* TA. — *Naccae*, *Natae* F. 32. *vitio hic* RS. 33. — *quod* M. 34. — *Dimissus* V. Ib. — *rursum* R. 35. ∾ *scevos* T. 38. — *Virtutem ut videant* FA. 40. *Et magis*] Omnes mei. — *Aut magis* Unus Ach. 41. — *unus* RE. In R. superscr. *imus.* 42. — *quasi sibi* V. 44. *tangebam*] Omnes mei. — *tingebam* Foq. in contextu. 46. *Discere*] Omnes mei. Ib. *non sano*] E. — *ab insano* TRA. — *et insano* VSM. 48. — *etenim summum* T. — *etenim id summo* REAM. Ib. — *qui dexter* T. — *quo d.* V. — *quod d.* M.

29. *Censoremne* de Casaub. coni. r. 34. *non rursus* r. 38. *Virtutem ut videant* p. 40. *Aut magis* rp. 46. *Dicere* r. Ib. *ab insano* p.

sionis a genealogo in stemmate numeratus obtineas? vel in equitum Romanorum recognitione trabeatus censorem donis militaribus insignis salutes? (sic Reiz. — *salutas* Pith.) Cognitio enim equitum Romanorum censoribus erat subiecta, quae nunc consulum est officii.

37. *Ferventi tincta veneno*] Metaphora a lana, quae corrupta ad pristinum colorem reverti non potest. 45. Merito, inquit, mihi lippitudinem arcessebam, ne Catonis deliberativam orationem recitarem, utrum moriatur, an non, aut quibus verbis uti potuit, quom se destinaret interficere. (Vetus interpres: „Oculi oleo tacti perturbantur ad tempus." Casaub. in Comment.) 48. *Senio*, maior missus: ut *canis*, minor. Merito, (sic Cas. Reiz. — *ut Scaeva* [in var. lectt.: *Scaena*: Al. *Sena*] *immerito* Pith.) inquit, flebam istos, (sic Reiz. — *istas* Pith. — *ista* Cas.) quom semper luderem.

Scire erat in voto; damnosa canicula quantum
Raderet; angustae collo non fallier orcae;
Neu quis callidior buxum torquere flagello. —
Haud tibi inexpertum curvos deprendere mores,
Quaeque docet sapiens braccatis illita Medis
Porticus; insomnis quibus et detonsa iuventus
Invigilat, siliquis et grandi pasta polenta.
Et tibi, quae Samios diduxit litera ramos,
Surgentem dextro monstravit limite callem.
Stertis adhuc? laxumque caput compage soluta
Oscitat hesternum, dissutis undique malis?
Est aliquid quo tendis et in quod dirigis arcum?
An passim sequeris corvos testaque lutoque,
Securus quo pes ferat, atque ex tempore vivis?
Helleborum frustra, quom iam cutis aegra tumebit,
Poscentes videas. Venienti occurrite morbo.
Ecquid opus Cratero magnos promittere montes?
Discite, o miseri, et causas cognoscite rerum,
Quid sumus et quidnam victuri gignimur? ordo
Quis datus aut metae qua mollis flexus et unde?
Quis modus argento? quid fas optare? quid asper
Utile nummus habet? patriae carisque propinquis
Quantum elargiri deceat? quem te deus esse
Iussit et humana qua parte locatus es in re,
Disce neque invideas, quod multa fidelia putet

50. — *Redderet* V. 51. — *Nec quis* E. 52. = *Haut* V. Ib. *deprendere*] RVA. — *deprehendere* TEM. — *reprehendere* S. 54. — *est* (sic) *detunsa* R. — *quibus indetonsa* T. — *quibus et indetonsa* SM. 56. *diduxit*] Codd. Havn. — *deduxit* Omnes mei. 57. — *monstratum* F. Ib. — *collem* V. 58. — *lapsumque* SM. 60. — *Estne aliquid* A. — *in quo* Omnes mei. 61. — *sequeris passim* A. 65. — *tumescit* R. — *tumebat* V. Ib. *Ecquid*] Sic scripsi. — *Et quid* Codd. Edd. 66. *Discite, o miseri*] Codd. mei et M. (T. sic: *Discite o m. causas.*) — *Discite et o miseri causas* A. — *Disciteque o m. caus.* Foquel. 67. — *et quidnam*] V. — *aut quidnam* TRESAM. Ib. — *victuri nascimur* A. 68. — *datur* RSM. Ib. — *et metae* T. Ib. — *qua*] F. Codd. aliq. Plum. — *quam* Omnes mei. Ib. — *mobilis* M. — *fluxus* FA. (*et unde* Omnes mei.) 71. — *largiri* TA. — *elargire debeat* M. 73. — *nec inv.* RV. Ib. — *putret* M.

---

52. *inexpertum est* p. 56. *deduxit* probat w. in Annot. 58. *lussumque* p. 65. *Et quid* rpPwW. 66. *Discite, io miseri, et c.* r. — *Discite et, o miseri, c.* p. 68. *quam mollis* rpwW. Ib. *ut unde?* r. 73. — *nec* pP.

In locuplete penu, defensis pinguibus Umbris,
Et piper et pernae, Marsi monumenta clientis,
Maenaque quod prima nondum defecerit orca. —
Hîc aliquis de gente hircosa centurionum
Dicat: „Quod satis est, sapio mihi; non ego curo
Esse quod Arcesilas aerumnosique Solones,
Obstipo capite et figentes lumine terram,
Murmura quom secum et rabiosa silentia rodunt
Atque exporrecto trutinantur verba labello,
Aegroti veteris meditantes somnia: gigni
De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.
Hoc est, quod palles? cur quis non prandeat, hoc est?" —
His populus ridet multumque torosa iuventus
Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos. —
„Inspice: nescio quid trepidat mihi pectus et aegris
Faucibus exsuperat gravis halitus; inspice sodes!"
Qui dicit medico, iussus requiescere, postquam
Tertia compositas vidit nox currere venas,
De maiore domo modice sitiente lagena
Lenia loturo sibi Surrentina rogavit.
Heus bone, tu palles. — „Nihil est." — Videas tamen istud,
Quicquid id est; surgit tacite tibi lutea pellis. —
„At tu deterius palles: ne sis mihi tutor;
Iampridem hunc sepeli; tu restas." — Perge, tacebo. —
Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur,
Gutture sulfureas lente exhalante mephites:

75. = *monimenta* RVEAM. 76. — *Menaque* TRESAM. — Vv. 75. et 76. invertit M. 78. *Quod satis est, sapio mihi*] Omnes mei. — *quod sapio, satis est mihi* Alii. 80. — *Obstito* F. Ib. — *capite figentes* RS. 81. — *quom* h. l. habet A. — *cum* vel *quum* Cett. Ib. — *labiosa* F. 84. — *nihilum in nichilum* V. 85. — *cur palles* R. 86. — *Hos* F. Norimb. — *Hoc* Foquel. in contextu. 89. *exsuperat*] T. — *exuberat* VESAM. — *exsub'at* R. 90. — *Qui iussit* S. 93. — *lauturo* V. Ib. — *rogavit*] TVE. — *rogabit* R. — *rogarit* SM. 94. — *cur palles* F. 95 — *tacite surgit tibi* TA. 97. — *sepelivi: restas* F.

---

75. *monimenta* p. 78. *quod sapio, satis est mihi* p. 84. *nihilum in* P. 89. *exuberat* p. — *exsudat* (Murmellius.) wW. 92. *domu* P. 93. *rogarit* p.

---

89. *Sodes*, antiquae affectationis est: adeo ut soluto eo quidam usi sint, ut Plautus, qui per solutionem sic ait: (Aul. 2, 1. 47.) *Dic mihi, si audes, quae est, quam ducere vis uxorem?*

Sed tremor inter vina subit calidumque trientem
Excutit e manibus; dentes crepuere retecti;
Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris. —
Hinc tuba, candelae tandemque beatulus alto
Compositus lecto crassisque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit; at illum
Hesterni capite induto subiere Quirites.
„Tange, miser, venas et pone in pectore dextram." —
Nil calet hic. — „Summosque pedes attinge manusque." —
„Non frigent." — Visa est si forte pecunia sive
Candida vicini subrisit molle puella,
Cor tibi rite salit? — Positum est algente catino
Durum olus et populi cribro decussa farina.
Tentemus fauces. Tenero latet ulcus in ore
Putre, quod haud deceat plebeia radere beta.
Alges, quom excussit membris timor albus aristas:
Nunc face supposita fervescit sanguis et ira
Scintillant oculi, dicisque facisque, quod ipse
Non sani esse hominis non sanus iuret Orestes.

100. *trientem*] Omnes mei. — *triental* Cod. Pulean. 101. — *ex man.* E. 102. — *laxis tum* T. — *laxis hinc* F. 103. — *Nunc tuba* A. 104. = *Compostus* F. Ib. — *lavatus* V. — *locatus* R. 105. — *rigidas* V. Ib. — *ostendit* S. 106. — *inducto* R. — *induto capite* M. 107. — *venas compone* R. 108. — *attende* V. 109. — *Num fr.* V. 110. — *surrisit* V. 111. — *Positum ex alg.* V. Ib. *catino* Omnes mei. 112. — *holus* R. Ib. — *ex populi* V. Ib. *decussa* Omnes mei. 113. = *Temptemus* RVESAM. 114. = *haut* VS. 116. — *Non face* R. In marg. „Al. *nunc.*" — *Tunc face* V.

---

100. *triental* r. 106. *capite obducti* (C4d. Havnn.) P. — 111. *camino* r. 112. *discussa* (Cod. Havn. sextus.) p. 115. *tremor* r.

---

103. *Tandemque beatulus*] Ambitionem irridet, non quia μάκαρες et μακάριοι dicuntur mortui; non est enim Romanae consuetudinis: sed quia pretiosa in funeribus veste stragula, ceterique etiam pauperculi exponebantur. *Beatulus* autem, qui nunquam splendidiore habitu fuit aut certe, quia Romanae consuetudinis fuit simpliciter sepelire. 106. *Hesterni*, ait, a defuncto pridie manumissi, id est, liberti et cives Romani facti. *Capite induto*, quia manumissi ante manumissoris corpus pileati incedebant. 112. *Populi cribro decussa farina*] Farinam, panem non deliciosius cribro decussum (sic Reiz. — *discussum* Pith. Cas.), sed plebeium, de populi annona, id est, fiscalem dicit.

SATIRA QUARTA.

„Rem populi tractas?" — barbatum hoc crede magistrum
Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutae: —
„Quo fretus? dic, o magni pupille Pericli!
Scilicet ingenium et rerum prudentia velox
Ante pilos venit, dicenda tacendaque calles.
Ergo ubi commota fervet plebecula bile,
Fert animus calidae fecisse silentia turbae
Maiestate manus. Quid deinde loquere?" — „Quirites,
Hoc, puta, non iustum est; illud male, rectius illud." —
Scis etenim iustum gemina suspendere lance
Ancipitis librae: rectum discernis, ubi inter
Curva subit vel quom fallit pede regula varo:
Et potis es nigrum vitio praefigere theta. —
Quin tu igitur summa nequidquam pelle decorus
Ante diem blando caudam iactare popello
Desinis, Anticyras melior sorbere meracas. —
Quae tibi summa boni est? uncta vixisse patella
Semper et assiduo curata cuticula sole? —
Exspecta; haud aliud respondeat haec anus. — I nunc! —
„Dinomaches ego sum." — Suffla. — „Sum candidus." — Esto.

SATIRA. IV. 1. — *haec crede* VS. — *barbatum crede* M. 2. — *quem tollit* V. 3. *dic, o*] R. — *dic hoc magni* TEVSAM. 9. *puta*] Codd. aliq. et Prisc. p. 1006. Putsch. — *puto* TRVESAM. Ib. — *est: vivo male* R. Ib. — *istud* RSA. 11. — *decernis* M. Post v. 13. hunc inculcat M.: *O multum ante alias infelix litera theta.* 15. — *pando* R. in marg. *blando.*

SATIRA. IV. 1. *haec crede* r. 3. *dic hoc* r. 9. *puto* rpP. Ib. *rectius istud* pP.

SATIRA IV. 10. *Scis etenim iustum*] Re vera scis iustitiam in lance pensare, et ipsius lancis dubiae rectitudinem calles discernere et curvam regulam momentare, ubi inter curva subit, donec in liquido stet sententia. Regulam dicit ipsum momentariae (sic Reiz. — *momentaneae* Pith. Cas.) stilum. 13. *Nigrum praefigere Theta*] Iudices literam Theta apponunt ad eorum nomina, quos supplicio afficiunt. Merito. Θῆτα ἀπὸ τοῦ θανάτου, eo quod quasi habeat telum suum; ideoque triste intelligitur: vel mortis signum, unde quidam ait: *O multum ante alias infelix litera Theta!* 18. *Curata cuticula sole*] Curata scilicet a chromatiariis. Nam chromatiarii dicuntur colorarii, vel qui toto die in arena sunt vel in sole. Antiqui enim ungebant se et in sole erant, ut oleum corpus imbiberet: ut Iuvenalis (11, 203.). *Nostra bibat vernum contracta cuticula solem Effugiatque togam.*

Dum ne deterius sapiat pannucea Baucis,
Quom bene discincto cantaverit ocyma vernae.
Ut nemo in sese tentat descendere, nemo!
Sed praecedenti spectatur mantica tergo.
Quaesieris: „Nostin Vectidi praedia?" — „Cuius?" —
Dives arat Curibus, quantum non milvus oberret. —
„Hunc ais? hunc dis iratis genioque sinistro,
Qui quandoque iugum pertusa ad compita figit,
Seriolae veterem metuens deradere limum
Ingemit, „Hoc bene sit!" tunicatum cum sale mordens
Caepe et, farrata pueris plaudentibus olla,
Pannosam faecem morientis sorbet aceti." —
At si unctus cesses et figas in cute solem,
Est prope te ignotus, cubito qui tangat et acre
Despuat in mores, penemque arcanaque lumbi
Runcantem populo marcentes pandere vulvas.
„Tu, quom maxillis balanatum gausape pectas,
Inguinibus quare detonsus gurgulio exstat?
Quinque palaestritae licet haec plantaria vellant
Elixasque nates labefactent forcipe adunca,
Non tamen ista filix ullo mansuescit aratro."
Caedimus inque vicem praebemus crura sagittis:
Vivitur hoc pacto: sic novimus. — Ilia subter

21. — *Dum non* superscr. *ne* R. Ib. — *pannuchea* EM. — *pannucia* Ceteri mei. 22. — *distincto* AM. Ib. — *ocima* VEA. — *ozima* TRSM. — *ozyma* F. Ib. — *verno* V. 23. = *temptat* RESAM. 25. *Vectidi*] TAM. — *vetidi* RS. — *vectidis* V. — *vetidis* E. — *Ventidi* Plautius. 26 *oberret*] RVM. — *oberrat* TESA. 29. — *Veteris metuens* REM. — *metuens veteris* TA. — *veter* (spatium) *metuens* S. Ib. — *eradere* E. 31. — *Cepe* TRSAM. Ib. — *farratam - - ollam* Omnes mei. 33. — *Ac si* T. 35. — *despuit* M. 36. — *populi* E. 37. — *Tunc quom max.* RVSE. Ib. — *pectis* S. 38. — *quorum* R. superscr. *quare*. Ib. — *curgulio* T. — *curculio* A. — *gurrilio* R. 40. — *labefactant* A.

---

21. *pannucia* pwPW. 22. *ocima* rpP. 29. *veteris* P. 37. *quum in maxillis* p.

---

26. *Quantum non milvus oberret*] Secundum proverbium, *Quantum milvi volant*. 28. *Compita* sunt loca in quadriviis, quasi turres, ubi sacrificia, finita agricultura, rustici celebrabant. Merito *pertusa*, quia per omnes quattuor partes pateant, vel vetusta. Vel, compita non solum sunt in urbe loca, sed etiam viae publicae ac diverticula aliquorum confinium, ubi aediculae consecrantur patentes. In his iuga fracta ab agricolis ponuntur, emeriti et elaborati operis indicium.

Caecum volnus habes; sed lato balteus auro
Praetegit. — Ut mavis, da verba et decipe nervos,
Si potes. — „Egregium quom me vicinia dicat,
Non credam?" — Viso si palles, improbe, nummo;
Si facis, in penem quidquid tibi venit amarum,
Si puteal multa cautus vibice flagellas,
Nequidquam populo bibulas donaveris aures.
Respue, quod non es: tollat sua munera cerdo;
Tecum habita: noris, quam sit tibi curta supellex.

SATIRA QUINTA.

Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces,
Centum ora et linguas optare in carmina centum:
Fabula seu maesto ponatur hianda tragoedo,
Volnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum. —
„Quorsum haec? aut quantas robusti carminis offas
Ingeris, ut par sit centeno gutture niti?
Grande locuturi nebulas Helicone legunto,
Si quibus aut Procnes aut si quibus olla Thyestae
Fervebit, saepe insulso coenanda Glyconi.
Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino,
Folle premis ventos: nec clauso murmure raucus
Nescio quid tecum grave cornicaris inepte,
Nec stloppo tumidas intendis rumpere buccas.

44. — *baltheus* RE. 45, — *Protegit* TVAM. 47. — *Ne credam* RM. 49 — *cautus multa* TRSAM. 50. — *Nequaquam* V. 51. — *non est* S. 52. *habita: noris*] TRA. — *habita ut noris* VSEM.

SATIRA V. 1. — *tibi* T. 6. — *c. gurgite* F. — *c. carmine* A. 7. = *loquuturi* E. 8. — *prognes* TRESAM. 11. — *cluso* V. Ib. — *raucis* V. 13. — *stlopo* RV. — *scloppo* E. — *sclopo* TA. — *stroplo* F. — *sclo-plo* F. — *sclopho* M. — *tropho* S. Ib. — *intendas* R.

---

45. *Protegit* p. 52. *habita, et noris* r. (sicque Petrus Blesensis *Ep.* 107.)
SATIRA. V. 7. *loquuturi* P.

---

44. *Caecum volnus habes*] De gladiatoribus tractum, qui accepto volnere, inaurato balteo tegunt. 49. *Puteal*] Feneratores ad puteal Scribonii Libonis (sic Reiz. — *Scribonis Licinii* Pith. Cas. In var. lectt.: „Al. Libonis.") quod est in porticu Iulia ad Fabianum arcum, consistere solebant.

SATIRA V. 9. *Coenanda Glyconi*] Glycon tragoedus populo mire placuit, et ideo a Nerone manumissus est, datis Virgilio tragoedo, domino eius, pro parte dimidia, quam possidebat, sestertiorum trecentis („Al. *sexcentis*." Pith.) millibus. Hic fuit staturae longae, fusci corporis, labio inferiori demisso: antequam subornaretur, deformis: nescius iocari, propter quod eum insulsum Persius dixit.

Verba togae sequeris, iunctura callidus acri,
Ore teres modico, pallentes radere mores
Doctus et ingenuo culpam defigere ludo.
Hinc trahe, quae dicas: mensasque relinque Mycenis
Cum capite et pedibus, plebeiaque prandia noris." —
Non equidem hoc studeo, bullatis ut mihi nugis
Pagina turgescat dare pondus idonea fumo;
Secreti loquimur. Tibi nunc, hortante Camena,
Excutienda damus praecordia; quantaque nostrae
Pars tua sit, Cornute, animae, tibi, dulcis amice,
Ostendisse iuvat. Pulsa, dignoscere cautus
Quid solidum crepet et pictae tectoria linguae.
Hîc ego centenas ausim deposcere voces,
Ut, quantum mihi te sinuoso in pectore fixi,
Voce traham pura totumque hoc verba resignent,
Quod latet arcana non enarrabile fibra. —
Quom primum pavido custos mihi purpura cessit
Bullaque succinctis Laribus donata pependit;
Quom blandi comites, totaque impune Suburra
Permisit sparsisse oculos iam candidus umbo:
Quomque iter ambiguum est et vitae nescius error
Diducit trepidas ramosa in compita mentes,

15. *teres*] Cod. unus Achaintrii. — *teris* Omnes mei. 17. — *dices* V. (*mensasque* Omnes mei.) 19. — *hic studeo* TA. Ib. *bullatis*] TVSAM. — *pullatis* RE. „sicque Cornutus." F. 21. — *Secrete* R. 24. *dinoscere* ESA. — *disnoscere* R. 25. *tectoria*] TSAM. — *plectoria* RVE. 26. *Hic*] TRV. — *His* ES. — *Hac* A. 28. *hoc verba*] VE. — *haec v.* TRSAM. Ib. — *resignet* S. 32. = *Subura* ESM. — *subira* V. — *sub umbra* R. 33. — *Permittit* TA. 34. — *ambiguum et* T. Ib. — *horror* F. 35. *Diducit*] E. *deducit* TRVSAM.

---

15. *teris* P. 17. *mensamque* r. 20. *pullatis* P. 26. *His* rwPW. 32. *Subura* P.

---

14. *Verba togae sequeris*] Toga est purum pallium, forma rotunda, et fusiore atque inundante sinu; et sub dextro veniens, super humerum sinistrum ponitur: cuius similitudinem in operimentis simulacrorum vel picturarum aspicimus, easque statuas togatas vocamus. Toga vero Romani in pace utebantur, in bello paludamentis. Mensura togae iustae senas ulnas habebat. 22. *Quantaque nostrae Pars tua sit, Cornute, animae*] Sententia a Pythagora tracta, dimidiam animae suae partem dicit Cornutum, ut Horatius (C. 1, 3, 8.) Virgilium: *Et serves animae dimidium meae.* 31. *Succinctis Laribus*] Quia Gabino habitu cinctuque dii penates formabantur, obvoluti toga super humerum sinistrum, dextro nudo. 33. *Candidus umbo*] συνεκδοχικῶς pro toga. Alioquin et in praetexta candidus umbo est.

Me tibi supposui. Teneros tu suscipis annos
Socratico, Cornute, sinu. Tunc fallere sollers
Apposita intortos extendit regula mores
Et premitur ratione animus vincique laborat
Artificemque tuo ducit sub pollice voltum.
Tecum etenim longos memini consumere soles
Et tecum primas epulis decerpere noctes.
Unum opus et requiem pariter disponimus ambo
Atque verecunda laxamus seria mensa.
Non equidem hoc dubites, amborum foedere certo
Consentire dies et ab uno sidere duci.
Nostra vel aequali suspendit tempora Libra
Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora
Dividit in Geminos concordia fata duorum
Saturnumque gravem nostro Iove frangimus una:
Nescio quod, certe est, quod me tibi temperat, astrum.
Mille hominum species et rerum discolor usus:
Velle suum cuique est nec voto vivitur uno.
Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti
Rugosum piper et pallentis grana cumini.
Hic satur irriguo mavolt turgescere somno:
Hic campo indulget: hunc alea decoquit: ille
In Venerem est putris: sed quom lapidosa chiragra
Fregerit articulos, veteris ramalia fagi,
Tunc crassos transisse dies lucemque palustrem,

36. — *tum s.* S. — *cum s.* M. Ib. — *suspicis* T. 37. — *tum f.* EAM. 38. *extendit* Omnes mei. 42. — *destertere* F. 45. — *haec dub.* TM. — *equidem dubites* R. 51. *Nescio quod*] VE. — *N. quid* TRSAM. Ib. — *temperet* RSM. 55. — *cymini* T. et Margo S. — *cimini* VA. 57. — *dequoquit* R. 58. *In Venerem est putris: sed*] ESA. — *in Venerem putris: sed* M. — *In ventrem* (sic) *putris est: sed* TRV. 59. — *r. frugi* R. 60. *transire* superscr. *ss.* R. — *traxisse* T.

---

38. *ostendit* r. 51. *Nescio, quid? certe* pP. 58. *In venerem putris* wW. Ib. *cheragra* rW.

---

47. *Nostra vel aequali*] Hoc secundum astrologos dicit. Et hic sensus tractus est ab Horatio: (C. 2, 17. 17.) *Seu Libra seu me Scorpius aspicit.* 52. *Mille hominum species*] Et Horatius: (S. 2, 127.) *Quot capitum vivunt, totidem studiorum Millia.* Et Terentius: (Ph. 2, 4. 14.) *Quot capita, tot sententiae.* 53. *Velle suum cuique est*] Et Virgilius: (Ecl. 2, 65.) *trahit sua quemque voluptas.* 54. *Sub sole recenti*] Est hic sensus ab Horatio tractus: (S. 1, 4. 29.) *Hic mutat merces surgente a sole.*

Et sibi iam seri vitam ingemuere relictam. —
At te nocturnis iuvat impallescere chartis:
Cultor enim iuvenum purgatas inseris aures
Fruge Cleanthea. Petite hinc, iuvenesque senesque,
Finem animo certum miserisque viatica canis. —
„Cras hoc fiet." — Idem cras fiet. — „Quid? quasi magnum,
Nempe diem donas." — Sed quom lux altera venit,
Iam cras hesternum consumpsimus. Ecce aliud cras
Egerit hos annos et semper paullum erit ultra.
Nam quamvis prope te, quamvis temone sub uno
Vertentem sese frustra sectabere canthum,
Quom rota posterior curras et in axe secundo. —
Libertate opus est, non hac, qua, ut quisque Velina
Publius emeruit, scabiosum tesserula far
Possidet. Heu steriles veri, quibus una Quiritem
Vertigo facit! Hic Dama est non tressis agaso,
Vappa et lippus et in tenui farragine mendax:
Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama. — Papae! — Marco spondente, recusas
Credere tu nummos? — Marco sub iudice palles.
Marcus dixit. — Ita est. — Adsigna, Marce, tabellas. —
Haec mera libertas; hoc nobis pilea donant.

61. — *iam sero* A. — *iam fieri* V. 63. Nullus meorum: *es iuvenum.* 64. — *cloantea* SAM. Ib. — *hinc puerique* R. — *hunc puerique* A. 67. — *quom* h. l. A. 69. — *Egerit hoc* V. 70. — *quamquam -- quamquam* SM. 71. *canthum*] RE. — *cantum* TVSAM. 72. *Quom* h. l. A. 73. Sic Codd. aliq. Foquel. — *non hac, ut quisque* TVSEM. — *non hac quam quisque* R. superscr. *ut* vocabulo *quam*. — *non hac qua quisque* A. — *non hac quam, ut quisque* Codd. aliq. 75. — *Possedit* V. Ib. — *Quirites* SM. 76. — *est ut tr.* R. 77. — *Vappa lippus* RVSM. 78. — *hinc* A. Ib. — *mom. temporis* TREA. (R. in marg. *turbinis.*) 81. — *dicit* A. Ib. — *Obsigna* F. 82. *hoc nobis pilea donant*] VE. — *hanc nobis pilea donant* SM. Foquel. in contextu. — *haec nobis pilea donat* TRA.

---

63. *es iuvenum* P. 75 *non hac, quam ut quisque* rp. — *non hac, ut quisque* wW. — *non hac, qua quisque* P. 82. *hanc nobis* p.

---

73. *Velina* tribus numero aliarum tribuum accessit; et qui circa Velinum lacum habitabant, Romam translati sunt. Romae autem erat consuetudo, ut qui ex manumissione cives Romani efficiebantur, in numero civium Romanorum frumentum publicum acciperent. 75. *Quibus una Quiritem*] Quos manumittebant, eas alapa percussos circumagebant et liberos confirmabant. Unde manumissio dicta, quod manu mitteretur. *Quiritem* autem singulariter abusive dixit, licentia poëtica. Nam sicut pater conscriptus non dicitur; ita nec Quiritem dicere possumus.

„An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
Cui licet, ut voluit? Licet, ut volo, vivere: non sum
Liberior Bruto? — „Mendose colligis", inquit
Stoicus hic, aurem mordaci lotus aceto:
„Hoc — reliqua accipio — licet, ut volo, vivere, tolle." —
„Vindicta postquam meus a praetore recessi,
Cur mihi non liceat, iussit quodcunque voluntas,
Excepto, si quid Masuri rubrica vetavit?" —
„Disce! sed ira cadat naso rugosaque sanna,
Dum veteres avias tibi de pulmone revello.
Non praetoris erat stultis dare tenvia rerum
Officia atque usum rapidae permittere vitae:
Sambucam citius caloni aptaveris alto.
Stat contra ratio et secretam gannit in aurem,
Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.
Publica lex hominum naturaque continet hoc fas,
Ut teneat vetitos inscitia debilis actus.
Diluis helleborum, certo compescere puncto
Nescius examen. Vetat hoc natura medendi. —
Navim si poscat sibi peronatus arator
Luciferi rudis, exclamet Melicerta perisse
Frontem de rebus. — Tibi recto vivere talo
Ars dedit? et veri speciem dignoscere calles,

84. — *licet ut libuit* REM. Ib. *sum*] Omnes mei. 87. *Hoc*, *reliqua*] Codd. aliq. — *Haec reliqua accipio* Omnes mei. Ib. *licet ut volo vivere tolle*] C3d. Achaintrii. — *licet illud et ut volo tolle* TRVESAM. sed RM.: *istud.* 89. — *quodconque* R. 90. — *vacavit* V. — *notavit* F. 93. — *dare stultis* EA. 94. — *committere* SM. 95. — *ratio secretam* RM. Ib. — *garrit* EM. 97. — *vitiavit* VE. 98. — *Publica vis* R. 100. — *Deluis* R. Ib. — *componere p.* RA. 102. *Navim*] TVA. = *Navem* RESM. Ib. — *sic pascat* V. Ib. — *per ornatus* divise T. — *pedenatus* R. 103. — *exclamat* TRSM. — *exclamit* V. 104. — *viv. calle* M. 105. — *speciem veri* VEA. Ib. — *dinoscere* RESM. Ib. — *callis* R.

---

84. *non sim* rpP. 87. *Hoc reliquum accipio:* licet *illud et* ut volo *tolle* r. — *Hoc (reliquum accipio) licet, ut volo, vivere tolle* p. — *Haec reliqua accipio: licet, ut volo, vivere tolle* wW. 90. *notavit* P. cum C2d. Havn. 102. *Navem* rwPw.

---

88. *Vindicta* virga est, qua manumittendi a praetore in capite pulsantur: ideo dicta, quod eum vindicat libertati. 90. Masurius autem hic Sabinus legis consultus fuit. *Rubricas* vocat minium, quo tituli legum annotabantur. 100. *Certo compescere puncto*] Non ad trutinam, sed ad stateram retulit, quae punctis et unciis signatur. 104. *Frontem de rebus*] Pudorem. Templum enim pudoris est frons.

Ne qua subaerato mendosum tinniat auro?
Quaeque sequenda forent quaeque evitanda vicissim,
Illa prius creta, mox haec carbone notasti?
Es modicus voti, presso lare, dulcis amicis?
Iam nunc adstringas, iam uunc granaria laxes,
Inque luto fixum possis transcendere nummum
Nec glutto sorbere salivam Mercurialem?
„Haec mea sunt, teneo:" quom vere dixeris, esto
Liberque ac sapiens, praetoribus ac Iove dextro.
Sin tu, quom fueris nostrae paullo ante farinae,
Pelliculam veterem retines et fronte politus
Astutam vapido servas sub pectore volpem,
Quae dederam supra, repeto funemque reduco.
Nil tibi concessit ratio: digitum exsere, peccas;
Et quid tam parvum est? Sed nullo thure litabis,
Haereat in stultis brevis ut semuncia recti.
Haec miscere nefas; nec, quom sis cetera fossor,
Tres tantum ad numeros Satyri moveare Bathylli. —
„Liber ego." — Unde datum hoc sumis, tot subdite rebus?
An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat?
„I, puer, et strigiles Crispini ad balnea defer!" —
Si increpuit: „Cessas nugator?" servitium acre
Te nihil impellit: nec quidquam extrinsecus intrat,
Quod nervos agitet. Sed si intus et in iecore aegro

106. — *sub aerato* RESA. Ib. — *timeat* „al. *tumeat*" S. 107. — *et quae vitanda* RSM. — *quoniam evitanda* T. 110. *adstringas - - laxes*] RVE. — *adstringis - - laxas* TSAM. 111. — *posses* SM. 112. *glutto*] E. — *gluto* Ceteri. 113. *quom* h. l. A. 114. — *Liber et ac* SM. Ib. — *et Iove* R. 115. — *Scin* T. 116. — *veterem retinens* VE. — *retines veterem* SM. Ib. — *fr. piluta* R. 117. — *valido* R. Ib. — *servans* V. — *portas sub* T. — *in pect.* E. superscr. *sub.* Ib. *volpem*] S. — *vulpem* Cett. 119. *Nil*] Omnes mei. — *Ni* Lipsius. 120. — *quod* M. Ib. *iure* VA. 121. — *semiuntia* AM. 122. — *Hoc* T. Ib. — *nec tu cum cetera* M. 123. — *Tres tamen* S. Ib. *satyri*] TRA. — *satiri* SEM. — *satin* V. 124. — *hoc sentis* RAM. — *hic sentis* E. 127. — *Sin renuis: Cessas* F. 128. — *ne* V. Ib. — *intrinsecus* R. 129. — *Quod numeros* R. Ib. — *post si* E. superscr. *sed.*

---

107. *et quae vitanda* r. 112. *gluto* pwW. 123. *satiri* w.

---

112. *Mercurialem*] Ideo dixit, quia ipsum deum lucri dicunt. Unde et cum saccello pingitur et a negotiatoribus plurimum colitur. 119. *Digitum exsere*] Digito sublato ostende, victum te esse a vitiis. Tractum a gladiatoribus, qui victi ostensione digiti veniam a populo postulabant. 123. Bathyllus pantomimus fuit, Maecenatis libertus.

Nascuntur domini, quî tu impunitior exis
Atque hic, quem ad strigiles scutica et metus egit herilis? —
Mane piger stertis: „Surge," inquit Avaritia: „eia
Surge." Negas, instat; „Surge" inquit. „Non queo." —
„Surge."
„Et quid agam?" „Rogitas? En, saperdam advehe Ponto,
Castoreum, stuppas, ebenum, thus, lubrica Coa;
Tolle recens primus piper e sitiente camelo;
Verte aliquid; iura." — „Sed Iuppiter audiet." — „Eheu!
Baro, regustatum digito terebrare salinum
Contentus perages, si vivere cum Iove tendis." —
Iam pueris pellem succinctus et oenophorum aptas:
„Ocius ad navim!" Nihil obstat, quin trabe vasta
Aegaeum rapias, nisi sollers Luxuria ante
Seductum moneat: „Quo deinde, insane, ruis? quo?
Quid tibi vis? calido sub pectore mascula bilis
Intumuit, quam non exstinxerit urna cicutae.
Tun mare transsilias? tibi torta cannabe fulto
Coena sit in transtro? Veientanumque rubellum
Exhalet vapida laesum pice sessilis obba?

130. *Nascuntur*] Omnes mei. Ib. *qui tu*] TSA. — *qui cum* RM. — *quin tu* VE. 131. — *heriles* R. 132. — *Magne puer stertis. surge inquit. nequeo. surge. En quid* R. (contractis vv. 132. et 133.) 134. *Et quid*] VE. — *En quid* TRSAM. — *agam? en rogitas en sarpedam* (sic) SM. Ib. *En saperdam*] T(S)A. — *en saperda* E. — *rogitans ensa perdas* V. — *rogitas an saperdam* R. 135. — *stupas* TRSAM. — *stipulas* V. Ib. — *choa* SAM. — *chea* R. 136. — *et sit.* TRSAM. 137. — *audiat* E. Ib. — *heuheu* T. 138. — *Varo* VEA. — *Varro* T. 139. *Contemptus* TRSM. Ib. *peragas* R. Ib. — *si cum Iove vivere* R. 140. — *puer is* TM. Ib. — *aptus* V. 141. = *navem* EA. Ib. — *nil* A. Ib. — *obstet* V. 143. — *moveat* TREA. 144. — *caldo* E. — *calido sub pelle* SM. 145. — *exstingueret* TA. 146. — *Cum mare* R. Ib. — *transilies* T. Ib. — *fulta* R. 147. — *fit* R. Ib. — *vegentunumque* TE. — *vegentenumque* R. — *vegetanumque* SAM. 148. — *fessilis* (sic) V. Ib. — *obla* S.

---

130. *Nascantur* rpP. Ib. *quin tu* wpPW. 134. *En quid* wW. Ib. *rogitas? saperdas* C1d. Achaintrii. rpW. 137. *Heu! heu!* PW. 141. *navem* rpP. 148. *fissilis* r. cum Codd. aliq.

---

137. *Verte aliquid*] Negotiare, et speciem pro specie commuta. 138. *Baro*] Lingua Gallorum barones vel varones dicuntur servi militum, qui utique stultissimi sunt, servi videlicet stultorum. 140. *Oenophorum*, vas vinum gerens: οἶνος enim vinum est, de quo est illud: *Vertitur oenophoris fundus, sententia nobis.* 145. Cicuta calorem in nobis frigoris sui vi exstinguit. Unde sacerdotes Cereris Eleusiniae liquore eius ungebantur, ut a concubitu abstinerent.

Quid petis, ut nummi, quos hîc quincunce modesto
Nutrieras, pergant avidos sudare deunces?
Indulge Genio, carpamus dulcia: nostrum est
Quod vivis: cinis et manes et fabula fies.
Vive memor leti, fugit hora: hoc, quod loquor, inde est." —
En quid agis? duplici in diversum scinderis hamo;
Huncine, an hunc sequeris? subeas alternus oportet
Ancipiti obsequio dominos, alternus oberres.
Nec tu, quom obstiteris semel instantique negaris
Parere imperio, „Rupi iam vincula," dicas.
Nam et luctata canis nodum abripit: attamen illi,
Quom fugit, a collo trahitur pars longa catenae. —
„Dave, cito, hoc credas iubeo, finire dolores
Praeteritos meditor." (Crudum Chaerestratus unguem
Abrodens ait haec.) „An siccis dedecus obstem
Cognatis? an rem patriam rumore sinistro
Limen ad obscoenum frangam, dum Chrysidis udas
Ebrius ante fores exstincta cum face canto?" —
„Euge, puer, sapias: Dis depellentibus agnam
Percute." — „Sed censen plorabit, Dave, relicta?" —
„Nugaris. Solea, puer, obiurgabere rubra.
Ne trepidare velis atque artos rodere casses:
Nunc ferus et violens; at si vocet, haud mora, dicas:

149. — *modesta* R. 150. — *peragant* TRESAM. — *avidos peragant* R. Ib. — *sudore* REM. — *avido sudore* S. 151. — *nostrum* om. *est*. R. 153. — *hora: quid* (sic) M. 156. — *oberras* T. 158. — *rumpi* RS. 159. — *Nam eluctata* SM. — *Nam luctata* E. — *Nam lucrata* T. — *Nam etiam luctata* R. Ib. — *nodum canis* T. Ib. *abripit*] E. — *arripit* T. (hic: *arripit illi*) RVA. — *rapit* SM. Ib. — *et tamen* R. superscr. *ac*. — *ast tamen* VEAM. 160. *Quom* h. l. A. Ib. — *pars magna* R. 161. — *haec* M. 163. — *Arrondens* (sic) R. Ib. — *hoc* RVS. — *hic* T. — *haec ego siccis* R. — *siccus* V. 165. — *cum crisidis* SM. 170. — *Nec* RESM. Ib. *artos*] RESM. = *arctos* TVA. 171. — *dicis* T.

---

150. *n. peragant avidos sudore* P. 159. *arripit* P. 170. *arctos* rpwP.

---

153. *Hoc quod loquor inde est*] Horatius: (C. 1, 11. 7.) *Dum loquimur, fugerit invida Aetas*. 161. *Dave, cito, hoc credas*] Hunc locum ex Menandri Eunucho traxit, in quo Davum servum Chaerestratus adolescens alloquitur, tamquam amore Chrysidis meretricis derelictus: idemque tamen, ab ea revocatus, ad illam redit. Apud Terentium personae immutatae sunt. 165. *Udas fores* dixit, quas amatores solent unguento perfundere, et ante ianuam illarum noctem vigiliis et cantu transigere.

„Quidnam igitur faciam? nec nunc, quom arcessor et ultro
Supplicat, accedam?" — „Si totus et integer illinc
Exieras, nec nunc." — Hic, hic, quem quaerimus, hic est:
Non in festuca, lictor quam iactat ineptus.
Ius habet ille sui palpo, quem ducit hiantem
Cretata ambitio? Vigila et cicer ingere large
Rixanti populo, nostra ut Floralia possint
Aprici meminisse senes. Quid pulchrius? — At quom
Herodis venere dies unctaque fenestra
Dispositae pinguem nebulam vomuere lucernae
Portantes violas rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino:
Labra moves tacitus recutitaque sabbata palles.
Tunc nigri lemures ovoque pericula rupto:
Tunc grandes Galli et cum sistro lusca sacerdos
Incussere deos inflantes corpora, si non
Praedictum ter mane caput gustaveris alli. —
Dixeris haec inter varicosos centuriones,
Continuo crassum ridet Volfenius ingens
Et centum Graecos curto centusse licetur.

172. = *accersor* TRSAM. — *accersar* V. 173. *Supplicat*] R. — *supplicet* TVESM. Ib. — *illuc* R. 174. *Exieras*] VEM. — *exieris* TRSA. Ib. — *nunc nunc* TRESAM. Ib. — *quod qu.* S. 175. — *quem* M. 177. — *et vigila* V. — *et acer ing.* T. 179. *quom* h. l. A. 181. — *Disponit et pinguem* T. — *pingues* A. 182. — *rubrum complexa* S. 183. — *rubet* R. superscr. *tumet.* — *timet* T. Ib. — *alma* E. (v. 184. post v. 185. V.) 184. — *recitataque* V. 185. *Tum* EAM. Ib. — *Tum gr.* EAM. Ib. — *Iam gr.* T. 188. — *tibi mane* T. — *est mane* V. Ib. — *gestaveris allum* V. 189. — *hoc* TRVS. 190. — *Volfennius* S. — *Vulfennius* A. — *Fulfennius* V. — *Fulvennius* E. — *Fulphenius* T. — *Fuscenius* R. Ut nos, M. 191. — *uno centusse* F.

172. *ne nunc* rP. Ib. *accersor* r. — *arcessar* P. 173. *Supplicet* pwPW. 174. *ne nunc* r. 182. *Portantes nebulas* r. 186. *Hinc grandes* r. 190. *Vulfenius* rpwPW.

177. *Vigila et cicer*] Ludis Floralibus omnia semina spargebantur in populum, ut Tellus velut muneribus suis placaretur. 180. Herodes apud Iudaeos regnavit temporibus Augusti, in partibus Syriae. Herodiani ergo diem natalem Herodis observant, ut etiam sabbata: quo die lucernas accensas et violis coronatas in fenestris ponunt. 184. *Recutitaque sabbata*] Instituta Iudaeorum significat, propter circumcisionem: quam, auctores suos secuti, faciunt. 185. *Ovoque pericula rupto*] Sacerdotes, qui explorandis periculis sacra faciebant, observare solebant ovum igni impositum, utrum in capite an in latere desudaret. Si autem raptum effluxerat, periculum ei portendebat, pro quo factum fuerat, vel rei familiari eius. 186. *Sistrum* sacerdotes Isidis portant. *Lusca* autem, ideo quod nubiles deformes, quom maritos non invenerint, ad ministeria deorum se conferant.

SATIRA SEXTA.

Admovit iam bruma foco te, Basse, Sabino?
Iamne lyra et tetrico vivunt tibi pectine chordae?
Mire opifex numeris veterum primordia vocum
Atque marem strepitum fidis intendisse Latinae,
Mox iuvenes agitare iocos et pollice honesto
Egregios lusisse senes? — Mihi nunc Ligus ora
Intepet hibernatque meum mare, qua latus ingens
Dant scopuli et multa litus se valle receptat.
„Lunai portum est operae cognoscere, cives!"
Cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse
Maeonides, Quintus pavone ex Pythagoreo.
Hic ego securus volgi et quid praeparet Auster
Infelix pecori; securus et, angulus ille
Vicini nostro quia pinguior. Etsi adeo omnes
Ditescant orti peioribus, usque recusem
Curvus ob id minui senio aut coenare sine uncto
Et signum in vapida naso tetigisse lagena. —
Discrepet his alius. Geminos, horoscope, varo
Producis genio! Solis natalibus est qui
Tingat olus siccum muria vafer in calice empta,
Ipse sacrum irrorans patinae piper. Hic bona dente

SATIRA VI. 3. *vocum*] Omnes mei. 4. — *Adque* V. 5. — *Mox iuvenis* E. Ib. — *cogitare modos* F. — *agitasse iocos* M. 6. *Egregios*] Omnes mei. 8. — *litus multa* TA. 9. *cognoscere*] S. — *cognoscite* TRVEAM. 10. — *destituit* T. — *pavus quum destitit esse* Cod. Douzanus Charisii apud Merulam *Enn.* p. 69. 11. — *et pyth.* T. 12. — *vulgi quid* R. 13. — *illis* R. 16. — *Corvus* R. Ib. — *et cenare* M. 18. — *Discrepat* M. 20. — *tinguat* M. Ib. — *holus* TVEM. Ib. — *empto* E. 21. — *Ille* M. Ib. — *piper irrorans patinae* R.

SATIRA VI. 3. *primordia rerum* r. 6. *Egregius* cum Bentleio rp. 9. *cognoscite* pP.

SATIRA VI. 1. Hanc satiram scribit Persius ad Caesium Bassum, poëtam lyricum, quem fama est, in praediis suis positum, ardente Vesuvio, monte Campaniae et late ignibus abundante, cum villa sua ustum esse. Hic ergo dum viveret, Roma ad Sabinos necessario transibat, ubi brumali tempore in calido loco carmina scribebat. 6. *Mihi nunc Ligus ora*] Se ipsum Persius significat secessisse in Liguriae fines, videlicet propter Fulviam Sisenniam matrem suam, quae post mortem prioris viri ibi nupta erat. 7. *Hibernat*] saevit, vel a navigiis vacat. Sicut enim naves hibernare dicimus, sic et mare, quom non navigatur. 9. Hunc versum ad suum carmen de Ennii carminibus transtulit.

Grandia magnanimus peragit puer. Utar ego, utar,
Nec rhombos ideo libertis ponere lautus,
Nec tenuem sollers turdarum nosse salivam.
Messe tenus propria vive: et granaria (fas est)
Emole. Quid metuas? Occa, et seges altera in herba est. —
Ast vocat officium: trabe rupta, Bruttia saxa
Prendit amicus inops remque omnem surdaque vota
Condidit Ionio: iacet ipse in litore et una
Ingentes de puppe dei iamque obvia mergis
Costa ratis lacerae. Nunc et de cespite vivo
Frange aliquid; largire inopi, ne pictus oberret
Caerulea in tabula. — Sed coenam funeris heres
Negliget iratus, quod rem curtaveris: urnae
Ossa inodora dabit, seu spirent cinnama surdum
Seu ceraso peccent casiae, nescire paratus.
„Tune bona incolumis minuas?" — Sed Bestius urget
Doctores Graios: „Ita fit, postquam sapere urbi
Cum pipere et palmis venit nostrum hoc maris expers,
Foenisecae crasso vitiarunt unguine pultes." —
Haec cinere ulterior metuas? — At tu, meus heres

23. — *rumbos* T. — *scombros* RAM. Item E., sed superscr. *rombos*. Ib. — *adeo* V. 24. — *tenues* - - *salivas* RA. Ib. *turdarum*] SV. — *turdorum* RESAM. 25. — *phas* T. 26. — *metuis* Omnes mei praeter M., qui: *metuas*. Ib. — *occa seges* T. Vincentius Bellovac. *Spec. doctr.* 5, 105. qui item *metuas*. — *occa en seges* A. (— *metuis sicca* superscr. *occa* R.) 27. — *At vocat off.* M. — *Advocat off.* F. Ib. — *brutia* TA. 28. — *Prendet* V. Ib. — *ac rem omnem* R. 29. — *in Ionio* M. Ib. — *et uda* F. 33. — *ceram in funeris* A. 34. = *Negleget* V. 35. — *inhonora* F. — *mordosa* (sic) superscr. *inodora* R. Ib. *cynuma* A. 37. *Sed*] Omnes mei praeter M., qui *et*. 39. — *hoc nostrum* V. — *nostrum hic* E. (Omnes mei *nostrum*.) 41. — *ac tu* M. — *aut tu* E.

24. *turdorum* w. 26. *metuis* pwPW. 37. *Et Bestius* rp. 39. *venit vestrum* de Bentleii coni. r.

24. *Turdarum nosse salivam*] Cognoscit turdorum sapores. Solent enim quidam gulae dediti tantae subtilitatis habere palatum, ut dignoscant turdos, an cellarius, an terrarius („Al. *vivarius*." Pith.) sit: an masculus, an femina. *Turdarum* dixit abusive, quom *turdorum* debuerat, ut Horatius (S. 1, 5. 72.) ponit: *Paene macros arsit dum turdos versat in igni.* 30. *Ingentes de puppe dei*] Navium tutelam dicit, quam in puppibus habent vel pingunt. 35. *ossa inodora*] Sine unguentis, vel *inhonora*, sepulturae honore carentia. 40. *Crasso vitiarunt unguine*] Solent rustici, quom oleum defuerit, adipe pecudum in pultem misso pro oleo uti. 55. *Bovillae* sunt vicus ad undecimum lapidem Appiae viae: quia aliquando in Albano monte ab ara fugiens taurus iam consecratus, ibi comprehensus est. Inde Bovillae dictae.

Quisquis eris, paullum a turba seductior audi:
„O bone, num ignoras? missa est a Caesare laurus
Insignem ob cladem Germanae pubis et aris
Frigidus excutitur cinis: ac iam postibus arma,
Iam chlamydes regum, iam lutea gausapa captis
Essedaque ingentesque locat Caesonia Rhenos.
Dis igitur Genioque ducis centum paria ob res
Egregie gestas induco. — Quis vetat? aude!
Vae! nisi connives! oleum artocreasque popello
Largior. An prohibes? dic clare!" „Non adeo," inquis. —
„Exossatus ager iuxta est. Age, si mihi nulla
Iam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
Nulla manet patrui, sterilis matertera vixit,
Deque avia nihilum superest, accedo Bovillas
Clivumque ad Virbi; praesto est mihi Manius heres." —
„Progenies terrae?" — „Quaere ex me, quis mihi quartus
Sit pater, haud prompte, dicam tamen. Adde etiam unum,
Unum etiam: terrae est iam filius et mihi ritu
Manius hic generis prope maior avunculus exit. —
Qui prior es, cur me in decursu lampada poscis?
Sum tibi Mercurius: venio deus huc ego, ut ille
Pingitur. An renuis? vin tu gaudere relictis?" —
„Deest aliquid summae." — „Minui mihi: sed tibi totum est,
Quidquid id est. Ubi sit, fuge quaerere, quod mihi quondam

42. — *aut turba* E. 44. — *puppis* superscr. *pubis* R. Ib. — *axis* R. superscr. *aris*. 45. — *at iam* R. 46. — *gausapa victis* RE. 47. — *ingentes locat et C.* TA. Ib. — *renes* R. 49. — *quis vocat* E. 51. *Non adeo*] TV. — *non audeo* RAM. — *haud audeo* E. 52. — *age vel mihi* M. 53. — *De reliqua* V. 54. — *matertera iuxta* V. 55. — *accede* T. 56. — *Clivumque adverbii* R. Ib. — *praesto mihi* T. 58. — *addam* E. 61. — *poscas* R. 63. — *vis* M.

51. *Non audeo* P. 61. *poscas* P.

56. *Clivumque ad Virbi*] Quattuor millibus ab urbe est Virbii clivus, qua iter est ad Ariciam et ad nemus Dianae, ubi Virbius colitur, id est, Hippolytus, quod bis in vitam prolatus sit. Nota autem apud Virgilium fabula est. (Aen. 7, 765. 777.) Ib. *Manius*] Manium dicit deformem et ignotum hominem, eo quod Maniae dicuntur indecori vultus personae, quibus pueri terrentur. 61. *Qui prior es, cur me*] Apud Athenas quom iuvenes ludos cursu celebrabant, qui victor esset, primus facem tollebat, deinde sequenti se tradebat et secundus tertio: similiter omnes, donec currentium numerus impleretur.

Legarat Stadius; neu dicta repone paterna:
„Fenoris accedat merces; hinc exime sumptus!" —
„Quid reliquom est?" — „Reliquom? nunc, nunc impensius unge,
Unge, puer, caules. Mihi festa luce coquatur
Urtica et fissa fumosum sinciput aure,
Ut tuus iste nepos olim satur anseris extis,
Quom morosa vago singultiet inguine vena,
Patriciae immeiat vulvae? mihi trama figurae
Sit reliqua, ast illi tremat omento popa venter?" —
Vende animam lucro: mercare atque excute sollers
Omne latus mundi: ne sit praestantior alter
Cappadocas rigida pingues plausisse catasta:
Rem duplica. — „Feci: iam triplex, iam mihi quarto,
Iam decies redit in rugam. Depunge, ubi sistam." —
Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi.

66. — *Staius* E. — *Legerat hic Tadius* V. — *Legarat studiis* R. Ib. — *nec dicta* R. Ib. — *oppone* F. 68. — *nunc nunc iam imp.* V. 69. — *coquetur* RVEM. 72. *singultiet*] Omnes mei. 73. — *meiat* T. 74. — *Est reliqua* F. 75. — *lucro et mercare* TA. 76. *nec sit* V. 77. — *Cappadoces* T. Ib. *plausisse*] V. — *clausisse* E. — *planxisse*; in marg. al. *clausisse* R. — *pavisse* TAM. 78. — *iam duplex* F. 79. — *in rugas* A. — *Iam redit in rugam decies* V. Ib. *depunge*] Cod. Pith. — *depinge* Omnes mei. 80. — *acervi intus* V. In fine M.: *Explicit ignotus per totum Persius orbem.*

66. *Tadius* rW. Ib. *nec dicta* r. 72. *singultiat* pP. 77. *pavisse* wW. 79. *Depinge* p.

67. *Fenoris accedat merces*] Tractum est hoc a patribus, qui dicunt filiis suis: Hoc, quod vobis lucri de fenore accessit, ad fructum, id est, ad usum vitae vobis proficiat: reliquom vero pecuniae reservate integrum. 77. *Cappadocas*] Gladiatores dicit. Nam apud antiquos venales gladiatores in catasta ponebantur, ut in eis possent omnia membra inspici. Vel quia Cappadoces dicerentur habere studium naturale ad falsa testimonia proferenda: qui nutriti in tormentis a pueritia, equuleum sibi facere dicuntur, ut in eo se invicem torqueant, et quom in poena perdurarent, ad falsa testimonia se bene venundarent. Ib. *Pavisse*] Legitur et *plausisse*: quoniam venales, antequam in catasta imponantur, cantant universi pariter more gentis suae. 80. *Inventus, Chrysippe*] Chrysippus philosophus Stoicus syllogismum σωρίτην vocavit, quem per adiectionem et detractionem ex acervi frumentarii similitudine ostendit.

SULPICIAE SATIRA.

Musa, quibus numeris heroas et arma frequentas,
Fabellam permitte mihi detexere paucis:
Nam tibi secessi, tecum penetrale retractans
Consilium. Quare nec carmine curro Phalaeco
Nec trimetro iambo nec, qui pede fractus eodem
Fortiter irasci didicit duce Clazomenio.
Cetera quin etiam, quot denique milia lusi
Primaque Romanas docui contendere Graiis
Et salibus variare novis, constanter omitto;
Teque, quibus princeps et facundissima calles,
Aggredior: precibus descende clientis et audi.
Dic mihi, Calliope, quidnam pater ille deorum
Cogitat? an terras et patria secula mutat?
Quasque dedit quondam, morientibus eripit artes?
Nosque iubet tacitos et iam rationis egenos
Non aliter, primo quam quom surreximus aevo,

SULPICIAE SATIRA.

2. *pacis* Heins. 4. Phalaeceus hendecasyllabus. v. c. *Quoi dono lepidum novum libellum?* 5. Scazon Hipponacteus v. c. *ὁ μουσοποιὸς ἐνθάδ' Ἱππῶναξ κεῖται.* Male Wernsd. volebat *tractus*; v. Huschk. ad Tib. p. 679. 6. *discit* Ald. *Clazomenius* dicitur Hipponax, quia, quum esset Ephesius, propter Athenagorae et Comae tyrannidem se contulit Clazomenas. Floruit circa Olymp. LXX. 7. *quo* Ald. *quod* Werns. coni. Reliqui *quot. quae mollia* Burm. 8. *Romanos* Ald. Schwarz. *Romanas* debetur Vineto. 10. *polles* dubitanter coni. Burm. Petron. c. 135. *his ego callens artibus*. 13. *in patria* Heins. Bouhier. 14. *maerentibus* Bouh. 15. seqq. versus hoc ordine exhibet Ald. *Nosque — Quid — Roma — Sed virtus — Non — Glandibus — An — Sed genus — In freta — Ceteraque.* Recte eos transposuit Douza, nisi quod v. 24. collocavit ante 23. scribens *cetera quae*. 15. *etiam* Ald. 17. *procurrere* Ald. *procumbere* debetur Pithoeo. 19. *Romulique* Ald. *Romlique* Sciopp. *Remique* Florent. exemplar, *Remulique* Douza; cuius formae aliud exemplum nullum exstat. Hinc tamen in Epigr. Cyzic. 19. 2. (Anth. Pal. I. p. 65.) pro *Ῥῆμόν τε ξυνῶν καὶ Ῥωμύλον λεχέων* Viscontius Museo Pio-Clement. 5. p. 48. Ed. Rom. legit *Ῥῶμόν τε ξυνῶν καὶ Ῥέμυλον λεχέων*: duplici licentia. Sed quia vix inducor, ut statuam indulsisse sibi quandoque Latinos in prosodia v. *Romulus*, ut in *Sicania* cet.

Glandibus et purae rursus procumbere lymphae?
An reliquas terras conservat amicus et urbes,
Sed genus Ausonium Romique exturbat alumnos?
Quid reputemus enim? Duo sunt, quibus extulit ingens
Roma caput: virtus belli et sapientia pacis.
Sed virtus agitata domi et socialibus armis
In freta Sicaniae et Karthaginis exiit arces
Ceteraque imperia et totum simul abstulit orbem.
Deinde, velut stadio victor qui solus Achaeo
Languet et immota secum virtute fatiscit,
Sic itidem Romana manus, contendere postquam
Destitit et pacem longis frenavit habenis,
Ipsa domi leges et Graia inventa retractans,
Omnia bellorum terra quaesita marique
Praemia consilio et molli ratione regebat.
Stabat in his; neque enim poterat constare sine ipsis:
Aut frustra uxori mendaxque Diespiter olim,
„Imperium sine fine dedi," dixisse probatur.
Nunc igitur, qui res Romanas imperat inter,
Non trabe, sed tergo prolapsus et ingluvie albus,
Et studia et sapiens hominum nomenque genusque
Omnia abire foras atque Urbe excedere iussit.
Quid facimus? Graios hominumque reliquimus urbes,
Ut Romana foret magis his instructa magistris:

malui edere ex Vineti emend. *Romique*; v. Fest. in *Romam* et Serv. ad Aen. 1, 277. v. Burm. 25. *studio* Ald. 26. *emota* Burm. coni. Ib. *facessit* Ald. prob. Wernsd. 34. Apud Virg. Aen. 1, 276. verba sunt Iovis ad Venerem. Pro *aut* C. H. A. in Observatt. Misc. 6, 2, p. 367. proposuit *haud*, Bouh. *at:* sed *aut* interdum habet fere negandi vim, *alioquin*. 35. *inferat* Ald. 36. *tabe* Ald. Proverbium graecum οὐκ ἀπὸ δοκοῦ ἔπεσεν, ἀλλ' ἀπ' ὄνου (= ἀπὸ νοῦ) Aristoph. Nub. 1273. miro modo vertit; sed prorsus ridicule interpretes cogitarunt de *trabe caelesti* i. e. si diis placet, Olympo. Cfr. Gronov. Diatr. p. 389. H. Nuper Beier ad Cic. de Off. 1. p. 193. tentabat: *qui rem Romanam in perniciem infert Non trabs, sed tergo prolapsus et ingluvie anguis.* Cfr. Plin. Paneg. c. 48. de Domitiano: *femineus pallor in corpore; in ore impudentia multo rubore suffusa.* 38. v. Suet. Dom. 10. Gell. 15, 11. 39. *relinquimus* Ald. — *reliquimus* est a Pithoeo. Burm. coni.: *Quid facimus Graii? dominamne relinquimus urbem? Ne Romana foret manus* — Anon.: *Graiorum hominumne reliquimus*, ut *Graius homo* Lucret. 1, 67. Veram duco Monardi V. C. explicationem: „*Que faisons-nous?* (nos Romani?) *quelle est notre inconséquence? Lorsque nous avons soumis la Grèce par la force des armes, nous avons laissé subsister ses villes, ses lois, ses sciences, afin qu'elle pût fournir à Rome des savans et des philosophes, et maintenant ces hommes utiles sont*

Nunc Capitolino veluti turbante Camillo
Ensibus et trutina Galli fugere relicta,
Sic nostri palare senes dicuntur et ipsi
Ut ferale suos onus exstirpare libellos.
Ergo Numantinus Libycusque erravit in isto
Scipio, qui Rhodio crevit formante magistro,
Ceteraque illa manus bello fecunda secundo,
Quos inter prisci sententia dia Catonis
Scire adeo magni fecisset utrumne secundis,
An magis adversis staret Romana propago?
Scilicet adversis: nam quom defendier armis
Suadet amor patriae et captiva penatibus uxor,
Convenit, ut vespis, quarum domus arce Monetae,
Turba rigens strictis per lutea corpora telis.
Ast ubi apes secura redit, oblita favorum
Plebs patresque una somno moriuntur obeso.
Romulidarum igitur longa et gravis exitium pax.
  Hoc fabella modo pausam facit. Optima posthac
Musa, velim moneas, sine qua mihi nulla voluptas
†Vivere, uti quondam Smyrnalibus * * peribat,
Nunc itidem migrare velit vel denique quidvis,
Ut Dea, quaere aliud: tantum Romana Caleno
Moenia, iucundos pariterque tuere Sabinos.
Haec ego: tum paucis Dea me dignarier infit:
„Pone metus aequos, cultrix mea. Summa tyranno
Haec instant odia et nostro periturus honore est:
Nam laureta Numae fontesque habitamus eosdem
Et comite Egeria ridemus inania coepta."
Vive, vale; manet hunc pulchrum sua fama dolorem:
Musarum spondet chorus et Romanus Apollo.

condamnés à l'exil." (La Satire de *Sulpicia* traduite en vers français avec des notes par *Ch. Monard.* Paris 1816. 8. p. 51.) 41. 42. *Non* Ald. Ib. *Capitolinis* — *Mercibus* Bouh. *Ensibus* Ald. alii *Lancibus*. 43. *palare* suspectum erat Bouhierio, qui suspicabatur *fugitare*, sed propius ad Codd. scripturam accederet *pavitare*. 44. *suo sonus* Ald. Ib. *exsecrare* C. H. A. *exportare* Schwarz. Burm. coni. 46. *Rhodio* Ald. intelligitur Panaetius Rhodius. Male Schwarz *Rudio* i. e. Ennio. 47. *Ceteraque* Ald. *Cetera et* Burm. Wernsd. (*bello fecunda foecunda* Ald.) *secundo*, i. e. quae in bella prospere gerenda semper succrescebat. Ita Liv. 5, 49. *artem belli, secundum suis; secundissima proelia* Caesar B. G. 7, 62. et *secundius proelium* dixit ib. 2, 9. Sulpicia imitata est illud Horatii Od. 4, 4, 45. *Post hoc secundis usque laboribus Romana pubes crevit.* Alii cum Wernsd. *facunda* legentes expo-

nunt de bello Punico secundo, provocantque ad Porcium Licinium ap. Gell. 17, 21. *Poenico bello secundo Musa pinnato gradu Intulit se bellicosam in Romuli gentem feram.* 49. *scire deos.* Ald. Respicit ad fragm. orationis Catonianae pro Rhodiensibus ap. Gell. 7, 3, 53. Versus permultis coniecturis Criticorum vexatus, quarum nulla probabilis est; nisi *convenit* cum Wernsd. insolentius dictum accipias pro *concurrit*, *confligit*, ita ut *turba rigens* (*tegens* Ald.) sint apes. Aedes Iunonis *Monetae* a. u. c. 405. vota est a L. Furio Camillo ac posita in area domus M. Manlii Capitolini. 55. *Ast ubi pax* Pith. Schwarz. — *Ast ubi pax s. r. o. laborum* Bouh. 56. *fraterque* Ald. — *materque* Pith. Schw. Burm. Wernsd. Praetuli Boxh. coni.: *patresque*, nam, ut mater de rege apum dici queat, valde vereor. Apud Plinium enim 11, 24. quae *crabronum matres* opponuntur opificibus, nobis sunt *die Drohnen*. *frater* ab iis est, qui primam v. *patres* alicubi v. c. Ovid. Met. 7, 160. produci ignorarent. 58. *Haec* Ald. Eadem distinguit post *optima*. 60. Malui Aldinam lectionem cum lacuna denuo exhibere, quam sequi Pithoeum ac reliquos scribentes, non vero explicantes *uti quondam Lydus dum Smyrna peribat*. („Significari videtur res ignota nunc, cuius tamen fons erit apud Herodot. 1, 16. Vide etiam, quae in Poët. Gr. Eleg. p. 415. seqq. in nota exposui." Weberus.) Sic et v. seq. utpote in re prorsus incerta cum Aldo dedi: *velit*, *velis* Burm. *velint* reliqui. 62. *Caleno*, non *Calenos* habet Ald. 63. Nostra de coni. scripsimus *tuere*. „Fac, ut certe Calenus, dulcissimus coniux, tuto degere possit vel Romae vel in praedio Sabino." *averte* Ald. — *adverte* Vinet. prob. Wernsd. — *pariterne obverte* Bouh. 64. ita Ald. Burm. W. *dignatur et infit* Schwarz. 65. *vacuos* mihi legendum videtur. 66. *Hinc* Heins. Schw. — *Ecce* Burm. „*in ore*, ut Tacit. Hist. 3, 77. *Iulianum in ore Vitellii iugulatum* dicit." Bouh. quod etsi primo intuitu blanditur, Dea tamen tale spectaculum vix cupere poterat. cfr. Eurip. Hippol. 1427. Diana: ἐμοὶ γὰρ οὐ θέμις φθιτοὺς ὁρᾶν, οὐδ' ὄμμα χραίνειν θανασίμοισιν ἐκπνοαῖς. 69. ita Douza. *tua* Ald.

P. PAPINII STATII

SILVARUM V. 4.

Ad Somnum.

Crimine quo merui, iuvenis placidissime divôm,
Quove errore miser, donis ut solus egerem,
Somne, tuis? Tacet omne pecus volucresque feraeque,
Et simulant fessos curvata cacumina somnos.
Nec trucibus fluviis idem sonus; occidit horror
Aequoris et terris maria adclinata quiescunt.
Septima iam rediens Phoebe mihi respicit aegras
Stare genas; totidem Oetaeae Paphiaeque revisunt
Lampades et toties nostros Tithonia questus
Praeterit et gelido spargit miserata flagello.
Unde ego sufficiam? non si mihi lumina mille,
Quae sacer alterna tantum statione tenebat
Argus et haud unquam vigilabat corpore toto.
Et nunc fors aliquis longa sub nocte puellae
Brachia nexa tenens ultro te, Somne, repellit.
Inde veni; nec te totas infundere pennas
Luminibus compello meis; — hoc turba precetur
Laetior — extremo me tange cacumine virgae, —
Sufficit — aut leviter suspenso poplite transi.

STATII SILV. V. 4.

1. Markl. distinguit: *merui iuvenis, placidissime.* Sed vv. *iuvenis* - - *miser* nullo pacto coëunt. 8. *Oetaeae*] Catull. 62, 7. *Nimirum Oetaeos ostendit Hesperus ignes;* ab Oeta veluti oriens. *Paphiae* vero, quia Lucifer Veneris stella. Magis autem nocturnae, quae desideratur, quieti consentaneum est, h. l., ut apud Catullum, Oetaeas lampades de Hespero, Paphias de Lucifero intelligere, quam contrariam rationem sequi cum Gronovio ad Sen. Herc. fur. v. 132. Ceterum Markl. in Addendis p. 349. coni. *recursant.* 10. id. *tangit;* sed in verbo *spargit* inest notio roris matutini. 12. Heins.: *vafer alterna caute in statione. vafer* probat Markl.

14. Markl. coni. recepimus. Vulgo *At nunc heus*. Verum *heus* pro *heu* poni nequit. 17. ita Markl. Vulgo : *precatur*. 19. Edd. vett. *levior* probante Markl. Cod. Rehdig. firmat adverbium. Ceterum confer Senecam Herc. fur. 4, 1065. *O domitor, Somne, laborum, requies animi, Pars humanae melior vitae, Volucer, matris genus Astraeae, Frater durae languide Mortis, Veris miscens falsa, futuri Certus et idem pessimus auctor: Pater o rerum, portus vitae, Lucis requies noctisque comes, Qui par regi famuloque venis, Pavidum leti genus humanum Cogis longam discere mortem, Placidus fessum lenisque fove.*

D. IUNII IUVENALIS

SATIRAE TRES.

SATIRA QUARTA.

Ecce iterum Crispinus; et est mihi saepe vocandus
Ad partes; monstrum nulla virtute redemptum
A vitiis, aeger solaque libidine fortis:
Delicias viduae tantum aspernatur adulter.
Quid refert igitur, quantis iumenta fatiget
Porticibus, quanta nemorum vectetur in umbra?
Iugera quot vicina foro, quas emerit aedes?
Nemo malus felix; minime corruptor et idem
Incestus, cum quo nuper vittata iacebat

(In repetita hac editione consului Codd. septem: A. Sangallensem membr. Sec. IX. B. Sangallensem membr. Sec. XIV. C. Lassbergianum membr. Sec. XIII. D. Basileensem membr. Sec. XIII. E. Basileensem chartac. Sec. XV. F. Turicensem membr. Sec. XV. G. Einsiedlensem membr. Sec. XI.; Italicae originis sunt BCF., Germanicae ADEG.; (omnes per se intelligent, spero, hoc loco selectas dumtaxat lectiones septem horum Cdd. a me ipso collatorum potuisse afferri:) Scholiastam Crameri a me emendatum ex ipso Cd. Sangall. Sec. XI., Barthii Adversaria a Fiedlero edita, E. G. Weberi, G. E. Weberi, Lemairii Edd., praeclaram dissertationem Pinzgeri de versibus spuriis et male suspectis Iuvenalis eiusdemque comem censuram harum Eclogarum cet. Optabat V. C., ut a me recepta esset Sat. decima; sed meum institutum non recipit lasciva et obscoena, cuius generis insunt nonnulla in illa ceteroqui pulcherrima satira. — Ubi Weberus simpliciter memoratur, intelligendus est E. G. Weberus.)

SATIRA QUARTA.

1. Cfr. Sat. 1, 26. *pars Niliacae plebis - verna Canopi. Crispinus* Alexandrinus (chartapola) Domitiano gratissimus et ex servili conditione ad dignitatem equestrem provectus. Ceterum: *Crispinus; et est mihi* ABE. G. ex correctione. — *Crispinus adest, mihi* CD. Web. (*Crispinus adest et est mihi* F. et Ed. princ., utrâque, ut fit, lect. coniuncta.) Nostra lectio, ut exordio convenit, incitatiorem poëtae sensum maioremque indignationem refert. — *ad partes*] „Metaphoram facit a comoedia, quia scenici ad partes suas solent vocari." Schol. Ovid. Ex Ponto 4, 2, 27. *Vix venit ad partes Musa.*
4. Interpretare fere cum Webero: Moechus semper nuptarum et puellarum spernit viduas delicias facientes, eumque solitis suis artibus allicientes, θρυπτομένας πρὸς αὐτόν. Namque v. *delicias* hoc significatu positum reor, non cum Lemairio exponendum: „voluptates venereas cum viduis

Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos.
Sed nunc de factis levioribus: et tamen alter
Si fecisset idem, caderet sub iudice morum.
Nam quod turpe bonis, Titio Seioque, decebat
Crispinum. Quid agas, quom dira et foedior omni
Crimine persona est? Mullum sex milibus emit,
Aequantem sane paribus sestertia libris,
Ut perhibent, qui de magnis maiora loquuntur.
Consilium laudo artificis, si munere tanto
Praecipuam in tabulis ceram senis abstulit orbi.
Est ratio ulterior, magnae si misit amicae,
Quae vehitur clauso latis specularibus antro.
Nil tale exspectes: emit sibi. Multa videmus,
Quae miser et frugi non fecit Apicius. Hoc tu
Succinctus patria quondam, Crispine, papyro?
Hoc pretium squamae? Potuit fortasse minoris
Piscator quam piscis emi. Provincia tanti
Vendit agros, sed maiores Appulia vendit.
Quales tunc epulas ipsum glutisse putamus
Induperatorem? quom tot sestertia, partem

aspernatur." *spernatur* Cdd. aliq. Schol. Hennin. nihil est. 6. *nemorum - - umbra*] „viridiaria, ubi solent gestari." Schol. 7. Heinecke distinxit: *Iugera quot vicina* (urbi), (in) *foro quas emerit aedes.* Recte Pinzgerus admonuit me Statii *Silv.* 5, 2, 21. *Romulei iugera Circi.* Sunt igitur ampla spatia hortorum, nemorum in media Urbe, uti fuerant circum Neronis auream domum; v. Tacit. Ann. 15, 42. 9. *quocum* G. 12. damnatus esset a censore Domitiano. 13. Nomina fictitia apud ICtos v. c. Gaium Lib. 2. §. 199. *Titio et Seio hominem Stichum do, lego.* Eorundem praenomina sunt *Lucius Titius*, *Gaius Seius* ib. §. 250. Ib. *decebat*] laudari etiam poterat in Crispino, utpote a quo nihil nisi immania scelera, non leviores turpitudines exspectarentur. 14. Unde incipias vituperare hominem tam foedum, quem tamquam fabulae personam hic traduco? 18. hominis astuti ac veteratoris. 20. *ulterior*, non tam „alia", ut ait Schol., quam „gravior, maioris momenti." 23. Apicius helluo infamis, ubi cum Crispino componatur, iam parcus et frugalis habendus erit. *misero* etiamnunc Itali pro nimis parco, avaro. 24. *Pharia* Markland. 25. Exponunt: „Hoc tu, scil. fecisti, ausus es, Aegyptius, tenuissimo loco ortus, et, ut solent populares tui, patria papyro quondam succinctus? Hocne pretium est squamae, piscis?" Ego etiamnunc sic malo cum Guil. Ern. Webero: *Hoc* (scil. pretium) *tu - - Crispine — hoc pretium squamae* (dativ.) ponis? Ad constructionem v. 23. cfr Lucan. 8, 542. *Nilusne et barbara Memphis - - Hos animos?* (— *Hoc pretium squamae*] ABCDEFG. Web. — *Hoc pretio squamae* (Schol.) Rup. — *Hoc pretio squamam* Crameri susp.) 27. *et maiores* Hennin. Sed cfr. Ovid. Met. 8, 282. *maiores herbida tauros Non habet Epiros, sed habent Sicula arva minores*; ubi eadem varietas. Explica: „sed Appulia, utpote deserta, maiores etiam quam reliquae provinciae cultiores, eo pretio agros (*apros* mire volebat Vales.) solet vendere."

Exiguam et modicae sumptam de margine coenae
Purpureus magni ructaret scurra palati,
Iam princeps equitum, magna qui voce solebat
Vendere municipes fracta de merce siluros?
Incipe Calliope, licet et considere: non est
Cantandum, res vera agitur. Narrate, puellae
Pierides; prosit mihi vos dixisse puellas! —
Quom iam semanimum laceraret Flavius orbem
Ultimus et calvo serviret Roma Neroni,
Incidit Adriaci spatium admirabile rhombi
Ante domum Veneris, quam Dorica sustinet Ancon,
Implevitque sinus: neque enim minor haeserat illis,
Quos operit glacies Maeotica ruptaque tandem
Solibus effundit torrentis ad ostia Ponti
Desidia tardos et longo frigore pingues.
Destinat hoc monstrum cymbae linique magister
Pontifici summo. Quis enim proponere talem
Aut emere auderet? quom plena et litora multo
Delatore forent, dispersi protinus algae
Inquisitores agerent cum remige nudo,

29. Sic ABCDEFG. Web.; ut apud Lucr. 4, 968. 5, 1216. Cum paucis Rup. *Endoperatorem.* 30. *de margine*] quum in media mensa essent apri, pavones cet., maioris etiam pretii cibi. 31. *fracta de merce* Schol. et septem mei. „(Aegyptios) viles siluros eosque per viam mutilatos atque a cetariis ipsi venumdatos rursus popello vendebat." Web. Haec facilior etiam interpretatio eâ, quam proposuerunt Pinzg. et Lemaire, ut sit „singulatim vendere", *en détail;* — *Pharia de merce* Muret. Salmas. — *frictu de merce* Manso, Rup. 34. *licet hic considere* mei septem. Recte sic fere cum Barthio et Weberis ambobus explicabis: „non opus est surgere, non opus hic est instinctu inflatuque divino; licet etiam, si placet, considere .. tranquille ac summisse dicere; nam nihil fingendum, res vera dumtaxat narranda est." Sic *narrate* locum suum tuetur. *Parete* vult Franckius *Verisim. spec.* p. 29. cum Ruperti Cd. 22. marg. 37. *semianimem* B. solus ex meis. 40. Ancona in agro Piceno a Syracusanis condita. 41. „Initium versus Virgiliani Aen. 10, 819. *Implevitque sinus sanguis. sinus* h. l. retia." Schol. 34. *torrentis* legit Schol. explicans: „perfluentis, currentis. Illic nam rheuma quoddam trahit mare." Recte, puto: etenim „*fervet arctutus rapido gurgite Pontus*:" Lucan. 5, 234. Praeterea de eo tempore sermo est, ubi *torpida* glacies a sole dissoluta est; et hoc voc. *torrens* adi. vel partic. aliquoties utitur Iuven. — *torpentis* Cett. quod explicant „stagnantis gelu." 49. „Ne dubites vv. *agerent cum r. n.* significatu forensi accipere, ut significet in ius vocare, illum in iudicio convenire, accusare." Web. 53. „*Palfurius Sura* (Suet. Dom. 13.) consularis viri filius in agone cum virgine Lacedaemonia sub Nerone luctatus est. Postinde a Vespasiano senatu motus, transivit ad Stoicam sectam, in qua quum praevaleret et eloquentia et artis poëticae gloria, abusus familiaritate Domitiani, acerbissime partes delationis exercuit: quo interfecto, senatu accusante, damnatus est: quum fuissent inter

Non dubitaturi fugitivum dicere piscem
Depastumque diu vivaria Caesaris, inde
Elapsum, veterem ad dominum debere reverti?
Si quid Palfurio, si credimus Armillato,
Quicquid conspicuum pulchrumque est aequore toto,
Res fisci est, ubicunque natat. Donabitur ergo,
Ne pereat. Iam letifero cedente pruinis
Auctumno, iam quartanam sperantibus aegris,
Stridebat deformis hiems praedamque recentem
Servabat: tamen hic properat, velut urgeat Auster;
Utque lacus suberant, ubi quamquam diruta servat
Ignem Troianum et Vestam colit Alba minorem,
Obstitit intranti miratrix turba parumper:
Ut cessit, facili patuerunt cardine valvae.
Exclusi spectant admissa opsonia Patres.
Itur ad Atridem. Tum Picens, „accipe," dixit,
„Privatis maiora focis; genialis agatur
Iste dies; propera stomachum laxare saginis
Et tua servatum consume in secula rhombum.
Ipse capi voluit." — Quid apertius? Et tamen illi

delatores potentes apud Domitianum et hi, Armillatus, Demosthenes et Latinus archimimus." Schol. 56. „In omnibus, quas vidi, edd. post *pereat* comma, et post *aegris* punctum reperitur, quo prorsus turbatur vera h. l. sententia." Rup. Rectam distinctionem habent mei septem. 57. *quartanam* pro molestiore quotidiana. Falso gloss. Cod. E. „timentibus." 60. *superant* pauci Codd. probante Handio ad Gron. Diatr. 1. p. 428. — *superat* Markl. Sed manifesto recta lectio: *suberant* (ABCDEFG.) „ubi appropinquabant lacus;" i. e. „ubi piscator advenerat ad Domitiani villam Albanam in ripa lacuum illorum sitam." ut fere iam Schol., qui ipse quoque legit *suberant*. 61. Intelligitur villa Domitiani Albana. Alba diruta a Tullo Hostilio praeter delubrum Vestae. Strab. 5. p. 160. *Vesta minor*, scilicet cum Romana comparata. Cultum hunc Vestae in oppido Alba Longa institutum durasse usque ad Symmachi tempora, i. e. usque ad finem religionum Romanarum, notarunt Interpretes; neglexerunt adhuc Inscriptt. eo spectantes, quas collegi in Cura mea N. 2240. et 3701., unde discimus, quemadmodum Romae, sic etiam in ARCE ALBANA praefuisse Vestalibus Virginem Vestalem Maximam: ut Tibure quoque: N. 2239. Erat igitur hoc, ut multa alia, non tam Romanum, quam Italicum institutum antiquissimum. 63. Solito errore *Et cessit* sex mei pro *Ut cessit;* solito item errore *exspectant* quinque praeter A. antiquissimum. „*Exclusi* = haud admissi dicuntur patres a foribus conclavis Imperatoris. Quibus aditus ad aliquem prohibetur, ii *excludi*, quibus patet, *admitti* dicuntur." Web. 67. „*Saginis*] dativ. non ablat. Mira lectio apud Schol. *sagittis*. G. E. Weberus. 69. Quicquid contra dicit Ruperti, vera h. l. interpretatio haec est: „Quid manifestius, inquit poëta, putida atque inepta hac adulatione? Nihilo minus Domitianus ea captus animo efferebatur, veluti gallus *superbus graditur ardua cervice cristis celsus*. Plin. 10, 21. quo significatu Itali quoque usurpant v. *ringalluzzarsi*. (Rectam hanc interpretationem

Surgebant cristae: nihil est, quod credere de se
Non possit, quom laudatur, dîs aequa potestas.
Sed deerat pisci patinae mensura. Vocantur
Ergo in consilium proceres, quos oderat ille;
In quorum facie miserae magnaeque sedebat
Pallor amicitiae. Primus, clamante Liburno,
„Currite, iam sedit!" rapta properabat abolla
Pegasus, attonitae positus modo villicus urbi:
Anne aliud tunc praefecti? quorum optimus atque
Interpres legum sanctissimus omnia quamquam
Temporibus diris tractanda putabat inermi
Iustitia. Venit et Crispi iucunda senectus,
Cuius erant mores, qualis facundia, mite
Ingenium. Maria ac terras populosque regenti
Quis comes utilior, si clade et peste sub illa
Saevitiam damnare et honestum afferre liceret
Consilium? Sed quid violentius aure tyranni?
Cum quo de pluviis aut aestibus aut nimboso
Vere locuturi fatum pendebat amici.
Ille igitur nunquam direxit brachia contra
Torrentem nec civis erat, qui libera posset

a Schol. iam propositam [„assentatione ac laude intumescebat Imperator, quamvis falso."] et glossae Einsiedl. („*Quid apertius?* hac adulatione. Verba sunt poëtae. Elevabantur ei cornua prae superbia.") secutus est etiam Web.) 71. Memorabilis est lectio Marg. Cd. D. *Non ausit.* 73. *concilium* ABCG. Sed cfr. Plin. 4, Ep. 22. *Interfui principis optimi cognitioni, in consilium assumptus.* 74. *Et quorum* Cod. F. 75. servo nomenclatore e Liburnia oriundo. 76. *Pegasus*, Stoicus, (quocirca *abollam* rapit;) iuris studio gloriam memoriae meruit, ut *liber* vulgo, non *homo* diceretur. Consul suffectus fuit cum *Pusione* tempore Vespasiani, postea Praefectus urbi. Ab hoc SCtum Pegasianum de fideicommissis hereditatibus dictum est. v. Gaii Lib. 2. §. 254. 77 Nullus interpretum, quos equidem vidi, laudavit Cic. pro Plancio c. 25. *populus Ro. deligit magistratus quasi reip. villicos.* 80. Leni reprehensione significatur, Pegaso severitatem in praefectura administranda tunc temporis necessariam defuisse. De *Vibio Crispo* oratore, v. Tacit. Ann. 14, 28. Hist. 2, 10. 4, 41, 43. Dial. de Oratt. 8, 13. Suet. Domit. 3. Quinctil. 5, 13. 6, 2. 10, 1. 12, 11. 85. *ferre* ABCDG. In utraque lingua saepissime simplicia vocabula pro compositis scripta reperiuntur. 91. *animo* coniecit Rup. „exempla dictionis desiderans." Sed audacioris tropi exempla alibi anxie quaerenda non sunt. Est scil. „ex animi sententia loqui." Contra G. E. Weberus: „*verba libera animi* i. e. libere animi sententiam aperientia. Non coniungendum *verba animi.*" 95. „Acilius Glabrio pater iuvenis clarissimi, qui, quum iam consul fuisset, ut Domitiani saevitiam effugeret, Bruti exemplo stoliditatem simulaverat, ita ut ad depugnandum cum leone iussu tyranni adduceretur: nihilo tamen minus interfectus est in exilio." G. E. Weberus. cfr. Suet. Dom. 10. Dio Cass.

Verba animi proferre et vitam impendere vero.
Sic multas hiemes atque octogesima vidit
Solstitia, his armis illa quoque tutus in aula.
Proximus eiusdem properabat Acilius aevi
Cum iuvene, indigno, quem mors tam saeva maneret
Et domini gladiis tam festinata: sed olim
Prodigio par est in nobilitate senectus;
Unde fit, ut malim fraterculus esse gigantum.
Profuit ergo nihil misero, quod cominus ursos
Figebat Numidas, Albana nudus arena
Venator. Quis enim iam non intelligat artes
Patricias? quis priscum illud miratur acumen,
Brute, tuum? Facile est barbato imponere regi.
Nec melior voltu, quamvis ignobilis, ibat
Rubrius, offensae veteris reus atque tacendae,
Et tamen improbior satiram scribente cinaedo.
Montani quoque venter adest abdomine tardus
Et matutino sudans Crispinus amomo,
Quantum vix redolent duo funera. Saevior illo
Pompeius tenui iugulos aperire susurro:
Et qui volturibus servabat viscera Dacis

67, 13. 96. *iam destinata* Universi mei et tantum non omnes Cdd. contra metrum. Meus tamen C.: *iam festinata* a sec. manu. — *tam festinata* Lipsio debetur. Idem coni. etiam *iam designata*; quod ipsum praeceperat Rob. Steph. in Ed. 1549. 97. *in nob.* Omnes mei. Ante Achaintr. vulgo edebant *cum nob.* 98. *gigantum*, quam lect. Weberus non satis librorum auctoritate defensam credit, habent tamen mei ABCDFG., solus E.: — *gigantis*, quod praetulerunt Rup. Web. — *Gigantum*, terrigenarum, fraterculus est *terrae filius* (*progenies terrae* Pers. 6, 57.) s. homo obscurus, ut *Neptuni filius* homo agrestis et truculentus. Rup. praeterea coni.: — *ut nolim fr. esse gigantis*, id est, si diis placet, Caesaris amicus. *Fraterculum*, in quo ille haesit, lepide se dicit, utpote qui cum gigantibus comparatus, etsi eadem terra ortus, pumilio tamen sit, οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν. 100. *Albana - - arena*] „In lusorio (i. e. amphitheatro) Caesaris iuvenis iste ursos saepe, quasi venator (immo bestiarius:) occidit." Schol. 102. *intelligat - - miratur* Quinque mei praeter F. qui: *intelligit.* Ut nos Web. — Rup.: *intelligat - - miretur.* 105. *Rubrium Gallum* significari putant. v. Tac. Hist. 2, 51, 99. „Frustra in his divinamus, ubi historia silet, et scholia nil certi definiunt." Manso. Satis probabiliter tamen Schol.: „Rubrius iste aliquando Iuliam, Titi filiam, tunc Domitiani uxorem in pueritia corruperat et verebatur, ne pro hac mercede poenas ab ipso reposceret." 107. *Curtius Montanus*, de quo v. Tac. Ann. 16, 28, 33. Hist. 4, 40. 110. *Pompeius* qui fuerit, ignoratur. 111. *Cornelius Fuscus* praefectus praetorio, qui a Domitiano adversus Dacos missus magna accepta clade periit. v. Tac. Ann. 11, 11. H. 2, 86. Martial. 6, 76.

Fuscus marmorea meditatus proelia villa:
Et cum mortifero prudens Veiento Catullo,
Qui nunquam visae flagrabat amore puellae,
Grande et conspicuum nostro quoque tempore monstrum!
Caecus adulator dirusque a ponte satelles,
Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes
Blandaque devexae iactaret basia rhedae.
Nemo magis rhombum stupuit: nam plurima dixit
In laevum conversus: at illi dextra iacebat
Belua: sic pugnas Cilicis laudabat et ictus
Et pegma et pueros inde ad velaria raptos.
Non cedit Veiento, sed ut fanaticus oestro
Percussus, Bellona, tuo divinat et, „ingens
Omen habes," inquit, „magni clarique triumphi:
Regem aliquem capies aut de temone Britanno
Excidet Arviragus: peregrina est belua, cernis
Erectas in terga sudes?" — Hoc defuit unum
Fabricio, patriam ut rhombi memoraret et annos.
„Quidnam igitur censes? conciditur?" — „Absit ab illo
Dedecus hoc," Montanus ait; testa alta paretur,
Quae tenui muro spatiosum colligat orbem;
Debetur magnus patinae subitusque Prometheus:
Argillam atque rotam citius properate: sed ex hoc
Tempore iam, Caesar, figuli tua castra sequantur." —
Vicit digna viro sententia: noverat ille
Luxuriam imperii veterem noctesque Neronis

113. *A. Fabricius Veiento.* Tac. Ann. 14, 30. *Catullus Messalinus luminibus orbatus* Plin. Ep. 4, 22. 116. *e ponte* Heins. — *in ponte* Rup. sed *a ponte*, ut *de ponte* Sat. 14, 134. significat hominem infimi ordinis, (ut erant, qui in ponte stipem petebant,) qui, ut fit, eo licentius fortuna secunda abutitur in satellitum Caesareorum cohortem receptus. [*a ponte* dictum plane, ut apud Morcellium *Opp. epigr.* Tom. 1. p. 139. *Sodales aerarii a Pulvinari;* item in aliis Inscriptt. *a capite Africae*, *a vico Loreto minore.* Idem Tom. 2. p. 112. *Philomusus sagarius a Theatro.*] 117. i. e. ad currus Ariciam, oppidum Latii in via Appia, petentes. *Aricinas -- arces* coni. Rup. 120. *In laevam* DF. 124. Cfr. Grut. 343, 1. *Q. Caecilio Apollinari fanatico de aede Bellonae.* 126. *temone*, „curru falcato." Schol. 127. *Excidet*] sic FG. Schol. — *Excidit* ABCDE. Web. 128. *sudes*, pinnas immanes. 134. „*cives*, *properate* notabilis lectio unius Cod." G. E. Weberus. 137. *Luxuriam*] „Vel *Ingluviem.*" Margo D. memorabilis lectio. 138. *aliamque famem*] „Quia aviditas cibi sequitur nimiam perpotationem." Schol. 140. *Circeii*, Volscorum oppidum in Latio, hodie *Circello.* *Lucrinus lacus* in Campania, inter Baias et Cumas. 141. *Rutupiae* (nunc *Richborough*) opp. Cantiorum in Britannia. 145. *concilio*] Sic h. l. recte antiquiss. A.

Iam medias aliamque famem, quom pulmo Falerno
Arderet. Nulli maior fuit usus edendi
Tempestate mea. Circeis nata forent, an
Lucrinum ad saxum Rutupinove edita fundo
Ostrea, callebat primo deprendere morsu
Et semel adspecti litus dicebat echini.
Surgitur et misso proceres exire iubentur
Concilio, quos Albanum dux magnus in arcem
Traxerat attonitos et festinare coactos,
Tamquam de Cattis aliquid torvisque Sicambris
Dicturus; tamquam diversis partibus orbis
Anxia praecipiti venisset epistola penna.
Atque utinam his potius nugis tota illa dedisset
Tempora saevitiae, claras quibus abstulit urbi
Illustresque animas impune et vindice nullo!
Sed periit, postquam cerdonibus esse timendus
Coeperat; hoc nocuit Lamiarum caede madenti.

SATIRA OCTAVA.

Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri, pictos ostendere voltus
Maiorum et stantes in curribus Aemilianos
Et Curios iam dimidios humeroque minorem
Corvinum et Galbam auriculis nasoque carentem?
Quis fructus generis tabula iactare capaci
Corvinum, posthac multa contingere virga

Web. — *consilio* BCDEF. Rup. Tum AG.: *Sigambris*. 148. *Getis* multi Cod. — *Gethis* omnes mei. — *Cattis* firmatur a Schol. — *tortisque* coni. Vallae. 148. *tamquam et diversis* Web. contra septem meos. 149. *penna* Omnes mei. — *pinna* Rup. v. Hand. ad Gron. Diatr. I. p. 480. 153. Domitiani interfectores homines infimi generis fuerunt. v. Suet. Dom. 17. 154. *Aelium Lamiam* nobilissimo genere ortum Domitianus occiderat. v. Suet. Dom. 10.

SATIRA OCTAVA.

1. *Ponticus* nobis iam ignotus. 2. *pictos* ABCDFG. prob. Pinzg. — *et pictos* E. — *pictosque* Rup. Web. 4. *humeroque* Cod. Chemnic. firmans Prateii coni. pro *humerosque m.* Rup. Web. „*humero minor* est, qui altero humero caret s. cuius alter humerus mutilatus est. *Humeros minor* ne non significare possit: *mutilus humeris*, ut voluere interpp., magnopere vereor." Pinzg. Mei omnes perperam sic habent: *nasumque minorem Corvini et Galbam auriculis nasoque carentem.* 7. Pensitatis omnibus, quae de h. v. disputarunt Pinzg. et Web., huius sententiae accedo, quod ad v. *Corvinum* cum vi repetitum attinet, et cum illo v. *contingere* satis firmatum a Cd. Che-

Fumosos equitum cum dictatore magistros,
Si coram Lepidis male vivitur? Effigies quo
Tot bellatorum, si luditur alea pernox
Ante Numantinos? si dormire incipis ortu
Luciferi, quo signa duces et castra movebant?
Cur Allobrogicis et magna gaudeat ara
Natus in Herculeo Fabius lare, si cupidus, si
Vanus et Euganea quantumvis mollior agna?
Si tenerum attritus Catinensi pumice lumbum
Squalentes traducit avos emptorque veneni
Frangenda miseram funestat imagine gentem?
Tota licet veteres exornent undique cerae
Atria, nobilitas sola est atque unica virtus.
Paullus vel Cossus vel Drusus moribus esto:
Hos ante effigies maiorum pone tuorum!
Praecedant ipsas illi, te consule, virgas.
Prima mihi debes animi bona. Sanctus haberi
Iustitiaeque tenax factis dictisque mereris,
Agnosco procerem. Salve; Gaetulice, seu tu
Silanus, quocunque alio de sanguine rarus
Civis et egregius patriae contingis ovanti:

mnic. Schol. retinendum suadeo nec in *deducere* mutandum cum Cdd. aliq. *Virgam* recte interpretatur Web. de ramis s. lineis in tabula genealogica discurrentibus ad imagines pictas et cognationes signantibus. Cd. Scriverii, Chemnic. et tertius Oberlini (Ovid. Epp. ex Ponto p. XV.) habent *Fabricium*, quod substitutum est ab iis, quibus displicebat Corvinus iteratus. Sex mei Cdd. hunc v. omittunt satis defensum a Pinzg. Habet eum praestans Cd. Einsiedl. G. in ima pagina a manu secunda, sed perantiqua. Is quoque *contingere*. Tum ABCDEG. *Famosos*, unus P. recte *fumosos*. 13. Q. Fabius Max. Allobrogicus, consul u. c. 632. filium habuit Q. Fab. Max. Persicum, cui ob perditam luxuriam Q. Pompeius, praetor urbanus, paternis bonis interdixit. Val. Max. 3, 5, 2, 3, 6, 627. Fabius, auctor gentis Fabiae, ex Hercule et Vinduna, Evandri filia, natus perhibebatur. Sil. 2, 3. 15. *Ara magna* frequentius *maxima*. Attamen Tacit. Ann. 15, 41. *Magna ara fanumque, quae praesenti Herculi Arcas Euander sacraverat. Euganei* populus inter Athesin et Larium lacum. 16. *Catina* s. Catana Siciliae opp. prope Aetnam. 17. *traducit*] „*dedecorat.*" Schol. — *producit* omnes mei. 21. *Paulus* Aemiliae, *Cossus* Corneliae, *Drusus* Claudiae gentis cognomina. 24. „*mihi debes*] ὀφλισκάνεις μοι, posco a te." G. E. Weberus. 26. *Agnosco procerem*] „Si honestus fueris, tunc te principem meae civitatis dicam." Schol. recte, prorsus ut Web., ad verbum *mereris*, post quod vulgo interrog. signum ponunt, *si* supplens. Tum idem Schol. satis vindicat omnium Cdd. lect. *procerem*. Quia fere unicum hoc exemplum v. *procer* num. sing., Reisigius volebat: *Agnosco. Procerum, salve Gaetulice.* — *Gaetulicus* cognomen C. Cornelii Lentuli Cossi Flor. 4, 12, 40. *Silanus* cognomen Iuliae gentis. 28. „contingis patriae de te sibi congratulanti." Talem si te

Exclamare libet, populus quod clamat Osiri
Invento. Quis enim generosum dixerit hunc, qui
Indignus genere et praeclaro nomine tantum
Insignis? Nanum cuiusdam Atlanta vocamus:
Aethiopem Cycnum: parvam extortamque puellam,
Europen; canibus pigris scabieque vetusta
Levibus et siccae lambentibus ora lucernae,
Nomen erit pardus, tigris, leo, si quid adhuc est,
Quod fremat in terris violentius. Ergo cavebis
Et metues, ne tu sis Creticus aut Camerinus. —
His ego quem monui? Tecum est mihi sermo, Rubelli
Blande. Tumes alto Drusorum stemmate, tamquam
Feceris ipse aliquid, propter quod nobilis esses,
Ut te conciperet, quae sanguine fulget Iuli,
Non quae ventoso conducta sub aggere texit.
„Vos humiles," inquis, „volgi pars ultima nostri,
Quorum nemo queat patriam monstrare parentis:
Ast ego Cecropides." Vivas et originis huius
Gaudia longa feras: tamen ima plebe Quiritem
Facundum invenies; solet hic defendere causas
Nobilis indocti, veniet de plebe togata,

re vera praebes, tunc exclamare libet, *εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν*." Web. aliter distinxit: *patriae contingis, ovanti Exclamare libet* cet. Sed haec ratio ideo minus concinna est, quod duae sic exclamationes fiunt mire inter se connexae. 1) *Salve Gaetulice* cet. 2) *εὑρήκαμεν* cet. „Colon post *ovanti* posui pro puncto, quod ante Web. erat." G. E. Weberus. 32. *quoiusdam* C. et idem Cod. saepe *quoius*, *quoi*, *quom*. 33. *Cycnum*] sic scripsi ut ambigue et sit herois nomen et candidum significet. Vulgo *cycnum*: sed concinnitas nom. pr. requirit, ut *Atlanta*, *Europen* (*Europam* F. solus inter meos.) Saepe autem servis heroum, regum cet. nomina imponebantur; cfr. Inscriptt. meas Lat. N. 2783. Mox *parvam* omnes mei Ach. Web. *pravam* cum Cdd. aliq. haud scio an invitus Rup. 37. *fremit* ADF. Ib. *Ergo cavebis*] Est allocutio ad lectorem, non ad nobiles v. 26. 27. 38. nominatos. 38. Sic omnes mei. — *ne sis tu* Cd. Schurzfl. — *ne tu sic* Iunii et Schrad. coni. *Creticus* cognomen C. Caecilii Metelli, Consulis u. c. 684. *Camerinus* cognomen Sulpiciae gentis. 39. *C. Rubellius Blandus* (Plautus) *per maternam originem pari ac Nero gradu a D. Augusto*. Tac. Ann. 13, 19. filius scil. Rubellii Blandi et Iuliae, quae fuit filia Drusi, neptis Liviae et proneptis Liviae Augustae. — Tacitus contra: A. 14. 22. *Ipse placita maiorum colebat, habitu severo, casta et secreta domo. Plaute* h. l. dedit Hennin. 42. *sub aëre* FG. *aggerem* intellige a Tarquinio Superbo structum a Collina porta usque ad Esquilinam, ubi viliores et paupertini agebant. Sat. 6, 588. *Plebeium in circo positum est et in aggere fatum*. v. Nardini *Roma antica* ed. Nibby. Roma 1818. Vol. 2. p. 15. 43. *inquit* A. a sec. manu. 45. „*Cecropides*] vetus civis Romanus, ut, qui cum Cecrope in Atticam venissent, Athenarum primi incolae fuerunt." G. E. Weberus.

Qui iuris nodos et legum aenigmata solvat.
Hic petit Euphraten iuvenis domitique Batavi
Custodes aquilas, armis industrius: at tu
Nil nisi Cecropides truncoque simillimus Hermae:
Nullo quippe alio vincis discrimine, quam quod
Illi marmoreum caput est, tua vivit imago.
Dic mihi, Teucrorum proles, animalia muta
Quis generosa putat nisi fortia? Nempe volucrem
Sic laudamus equum, facili cui plurima palma
Fervet et exsultat rauco victoria circo.
Nobilis hic, quocunque venit de gramine, cuius
Clara fuga ante alios et primus in aequore pulvis.
Sed venale pecus Corythae posteritas et
Hirpini, si rara iugo Victoria sedit.
Nil ibi maiorum respectus, gratia nulla
Umbrarum: dominos pretiis mutare iubentur
Exiguis, trito ducunt epiredia collo
Segnipedes dignique molam versare Nepotis.
Ergo, ut miremur te, non tua, primum aliquid da,
Quod possim titulis incidere praeter honores,
Quos illis damus ac dedimus, quibus omnia debes.
  Haec satis ad iuvenem, quem nobis fama superbum
Tradit et inflatum plenumque Nerone propinquo.
Rarus enim ferme sensus communis in illa
Fortuna. Sed te censeri laude tuorum,
Pontice, noluerim, sic ut nihil ipse futurae
Laudis agas. Miserum est alienae incumbere famae,

62. *Corythae*] Sic FG. Vulgo. — *coritae* AC. — *corithe* BDE. — *Coryfe* Schol., unde Schurzfl. seculi Weberi ambo non male *Coryphaei;* quum vix excogitari possit „cur *Corythae*, non *Corythi* scriptum sit et priores syllabae, quae breves sunt apud Virg. *Aen.* 7, 209. 9, 10. et 719., h. l. producantur. Si scriptura *Corythae* vera est, equum intelligo in monte Corytho vel in regione prope Corythum, Etruriae urbem, nutritum." Haec ille. Ambiguum item nomen Hirpini (*Harpini* F.), utrum ab Hirpinis populo Italiae, contiguis Samnitibus, an, quod vult Web., ab ἵρπος, i. e. ἅρπος, ἅρπαξ, lupus, in lingua Sabinorum. Equorum varia nomina habes in Inscriptt. meis Lat. N. 824. 2593. 4322. 66. *triloque ducunt* T. al. Scrib. *epiredia* vel *epirrhedia*, non vero *epirhedia*. Cfr. Quint. 1, 5, 68. et Schneid. *lat. Gr.* 1, p. 212. Sunt lora iugi in rheda. 67. *Nepos* molitor, Martiali quoque memoratus. 68. *privum* Salmas. coni. 70. *ac dedimus*] Sic ABEFG. — *aut ded.* CD. — *et ded.* Vulgo. — *et dabimus* Markl. 71. *nobis stemma* Iacobsii suspicio. 73. — *sensum communem* Schol. interpretatur „animum non inflatum," ut alii „popularitatem." Sed est potius *le sens commun*,

Ne collapsa ruant subductis tecta columnis.
Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos.
Esto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer, ambiguae si quando citabere testis
Incertaeque rei; Phalaris licet imperet, ut sis
Falsus, et admoto dictet periuria tauro,
Summum crede nefas animam praeferre pudori
Et propter vitam vivendi perdere causas.
Dignus morte perit, coenet licet ostrea centum
Gaurana et Cosmi toto mergatur aëno.
Exspectata diu tandem provincia quom te
Rectorem accipiet, pone irae frena modumque,
Pone et avaritiae: miserere inopum sociorum:
Ossa vides regum vacuis exsucta medullis.
Respice, quid moneant leges, quid curia mandet;
Praemia quanta bonos maneant; quam fulmine iusto
Et Capito et Numitor ruerint, damnante senatu,
Piratae Cilicum. Sed quid damnatio confert,
Quom Pansa eripiat, quidquid tibi Natta reliquit?
Praeconem, Chaerippe, tuis circumspice pannis
Iamque tace. Furor est post omnia perdere naulum.
Non idem gemitus olim neque volnus erat par
Damnorum sociis florentibus et modo victis.
Plena domus tunc omnis et ingens stabat acervus
Nummorum, Spartana chlamys, conchylia Coa,
Et cum Parrhasii tabulis signisque Myronis
Phidiacum vivebat ebur nec non Polycleti

gesunder Menschenverstand. Cfr. Spalding ad Quintil. 1. p. 44. (laud. Rup.) 85. „Is, qui morte dignus est, perit. Tac. Ann. 6, 6. Tiberii literarum initium: *Quid scribam vobis, P. C., aut quomodo scribam aut quid omnino non scribam hoc tempore, dii me deaeque peius perdant quam perire me quotidie sentio, si scio.*" G. E. Weberus. — *centum licet ostrea coenet* C. 86. *a Gauro* (Gierro) Campaniae monte. *Cosmus* unguentarius. 90. — *exusta* AC. Margo D. — *exsusta* G. cum Gloss.: „exsiccata, sicca." — *exuta* BDEF. — *exhausta* Margo item D. 93. *Cossutianus Capito*, Tigellini gener, Ciliciae praefectus, lege repetundarum damnatus. Tac. Ann. 13, 33. De *Numitore* nihil constat, nisi quod nominatur etiam Sat. 7, 74. *Tutor* pro *Numitor* habent BCDG. Achaintre. *Iulius Tutor* Trevir ripae Rheni, non Ciliciae a Vitellio praefectus memoratur Tacito H. 4, 55. 94. *Piratae et Cilicum* F. 95. *Pansa* et *Natta* ignota praesidum nomina. 96. *Chaerippus* Cilix. 99. „*sociis*] dativus, non ablat. absol." G. E. Weberus. 101. vestes purpureae Laconicae et Coae. 104. *Mentor* caelator, qui scyphos praecipue exquisita arte caelabat. Cic. Verr. 4, 18.

Multus ubique labor; rarae sine Mentore mensae.
Inde Dolabella est atque hinc Antonius, inde
Sacrilegus Verres; referebant navibus altis
Occulta spolia et plures de pace triumphos.
Nunc sociis iuga pauca boum, grex parvus equarum
Et pater armenti capto eripietur agello;
Ipsi deinde Lares, si quod spectabile signum,
Si quis in aedicula deus unicus. Haec etenim sunt
Pro summis: nam sunt haec maxima. Despicias tu
Forsitan imbelles Rhodios unctamque Corinthum:
Despicias merito. Quid resinata iuventus
Cruraque totius facient tibi levia gentis?
Horrida vitanda est Hispania, Gallicus axis
Illyricumque latus: parce et messoribus illis,
Qui saturant Urbem circo scaenaeque vacantem.
Quanta autem inde feres tam dirae praemia culpae,
Quom tenues nuper Marius discinxerit Afros?
Curandum in primis, ne magna iniuria fiat
Fortibus et miseris. Tollas licet omne quod usquam est
Auri atque argenti: scutum gladiumque relinques
Et iacula et galeam; spoliatis arma supersunt.
Quod modo proposui, non est sententia; verum

105. Tres Dolabellae memorantur infames provinciarum direptores, in quibus P. Cornelius Dolabella Ciceronis gener. Cic. Philipp. 11, 2. Rup. coni. *Dolabellae atque* cum hiatu, quales utique apud Iuvenalem reperiuntur. v. eund. ad 1, 151.; sed in eorum numero augendo magna sane cautione opus est critico. Ceterum, ut nos, F. E. a sec. manu. — *Dolabella atque* ABCDE. (a pr. m.) G. — *Dolabellas atque*, ut volebat Scaliger, D. a sec. manu. Admodum in his vv. haeserunt interpretes, adeo ut fuerit, qui interpretaretur *est*, „edit scil. e patinis illis pretiosis, operibus Mentoris." Recte G. E. Weberus: „Coniunge: *Inde Dolabella* cet. *sacrilegus est*;" ut *sacrilegus* non quemadmodum vulgo accipiunt, *est* pro *exstitit* interpretantes, ad unum Verrem referatur. 106. *referebat* F. 109. *eripietur*] ABCDEFG. Achaintre. — *eripiatur* Vulgo. 111. 112. utrumque versum pro spurio, sine caussa, opinor, habuerunt Manso et Rup. Condonandum erat aliquid rhetori amplificationes captanti. Defendunt hos verss. etiam Web. et Pinzg. Diss. p. 18. coniiciens: *Haecce tamen sunt;* quod probare non queo. Sententia haec est: Haec enim, vilia sane, nunc summa illorum sunt bona, nám reapse nunc sunt maxima et unica prope, quae miseris sociis relicta sint, quum omnes res maioris pretii iamdudum abstulerint veteres illi provinciarum praedatores. Quod si igitur haec quoque iis eripias, despicere fortasse poteris imbelles Rhodios, sed timenda tibi erit ultima desperatio bellicosorum provincialium. Cfr. E. G. Weberum. 113. *Corinthon* DEFG. 114. *quid enim resinata* F. C. a sec. m. D. in marg. adversante metro. 116. „*axis*, caeli tractus." Rup. 117. i. e. Afris. 120. *Marius Priscus* u. c. 853. a Plinio iuniore repetundarum accusatus (Plin. Epp. 2, 11 et 12.) atque exilio multatus.

Credite me vobis folium recitare Sibyllae.
Si tibi sancta cohors comitum; si nemo tribunal
Vendit Acersecomes; si nullum in coniuge crimen
Nec per conventus et cuncta per oppida curvis
Unguibus ire parat nummos raptura Celaeno:
Tunc licet a Pico numeres genus; altaque si te
Nomina delectant, omnem Titanida pugnam
Inter maiores ipsumque Promethea ponas;
De quocunque voles proavum tibi sumito libro.
Quod si praecipitem rapit ambitio atque libido,
Si frangis virgas sociorum in sanguine, si te
Delectant hebetes lasso lictore secures:
Incipit ipsorum contra te stare parentum
Nobilitas claramque facem praeferre pudendis.
Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto maior, qui peccat, habetur.
Quo mihi te solitum falsas signare tabellas
In templis, quae fecit avus, statuamque parentis
Ante triumphalem? quo, si nocturnus adulter
Tempora Santonico velas adoperta cucullo?
Praeter maiorum cineres atque ossa volucri
Carpento rapitur pinguis Lateranus et ipse,

124. *iaculum* F. 125. Ut nos, omnes mei. Ante Rup.: *non est sententia; verum est.* -*Credite* cet. Sed explicandum: *non est sententia* haec rhetorica, exaggeratio, ut Petronius laudante iam Pithoeo, „*sententiarum vanissimum strepitum*," „*sententias, id est, vitream fractam et somniorum interpretamenta* cet." dixit, vel etiam, ut Schol. „non sunt nuda verba; nam in sententia solet interdum aliquid esse falsi, sed est oraculum verum." Hoc quum minime assecutus esset interpolator Cod. Scriver., locum sic refinxit: *Quod modo proposui, non est sententia nostra: Credite*, prob. Pinzg. Diss. p. 4. 128. *Acersecomes*, puer delicatus, amasius. 130. de Harpyiis v. Aen. 3, 211. 131. *Picus* Aboriginum rex, pater Fauni, avus Latini. 133. *pingas* DE. 135. *ambitus* BDEF. Achaintre. 145. Martial. 14, 128, 1. *Gallia Santonica vestit te bardocucullo.* 147. (151. 167.) *Lateranus*] pauci Codd. Significatur fortasse Plautius Lateranus, Messalinae adulter, consul designatus u. c. 819., qui quum in Neronem coniurasset, ab eo interfectus est. *Damasippus* ABCDEFG. Rup., nomen quidem Romanum, sed h. l. fictitium, quippe quum nullus unquam Damasippus consul fuerit, ac mutuo sumptum ex v. 84. In mira hac varietate Heinrich duplicis recensionis vestigium (cfr. 7, 139.) animadvertere ratus erat, nunc vero eo propendet, ut ipsi Iuvenali solam tribuat lectionem *Lateranus*, monachis alteram. v. Franck. Exam. p. 129. Piae scil. aures profanam istam *Laterani* mentionem perhorrescebant. Cfr. Sat. 10, 17. *Temporibus diris igitur iussuque Neronis Longinum et magnos Senecae praedivitis hortos Clausit et egregias Lateranorum obsidet aedes Tota cohors: rarus venit in coenacula miles.* 148. *stringit* CF.

Ipse rotam adstringit multo sufflamine consul:
Nocte quidem; sed luna videt, sed sidera testes
Intendunt oculos. Finitum tempus honoris
Quom fuerit, clara Lateranus luce flagellum
Sumet et occursum nunquam trepidabit amici
Iam senis ac virga prior annuet atque maniplos
Solvet et infundet iumentis hordea lassis.
Interea, dum lanatas robumque iuvencum
More Numae caedit Iovis ante altaria, iurat
Solam Eponam et facies olida ad praesepia pictas.
Sed, quom pervigiles placet instaurare popinas,
Obvius assiduo Syrophoenix udus amomo
Currit, Idumaeae Syrophoenix incola portae,
Hospitis affectu dominum regemque salutat
Et cum venali Cyane succincta lagena.
   Defensor culpae dicet mihi: „Fecimus et nos
Haec iuvenes." Esto. Desisti nempe nec ultra
Fovisti errorem. Breve sit, quod turpiter audes.
Quaedam cum prima resecantur crimina barba;
Indulge veniam pueris: Lateranus ad illos
Thermarum calices inscriptaque lintea vadit,

149. „*testes* trahe simul ad *lunam* et *sidera*." G. E. Weberus. 152. „Coniunge *nunquam iam trepidabit.*" G. E. Weberus. Mihi videtur potius significare: excusatio scil. aliqua ei parata esset, si minus eum puderet amici iuvenis; sed id summam indignationem movet, quod impudentem se gerit coram *amico iam sene*. Martialis 8, 18. *tibi tantus inest veteris respectus amici.* 152. *nusquam* EF. 155. *robumque iuvencum* i. e., ex antiqua sacerdotum formula, *rufum*. Lectio debetur Schol. Sangallensi. Vide omnino Cramerum. Vocab. haud intellectum abiit in *probumque*, *furvumque*, *torvumque* (sic mei septem, et Vulgo). Etiam *lanatus* est fere ex sermone pontificali, quum in Actis fratrum Arvalium saepe commemorentur VERVECES ALTILANEI. 157. *Solam* (F. punctis infra positis) *Hipponam* CF. Alii *Hipponam* legentes omittunt *Solam*. Sed de *Epona* dea equorum, asinorum, stabulorum ac mulionum praeside satis constat ex Apul. Met. 3. 97. Minuc. Fel. Octav. 26. Tertull. Apol. 16. cet. atque Inscriptionibus; cfr. in primis Heinsium ad Prudent. p. 68. cum Add.; non item, utrum eadem fuerit cum *Hippone* vel *Hippona*, an diversa. Novum deinde atque inauditum *Equeiadis*, equorum asinorumque deae nomen in imaguncula Sirmii a. 1807. eruta reperisse sibi visus est Cattaneus; sed Ciampius (in *Biblioteca Italiana* Tom. 19.) demonstratum ivit, pro *Equeias* legendum fuisse *Equetas* barbare scriptum pro *Equitas*. 160. *Idumaea porta* diverse exponitur: 1) portus vel emporium aliquod ipsius Idumaeae, contra consuetudinem loquendi, quae perspicitur ex loco Plinii H. N. 5, 7. *Taurus ubi dehiscit seque populis aperit, portarum tamen nomine unitatem sibi vindicans, quae alibi Armeniae, alibi Caspiae, alibi Ciliciae vocantur.* 2) ut *porta* significet locum pervium, h. l. epitheto *Idumaea* adiuncto, arcum triumphalem Titi, de quo vide Nardini *Roma antica*, ed. Nibby. T. I. p. 305. Pro *currit*, *curret*

Maturus bello, Armeniae Syriaeque tuendis
Amnibus et Rheno atque Istro. Praestare Neronem
Securum valet haec aetas. Mitte Ostia, Caesar,
Mitte: sed in magna legatum quaere popina.
Invenies aliquo cum percussore iacentem,
Permixtum nautis et furibus ac fugitivis,
Inter carnifices et fabros sandapilarum
Et resupinati cessantia tympana Galli:
Aequa ibi libertas, communia pocula, lectus
Non alius cuiquam nec mensa remotior ulli.
Quid facias talem sortitus, Pontice, servum?
Nempe in Lucanos aut Tusca ergastula mittas.
At vos, Troiugenae, vobis ignoscitis et quae
Turpia cerdoni, Volesos Brutumque decebunt.
Quid, si nunquam adeo foedis adeoque pudendis
Utimur exemplis, ut non peiora supersint?
Consumptis opibus vocem, Damasippe, locasti
Sipario, clamosum ageres ut Phasma Catulli.
Laureolum velox etiam bene Lentulus egit,
Iudice me, dignus vera cruce. Nec tamen ipsi
Ignoscas populo: populi frons durior huius,

AB. 162. *Cyane* tabernaria. 166. *resecantur*] A. a sec. m. BD. G. a pr. manu, aptius quam vulgo *resecentur*. Illud est: „per se omittuntur adulta aetate. Hinc sane indulge pueris ea committentibus, mox ultro relicturis." *Resecentur* contra, „omittenda sunt," accommodatum videtur ad seq. imperativum. *barba*: „in barbitondio." Gloss. Einsiedl. 168. *inscriptaque lintea*] pictum velum s. siparium ante ostium tabernae, thermopolii, cauponae, popinae suspensum, in quo erant tituli rerum venalium, invitationes praetereuntium, veluti haec Lugduni reperta (Inscriptt. Lat. N. 4329.) *Mercurius hic lucrum promittit, Apollo salutem: Septumanus hospitium cum prandio. Qui venerit, melius utetur. Post, hospes ubi maneas, prospice.* Ea igitur in taberna alea offerebatur, iatralipta, hospitium, prandium. 173. *percussore*] „sicario aut gladiatore." Schol. 180. *mittes* F. 182. *Volusos* CDF. Volesus Sabinus pater P. Valerii Poplicolae et auctor gentis Valeriae, quam cum Tatio Romam venisse tradit Dionys. Hal. 2, 46. 186. mimus Q. Lutatii Catulli Urbicarii, compositus ad exemplum Menandri. 187. „Altera Catulli fabula Laureolus erat, sic nominata a latronum duce, qui captus in cruce necabatur. Cfr. Sat. 13, 111. *fugitivus* (h. l. *velox*) *scurra Catulli*. Lentulus, non mimographus, sed nobilis est, homo perditissimus et Laureoli moribus atque ingenio simillimus, ut hac de causa eius personam bene agere posset.' Web. Ad hunc Catullum Urbicarium refertur Martialis Epigramma (5, 30.) *Varro, Sophocleo non infitiande cothurno Nec minus in Calabra suspiciende lyra, Differ opus, nec te facundi scaena Catulli Detineat, cultis aut Elegia comis. Sed lege fumoso non aspernanda Decembri Carmina, mittuntur quae tibi mense suo; Commodius nisi forte tibi potiusque videtur Saturnalitias perdere, Varro, nuces.*

Qui sedet et spectat triscurria patriciorum,
Planipedes audit Fabios, ridere potest qui
Mamercorum alapas. Quanti sua funera vendant,
Quid refert? Vendunt nullo cogente Nerone
Nec dubitant Celsi praetoris vendere ludis.
Finge tamen gladios inde atque hinc pulpita pone:
Quid satius? Mortem sic quisquam exhorruit, ut sit
Zelotypus Thymeles, stupidi collega Corinthi?
Res haud mira tamen, citharoedo principe, mimus
Nobilis. Haec ultra quid erit nisi ludus? Et illic
Dedecus Urbis habes nec mirmillonis in armis,
Nec clypeo Gracchum pugnantem aut falce supina,
(Damnat enim tales habitus, et damnat et odit:)
Nec galea faciem abscondit; movet ecce tridentem,
Postquam librata pendentia retia dextra
Nequidquam effudit, nudum ad spectacula voltum
Erigit et tota fugit agnoscendus arena.

190. *triscurria*, ut Laberii *dictabolaria* (Fronto Ed. Rom. p. 240.), ex eo genere est vocabulorum, quae ioci causa a mimographo aliquo inventa, deinde in sermone populari remanebant; sic *triscurrium*, „triplex, mera scurrilitas." *transcurria* Scaligeri ipsi significare posse videbatur „patricios transisse ad scurras." 191. *Planipedes* sine cothurnis et soccis. Locus classicus de fabulis Rom. exstat ap. Io. Lydum de magistr. Rom. 1, 40: *ὁ δὲ μῦθος τέμνεται εἰς δύο, εἰς κρηπιδάταν καὶ πραιτεξτάταν, ὧν ἡ μὲν κρηπιδάτα ἑλληνικὰς ἔχει ὑποθέσεις· ἡ δὲ πραιτεξτάτα ῥωμαϊκάς· ἡ μέντοι κωμῳδία τέμνεται εἰς ἑπτά, εἰς παλλιάταν, τογάταν, ἀτελλάνην, ταβερναρίαν, Ῥινθωνικήν, πλανιπεδαρίαν καὶ μιμικήν· καὶ παλλιάτα μέν ἐστιν ἡ ἑλληνικὴν ὑπόθεσιν ἔχουσα κωμῳδία, τογάτα δὲ ἡ ῥωμαϊκὴν ἀρχαίαν· ἀτελλάνη δέ ἐστιν ἡ τῶν λεγομένων ἐξοδιαρίων· ταβερναρία δὲ ἡ σκηνωτὴ ἢ θεατρικὴ κωμῳδία· Ῥινθωνικὴ ἡ ἐξωτική· πλανιπεδαρία ἢ καταστολαρία, μιμικὴ ἡ νῦν δῆθεν μόνη σωζομένη, τεχνικὸν μὲν ἔχουσα οὐθὲν λόγῳ, μόνον τὸ πλῆθος ἐπάγουσα γέλωτι.* de quo loco videsis *Reuvens* Collectanea litteraria Lugd. Bat. 1815. pag. 26. seqq. et *Osanni* Analecta p. 69. seqq. 194. *Celsi* pro nom. propr., quod sane concinnius est, habuisse videtur iam Schol.: „Ignobilioris, quam ipsi sunt." Intelligunt autem Pinzg. et Web. P. Iuventium Celsum, ICtum nobilem, praetorem a. u. c. 854. — *celsi* Vulgo. 195. *poni* coni. Rup. 197. *Zelotypus* i. e. Latinus; cfr. Sat. 1, 36. *Thymele*, *Corinthus* (ut *C. Aurelius Olympus*, Cic. Verr. L. 1, 48, *Corinthius*, Heinr.) omnes ex histrionum numero. 199. *Et illic*] Sic ABCEG, „*Et* re vera *illic* in ludo gladiatorio et, quod consequens est, in arena *habes*, videre potes depugnantem Gracchum (nobilem nobis ignotum), perditum hominem, verum urbis dedecus." Contra DF. Rup. Weberi ambo: *Et illud* i. e. „Etiam illud dedecus urbis habes, experiri potes nobiles gladiatores factos, Gracchum v. c. pugnantem cet." Prior tamen ratio nobis praestabilior videtur. 201. *clypeo*, ut secutor; *falce*, ut Threx. 202. *et damnat*] Sic sex mei. „Contemptim loquitur de mirmillonis, secutoris, Threcis habitu; et non solum hoc facit, sed eos habitus etiam *odit*,

Credamus tunicae, de faucibus aurea quom se
Porrigat et longo iactetur spira galero.
Ergo ignominiam graviorem pertulit omni
Volnere cum Graccho iussus pugnare secutor.
  Libera si dentur populo suffragia, quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam praeferre Neroni?
Cuius supplicio non debuit una parari
Simia nec serpens unus nec culeus unus.
Par Agamemnonidae crimen; sed causa facit rem
Dissimilem: quippe ille deis auctoribus ultor
Patris erat caesi media inter pocula; sed nec
Electrae iugulo se polluit aut Spartani
Sanguine coniugii; nullis aconita propinquis
Miscuit; in scaena nunquam cantavit Orestes;
Troica non scripsit. Quid enim Verginius armis
Debuit ulcisci magis aut cum Vindice Galba?
Quid Nero tam saeva crudaque tyrannide fecit?

aversatur." Inepti aliquid in tota hac ratione reperisse videntur ii, qui cum Cd. G. (quod Rup. secutus est) scripserunt: *sed damnat et odit*; verum deteriorem etiam constructionem fecerunt; nulla enim vera oppositio est inter *damnat*)(*sed damnat et odit:* cogitarunt fortasse: „sed non solum damnat, verum etiam odit:" quod tamen ipsum rectam sententiam haud efficit. Iam Weberus distinctione iuvare studuit poëtam; hac videlicet: *Damnat enim tales, habitus et damnat et odit;* „irridet, inquit, nobilem illum, quippe qui non solum mirmillonem, secutorem et Threcem, qui melioris ipso sint conditionis, sed eorum etiam armaturam despiciat, qua tectus ipse ignominiam effugere possit. *Tales* igitur sunt mirmillo, secutor, Threx." — Sed et durissima ratione divelluntur vv. *tales habitus* nec in ipsa Web. lectione ullā inest recta oppositio. Nec tamen subditicius est versiculus, quo commodissimo remedio defunctus est Rup. Mihi in mentem aliquando venit: *Damnat enim tales habitus: se damnat et odit;* contemnit enim tales habitus, honestiores tamen suo: quod quum facit, quid aliud, quaeso, facit, quam ut se quoque ipsum improbiorem etiam illis damnet atque despiciat? Hoc scil. est *odisse, nicht leiden können*, „detestari;" ut saepe. Sed quum haec quoque ratio contorti nescio quid habeat, exsistet fortasse, qui similem versiculum Horatii *Epist.* 1, 7, 2. *Prodigus et stultus donat, quae spernit et odit* afferens a Iuvenale scriptum contendat: *Damnat enim tales habitus et spernit et odit;* rectum autem verbum *spernit* in hac accumulatione rhetorica nescio quo casu obliteratum, inani repetitione praecedentis verbi *damnat* a magistro aliquo suppletum esse. Hic quoque habebit, quo se defendet in solvendo hoc nodo nondum satis extricato. 204. *vibrata* ABCDEFG. Sed dextera potest *librari*, *vibrari* non potest. 207. „Res ipsa si incredibilis videtur, ex tunica tamen Saliari aureis segmentis ac fibulis ornata et pulcherrima fascia, quibus galerum sub mento stringit, pro certo colligemus nobilem hominem nos vidisse depugnare." 214. *culeus* DF. = *culleus* ABCEG. 221. *Verginius Rufus*, Germaniae inferioris legatus, *Iulius Vindex*, qui Gallias pro praetore obtinebat, et *Servius Galba* Hispaniae Tarraconensis praefectus a Nerone desciverunt. 223. *Nero in tam* A.

Haec opera atque hae sunt generosi principis artes,
Gaudentis foedo peregrina ad pulpita saltu
Prostitui Graiaeque apium meruisse coronae.
Maiorum effigies habeant insignia vocis:
Ante pedes Domiti longum tu pone Thyestae
Syrma vel Antigones seu personam Melanippes
Et de marmoreo citharam suspende colosso.
   Quid, Catilina, tuis natalibus atque Cethegi
Inveniet quisquam sublimius? Arma tamen vos
Nocturna et flammas domibus templisque parastis,
Ut Bracatorum pueri Senonumque minores;
Ausi, quod liceat tunica punire molesta.
Sed vigilat Consul vexillaque vestra coërcet.
Hic novus Arpinas, ignobilis et modo Romae
Municipalis eques galeatum ponit ubique
Praesidium attonitis et in omni gente laborat.
Tantum igitur muros intra toga contulit illi
Nominis ac tituli, quantum non Leucade, quantum
Thessaliae campis Octavius abstulit udo
Caedibus assiduis gladio. Sed Roma parentem,
Roma patrem patriae Ciceronem libera dixit.
Arpinas alius Volscorum in monte solebat
Poscere mercedes alieno lassus aratro;
Nodosam post haec frangebat vertice vitem,
Si lentus pigra muniret castra dolabra;

225. *saltu*] ABDEFG. — *cantu* C. 228. Nero fuit ex gente *Domitia* et familia Aënobarborum. 229. Graecas formas habent mei omnes, alii Latinas. Verum de Graeca scaena, cui Nero operam dedit, hic sermo est. Ceterum sex mei: *tu personam* pro *seu p.* Scripsi *Melanippes* pro vulgato *Menalippes.* v. Interprett. Ex Melanippes, Desmontis filia, Neptunus procreavit Boeotum et Aeolum. Desmontes filiam excaecavit et in munimento conclusit, infantes autem feris proiici iussit. His quum vacca ubera praestitisset, armentarii eos educarunt. Adulti quum essent, varios post eventus matrem, cui Neptunus oculorum lumen restituit, custodia liberarunt. v. Hyg. Fab. 186. Tragoediae de Melanippe exstabant Euripidis, Ennii, Accii. v. Cic. Tusc. 3, 9. Offic. 1, 31. — Pauci Codd. et Schol. *Menalippi* i. e. *Melanippi*, quem Tydeus, cui letale vulnus adegerat, occidit truncumque eius caput arrosit. v. Stat. Theb. 8, 719. 234. *Bracati* incolae Galliae Narbonensis, quae *bracata* etiam dicebatur: *Senones* Lugdunenses. 235. *tunica molesta*] „Vestis ex charta („sparto" Cram.) facta, pice illita, in qua ignis poenae addicti ardere solent." Schol. 239. *omni gente* pro universa; summo labore cunctum populum Ro. servare studet. Aliter explicat G. E. Weberus: „in omni gente, intra et extra Italiam; constat enim coniuratos etiam barbaros, v. c. Allobroges, coniungere sibi studuisse, quorum consilia irrita

Hic tamen et Cimbros et summa pericula rerum
Excipit et solus trepidantem protegit Urbem.
Atque ideo postquam ad Cimbros stragemque volabant,
Qui nunquam attigerant maiora cadavera, corvi,
Nobilis ornatur lauro collega secunda.
Plebeiae Deciorum animae, plebeia fuerunt
Nomina: pro totis legionibus hi tamen et pro
Omnibus auxiliis atque omni pube Latina
Sufficiunt Dis infernis Terraeque parenti;
Pluris enim Decii, quam quae servantur ab illis.
Ancilla natus trabeam et diadema Quirini
Et fasces meruit, regum ultimus ille bonorum.
Prodita laxabant portarum claustra tyrannis
Exsulibus iuvenes ipsius consulis et quos
Magnum aliquid dubia pro libertate deceret,
Quod miraretur cum Coclite Mucius et quae
Imperii fines, Tiberinum, virgo natavit.
Occulta ad Patres eduxit crimina servus
Matronis lugendus: at illos verbera iustis
Afficiunt poenis et legum prima securis.
  Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Aeacidae similis Volcaniaque arma capessas,
Quam te Thersitae similem producat Achilles.
Et tamen, ut longe repetas longeque revolvas
Nomen, ab infami gentem deducis asylo

fecit Cicero." Ridiculae sunt lectiones Schol. memoratae: *mente*, *ponte*. 241. *ac*] ABCDEG. *et* F. Vulgo. *Leucas* opp. Leucadiae peninsulae 240 stadia distabat ab *Actio*. 245. i. e. Marius. *Arpinum* in Volscis situm erat. 247. *vitem*] „A centurione vapulando suo vertice frangi patiebatur Marius vitem, quum militabat." Schol. 253. Q. Lutatius Catulus. 254. v. Liv. 8, 9. 10, 28. Cic. Tusc. 1, 37. Fin. 2, 19. 256. *pube*] ACFG. — *plebe* BDE. 258. *quam qui* non male ABCDEF. — *quae* tamen habet G. et habuisse videtur Schol. Sangall. ita interpretatus: „Plus meriti habentur (habent ?) Decii apud deos, dum hi se pro patria voverunt, quam habet ipsa patria apud deos meriti, quae servata est." 260 Servius Tullius ex Ocrisia, Corniculana captiva, natus. 266. *Vindicius*, s. *Vindex* v. Liv. 2, 5. Ib. *eduxit*] omnes septem mei cum multis aliis; idque verum existimo. Similiter *eductus ad consules* ap. Cic. pro Plancio 23. corruptum fuit in *adductus*, ut h. l. editiones occupat *produxit*. Codd. 2. *conduxit*, unus *deduxit*. 268. *Afficiunt legum poenis et prima securis*; Rupertii suspicio admodum languida. „Quia primus consul Brutus secures accepit." Schol. Est igitur, ut recte Pinzg. sententiam declaravit, construendum non, ut ego aliquando falso feceram, *securis prima legum* i. e. summa severitas, supplicium sontium imperans ceterasque leges, tamquam prima, suo terrore sustinens; sed: *prima securis*

Maiorum primus quisquis fuit ille tuorum,
Aut pastor fuit aut illud, quod dicere nolo.

SATIRA QUINTA DECIMA.

Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
Aegyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars haec; illa pavet saturam serpentibus ibin.
Effigies sacri nitet aurea cercopitheci,
Dimidio magicae resonant ubi Memnone chordae
Atque vetus Thebe centum iacet obruta portis.
Illic caeruleos, hîc piscem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam;
Porrum et caepe nefas violare ac frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus haec nascuntur in hortis
Numina! Lanatis animalibus abstinet omnis
Mensa. Nefas illic fetum iugulare capellae;
Carnibus humanis vesci licet. Attonito quom
Tale super coenam facinus narraret Ulixes
Alcinoo, bilem aut risum fortasse quibusdam
Moverat ut mendax aretalogus. „In mare nemo
Hunc abicit, saeva dignum veraque Charybdi,
Fingentem immanes Laestrygonas atque Cyclopas?

legum i. e. „prima securis legitima, primum supplicium legitime sumptum post tot arbitrarias et tyrannicas neces a regibus, praesertim a Tarquinio Superbo perpetratas." 275. *quod dicere nolo*] „servus aut infamis aut latro." Schol.

SATIRA QUINTA DECIMA.

1. *Volusius* nobis ignotus. 3. *ibim* F. 5. cfr. Inscriptt. meas Lat. N. 517—524. v. c. C. AEMILIVS HORA PRIMA SEMIS AVDIVI VOCEM MEMNONIS. Cfr. Letronne *Journal des savans*, *Juin.* 1831. p. 359. seq. Ceterum Schol. memorat lect. *Dimidium* - - *Memnona* et *Memnona* reapse habet fragm. Vatic. apud Mai *Class. Auct.* T. 3. p. XIX. 7. *caeruleos* i. e. marinos pisces: sed *aeluros* egregia est Brodaei coni. recepta a Web.; *pisces fl.* DF., ut coni. Rup. 9. *ac*] ACDEFG. — *et* B. Rup. Web. 10. *O stultas* superscr.: *sanctas* D. 16. *aretologus* Vatic. antiquiss. F. 20. *Cyanes* CDEF. cum plerisque. — *Cyaneis* Vatic. Al., quod praetulit Web., ita scil. „ut sit ablativus et indicet regionem, in qua saxa illa concurrunt." cfr. Odyss. 12, 55. 25. *temetum deduxerat* Cdd. mei, et Vatic. adversus metrum; in A. tamen vitium correctum. (*minimum* - - *temeti* coniecit Schraderus.) 26. *haec*] Cdd. mei septem et Vatic. — *hoc* vulgo. Etiam Schol. „qui *ea* sine teste narrabat." 27. *uinio* AG. — *minto Iunco* sed *minto* punctis notatum:) F. — *Iunco* etiam Vatic. et D. Poëtae necessitate coacti unum dumtaxat consulem nominant. Sic Catull. 123, 1. *Consule Pompeio*. Q. Iunium Rusticum a. u. 872. secundo ac tertio Hadriani consulem fuisse constat cum Hadriano III. Cos. Anno autem post Iunii consulatum hanc sati-

Nam citius Scyllam vel concurrentia saxa,
Cyaneas, plenos et tempestatibus utres
Crediderim aut tenui percussum verbere Circes
Et cum remigibus grunnisse Elpenora porcis.
Tam vacui capitis populum Phaeaca putavit?"
Sic aliquis merito nondum ebrius et minimum qui
De Corcyraea temetum duxerat urna:
Solus enim haec Ithacus nullo sub teste canebat.
Nos miranda quidem, sed nuper consule Iunio
Gesta super calidae referemus moenia Copti:
Nos volgi scelus et cunctis graviora cothurnis:
Nam scelus, a Pyrrha quamquam omnia syrmata volvas,
Nullus apud tragicos populus facit. Accipe nostro
Dira quod exemplum feritas produxerit aevo.
  Inter finitimos vetus atque antiqua simultas,
Immortale odium et nunquam sanabile volnus
Ardet adhuc Ombos et Tentyra. Summus utrinque
Inde furor volgo, quod numina vicinorum
Odit uterque locus; quom solos credat habendos
Esse deos, quos ipse colit. Sed tempore festo
Alterius populi rapienda occasio cunctis
Visa inimicorum primoribus ac ducibus; ne

ram scripsit Iuvenalis aetatis suae primo et octogesimo; v. Franck Examen crit. Iuv. vitae. p. 93. 28. Nilo et quinque nomis Tentyra (hod. *Dendera*) distabat ab Ombis (hod. *Câm Ombo.*); Ombi quidem super, sed Tentyra infra Copton (*Kost*) sita erant. At Tentyritae in Ombitas impetum fecisse traduntur inter sollemnes epulas, in ipsis igitur Ombis „*super moenia Copti.*" Quae oppida quum *finitima* certe non fuerint, haud improbabile est, Tentyritas persequentes cum furore et necantes crocodilos, irruisse in propiorem aliquam gentem, confusam ignorantia locorum ab ipso poëta cum Ombitis, omnium populorum crocodilos colentium in vulgus notissimo. v. Franck p. 112. 115. Recte vero Pinzgerus Diss. p. 21. demonstrat minime ex hoc illud, quod volebat Franckius, posse colligi, scil. Iuvenalem in Aegypto nunquam fuisse. „Poterat, inquit, poëta procul dubio, quum octogenarius venerit in Aegyptum neque, ut videtur, locorum in iis regionibus situs magnopere curiosus fuerit, Tentyritas et Ombitas finitimos vocare, quum nonnisi ad trigesimum lapidem inter se distent neque inter utrumque oppidum aliud maioris momenti situm sit." Molesta contra est Weberi ratio versum 33. maiore distinctione a seqq. distrahentis, „ut sit generalis propositio, et *numina vicinorum* non ad Tentyra et Ombos referantur, neque ibi hae urbes sibi inimicae dicantur, sed intelligantur eae civitates, quae utrique populo interpositae erant aut adiacebant." Sed huic interpretationi repugnat tota totius loci conformatio, ex qua, ut iam vidit Schol., artissime coniungenda sunt *Inter finitimos*, *Ombos et Tentyra* i. e. inter vicinos Ombitas et Tentyritas. 29. *scelera* F. 34. spurius videtur Rup. 35. *Umbos* Vatic. — *Combos* perperam omnes mei. — *Coptos* Rup. de coni. 36. *vulgi* CDEFG.

Laetum hilaremque diem, ne magnae gaudia coenae
Sentirent, positis ad templa et compita mensis
Pervigilique toro, quem nocte ac luce iacentem
Septimus interea Sol invenit. Horrida sane
Aegyptus: sed luxuria, quantum ipse notavi,
Barbara famoso non cedit turba Canopo.
Adde quod et facilis victoria de madidis et
Blaesis atque mero titubantibus. Inde virorum
Saltatus nigro tibicine, qualiacunque
Unguenta et flores multaeque in fronte coronae;
Hinc ieiunum odium. Sed iurgia prima sonare
Incipiunt animis ardentibus; haec tuba rixae.
Dein clamore pari concurritur et vice teli
Saevit nuda manus: paucae sine volnere malae;
Vix cuiquam aut nulli toto certamine nasus
Integer. Adspiceres iam cuncta per agmina voltus
Dimidios, alias facies et hiantia ruptis
Ossa genis, plenos oculorum sanguine pugnos.
Ludere se credunt ipsi tamen et pueriles
Exercere acies, quod nulla cadavera calcent.
Et sane quo tot rixantis milia turbae,
Si vivunt omnes? Ergo acrior impetus et iam
Saxa inclinatis per humum quaesita lacertis
Incipiunt torquere, domestica seditione

43. (*quo n. ac. l. iacentes* Rup. coni.) 44. *interea*, dum feriae illae celebrantur. Sic BCDEFG. Achaintre. *interdum* A. (ex correctione; prius habuerat ipse quoque *interea*. Schol.) Rup. Web. Minus tamen apta videtur haec quasi dubitatio de sacris statis. — *Horrida sane* usque ad v. *titubantibus* v. 48. pro spuriis habet Franckius. *Nec nil, neque omnia haec sunt, quae dicit.* Facile enim largior viro sagacissimo Iuvenalem neque in Aegypto exsulasse, nec, quod per se intelligitur, interfuisse immani huic pugnae; sed nihilominus genuinos repulo versus in suspicionem adductos. Quidni enim per vitam fere octogenariam semel invisere potuerit Aegyptum, eoque in itinere Canopum Graecanicis deliciis affluentem, non cum ipsis quidem Ombis Tentyrisque, sed cum aliis locis barbaris Canopo propioribus comparare? Haec enim est legitima sententia, si cavillari verba nolumus: „Parum culta est sane maior Aegypti pars, cuius incolae nondum sunt Graecis moribus imbuti; quod tamen ad epularum luxuriem attinet, quantum ipse aliquando animadverti, indigenae ipsi non cedunt vel Canobitis, qui transmarinam elegantiam vitae dissolutae miscere didicerunt." Monastico certe colore minime deturpari videntur v. 47. et 48.; imo pro meo quidem sensu *ieiunum* illud *odium* manci nescio quid et imperfecti habebit, nisi Ombitarum madidorum blaesorumque stupidae ebrietati opponatur. Quod vero queritur Franckius de narrationis tenore misere interrupto, meminisse debemus in quavis Iuvenalis Satira huiusmodi reperiri *deverticula*, ut ipse plane gemellam appellat degres-

Tela; nec hunc lapidem, quales et Turnus et Aiax,
Vel quo Tydides percussit pondere coxam
Aeneae; sed quem valeant emittere dextrae
Illis dissimiles et nostro tempore natae;
Nam genus hoc vivo iam decrescebat Homero.
Terra malos homines nunc educat atque pusillos:
Ergo Deus quicunque adspexit, ridet et odit.
  A deverticulo repetatur fabula. Postquam,
Subsidiis aucti, pars altera promere ferrum
Audet et infestis pugnam instaurare sagittis:
Terga fuga celeri praestantibus omnibus, instant,
Qui vicina colunt umbrosae Tentyra palmae.
Labitur hic quidam, nimia formidine cursum
Praecipitans capiturque; ast illum in plurima sectum
Frusta et particulas, ut multis mortuus unus
Sufficeret, totum corrosis ossibus edit
Victrix turba nec ardenti decoxit aëno
Aut verubus: longum usque adeo tardumque putavit
Exspectare focos, contenta cadavere crudo.
Hic gaudere libet, quod non violaverit ignem,
Quem summa caeli raptum de parte Prometheus
Donavit terris. Elemento gratulor, et te
Exsultare reor. Sed qui mordere cadaver
Sustinuit, nihil unquam hac carne libentius edit.

sionem v. 72. Quid? quod maiore prope iure eademque arte eliminare possum exclamationem frigidiorem etiam v. 86. ita scil.: *Donavit terris. Sed qui mordere cadaver* cet. Omnino enim in posterioribus satiris haud pauca reperiuntur, quae non satis sunt absoluta. Nominatim in hac, cuius argumentum egregium est, quod ad dicendi genus pertinet multa reprehendi possunt. [Haec scripseram in Ed. pr. Meam sententiam secuti sunt Web. et Pinzgerus, nisi quod hic recte observavit minime concedendum fuisse Franckio, Iuvenalem sub specie militiae relegatum non esse in Aegyptum.] 46. *ripa Canopo* ABCDEFG. (In A. tamen superscr. *turba.*) Memorabilis lectio, et, ut videtur, etiam Scholiastae agnita. 47. *est facilis* F. 53. *Dehinc* ABFG. 64. *seditione*] i. e. in omni seditione; ablat. absol. „quum seditio fit." Omnes mei. Ach. Web. — Cramerus praefert dativum Rupertii et al. 75. *terga fuga celeri praestantibus*] Sic ABEG. Ach. Web. Id est, in celeri fuga praebentibus terga. — *fugae* satis ambigue CDF. Rup. 76. *moenia palmae* B. 77. *hic quidam*] ABCDEFG. et Schol., quod praetuli; nam si cum Rup. Ach. Web. legas *hinc*, de Tentyrita aliquo intelligendum esset, quod absurdum est. Neque vero explicari potest *hinc* „propter fugam effusam." *Hic* et *hinc* autem saepissime confunduntur, veluti statim v. 84. pro *Hic gaudere* inter meos CF. habent *Hinc gaudere.* 86. Similis color est Ovid. Met. 10, 305. *Gentibus Ismariis et nostro gratulor orbi; Gratulor huic terrae, quod abest regionibus illis, Quae tantum genuere nefas.*

Nam scelere in tanto ne quaeras aut dubites, an
Prima voluptatem gula senserit. Ultimus autem
Qui stetit absumpto iam toto corpore, ductis
Per terram digitis, aliquid de sanguine gustat.
Vascones, ut fama est, alimentis talibus olim
Produxere animas, sed res diversa, sed illic
Fortunae invidia est bellorumque ultima, casus
Extremi, longae dira obsidionis egestas.
Huius enim, quod nunc agitur, miserabile debet
Exemplum esse cibi: sicut modo dicta mihi gens
Post omnes herbas, post cuncta animalia, quidquid
Cogebat vacui ventris furor, hostibus ipsis
Pallorem ac maciem et tenues miserantibus artus,
Membra aliena fame lacerabant, esse parati
Et sua. Quisnam hominum veniam dare quisve deorum
Ventribus abnuerit dira atque immania passis
Et quibus illorum poterant ignoscere Manes,
Quorum corporibus vescebantur? Melius nos
Zenonis praecepta monent: nec enim omnia, quaedam
Pro vita facienda putat. Sed Cantaber unde
Stoicus, antiqui praesertim aetate Metelli?
Nunc totus Graias nostrasque habet orbis Athenas;
Gallia causidicos docuit facunda Britannos;
De conducendo loquitur iam rhetore Thule.

93. *Vascones, haec fama est* Rup. contra meos Cdd. et Web. Penultimam a Latinis correptam fuisse, etsi Οὐάσκωνες Graecis audiunt, demonstrant exempla Prudentii et Paulini Rupertio laudata, quocirca emendatione *Vascones fama est* facile caremus. Intelliguntur autem Calagurritani in bello Sertoriano a Cn. Pompeio obsidione cincti, sed eadem tandem liberati u. c. 679. v. Liv. Epit. 93. Val. Max. 7, 6, 2, 3. Appian. B. Civ. 1, 112. Pro *olim*, *usi* septem mei. Ach. 95. *bellorum culmina* E. 104. *Ventribus*] Valesii coni. recepi nunc cum Web. pro *Viribus* (septem mei. Vulgo.) — *Urbibus* Codd. aliq. (*Civibus*, *Portibus*, *Talibus* optivae Rup. coniecturae.) 108. *putant* ABCDEG. 109. Q. Caecilius Metellus Pius, Numidici fil. contra Sertorium cum Pompeio bellum gessit. 112. Hunc versum om. D. 114. *Saguntos* ABG. 123. *invidiam facere alicui* non est „iram et indignationem movere", ut vulgo interpretantur; sed „invidiosum (*gehässig*) reddere aliquem criminationibus." Est igitur: „turpioremne causam et qua deus Nilus eiusque terra, Aegyptus ipsa, magis dehonestaretur, afferre possent, si Nilus aliquando tale maleficium ulturus surgere ac redundare nollet Memphiticaque regio siccitate affligeretur?" Contra G. E. Weberus: „An, si forte Aegyptus siccitate laboraret, magis crudeli sacrificio Nilum iratum potuissent exorare? Si dii pertinaces sunt in spernendis hominum precibus, sacrificiis insolitis, interdum fortasse etiam sanguine humano, placandi sunt: id propter necessitatem eorum, qui sic irâ caelesti premuntur, excusant ho-

Nobilis ille tamen populus, quem diximus, et par
Virtute atque fide, sed maior clade Saguntus,
Tale quid excusat. Maeotide saevior ara
Aegyptus: quippe illa nefandi Taurica sacri
Inventrix homines, ut iam, quae carmina tradunt,
Digna fide credas, tantum immolat, ulterius nil
Aut gravius cultro timet hostia. Quis modo casus
Impulit hos? quae tanta fames infestaque vallo
Arma coëgerunt tam detestabile monstrum
Augere? Anne aliam, terra Memphitide sicca,
Invidiam facerent nolenti surgere Nilo?
Qua nec terribiles Cimbri nec Britones unquam
Sauromataeque truces aut immanes Agathyrsi,
Hac saevit rabie imbelle et inutile volgus,
Parvula fictilibus solitum dare vela phaselis
Et brevibus pictae remis incumbere testae.
Nec poenam sceleri invenies nec digna parabis
Supplicia his populis, in quorum mente pares sunt
Et similes ira atque fames. Mollissima corda
Humano generi dare se Natura fatetur,
Quae lacrimas dedit: haec nostri pars optima sensus.
Plorare ergo iubet causam dicentis amici
Squaloremque rei, pupillum ad iura vocantem
Circumscriptorem, cuius manantia fletu

mines; quia id numini vitio vertunt, in illos, necessitate ad extrema coactos, misericordia afficiuntur." 124. *Bistones* D. — *Teutones* patriae amore audacior factus Markland. 125. *Agathyrsi* Scythica gens in Sarmatia Europaea. 126. Nota hiatum *rabie imbelle*. 134. *causam dicentis*] Sic ABC. (hic a pr. m.) DEG. Vulgo ante Rup. Web. Construe: „squalorem amici causam dicentis et rei" liberius, ut fit apud poëtas, transpositâ copulâ. Quam constructionem quum minus enodarent atque omnino formulam *causam dicere* haud intelligerent, fuerunt, qui scriberent: *causam lugentis* (sic scil. F. C. a sec. m.) i. e. ex mediae aetatis Latinitate (quae saepe in explicandis corruptelis ac praesertim interpolationibus ad partes vocanda est·) „*la cosa*, *la chose*, conditionem lugentis amici." Hoc quum parum recte dici viderent, correxerunt: *casum lugentis amici*, ut e quattuor Cdd. edidit Rup. Sed hoc et per se nimis infinitum, et de misericordia, quam luctus ac funera excitent, sermo est demum v. 138. Alia ratione locum corrumpere volebat Wakef. Silv. crit. 2. p. 101. ita verba transponendo: *Circumscriptorem pupillum ad iura vocantem Squaloremque rei, cuius m. fl.* 135. Intelligenda est *actio rationibus distrahendis*, quam finita tutela instituit pupillus contra tutorem ob interceptam pecuniam pupillarem maleque redditas rationes, idque in duplum. Apud Romanos pueri comati, tonsi demum et circumcisis ab aure descendentibus capillis, ubi vestem pupillarem deposuissent. Hic igitur habitus communis puerorum, unde *crinitae* paedagogo *turbae* Martiali 12, 49.

Ora puellares faciunt incerta capilli.
Naturae imperio gemimus, quom funus adultae
Virginis occurrit vel terra clauditur infans
Et minor igne rogi. Quis enim bonus et face dignus
Arcana, qualem Cereris volt esse sacerdos,
Ulla aliena sibi credat mala? Separat hoc nos
A grege mutorum atque ideo venerabile soli
Sortiti ingenium divinorumque capaces
Atque exercendis capiendisque artibus apti,
Sensum a caelesti demissum traximus arce,
Cuius egent prona et terram spectantia. Mundi
Principio indulsit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoque; mutuus ut nos
Affectus petere auxilium et praestare iuberet,
Dispersos trahere in populum, migrare vetusto
De nemore et proavis habitatas linquere silvas,
Aedificare domos, Laribus coniungere nostris
Tectum aliud, tutos vicino limine somnos
Ut collata daret fiducia: protegere armis
Lapsum aut ingenti nutantem volnere civem,
Communi dare signa tuba, defendier isdem
Turribus atque una portarum clave teneri.
Sed iam serpentum maior concordia: parcit
Cognatis maculis similis fera. Quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore unquam
Exspiravit aper maioris dentibus apri?
Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
Perpetuam: saevis inter se convenit ursis.
Ast homini ferrum letale incude nefanda
Produxisse parum est; quom rastra ac sarcula tantum
Assueti coquere et marris ac vomere lassi

nec delicatorum tantum; ut significat hic Rupertus. Imo delicati pueri tonsi et circumcisi, ut demonstravit Casaubonus ad Sueton. Aug. c. 45. Talem vero repraesentare noluit, sed bonis spoliatum a tutore, qui propter luctum ne capillos quidem deposuerit, etsi liberatus tutela et adolescens iam factus, circumcidere iam potuisset et debuisset comam et puellares capillos." Cramer. 140. *Editis primores septimo mense gigni dentes, haud dubium est.* — *Hominem prius quam genito dente cremari, mos gentium non est.* Plin. 7, 16. 141. Quod h. l. narrant Interpretes sepulcrum infantis quadraginta diebus minoris nominatum esse *suggrundarium*, nititur auctoritate Fabii Planciadis Fulgentii Exposit. sermonum antiquorum p. 560. Merc. scriptoris mendacis, et vocabula et scriptores confingere soliti. „*δᾳδοῦχοι*, quibus sacer-

Nescierint primi gladios extundere fabri.
Adspicimus populos, quorum non sufficit irae
Occidisse aliquem, sed pectora, brachia, voltum
Crediderint genus esse cibi. Quid diceret ergo
Vel quo non fugeret, si nunc haec monstra videret
Pythagoras? cunctis animalibus abstinuit qui
Tamquam homine et ventri indulsit non omne legumen.

EX SATIRA X. v. 346—366.

Nil ergo optabunt homines? Si consilium vis,
Permittes ipsis expendere numinibus, quid
Conveniat nobis rebusque sit utile nostris.
Nam pro iucundis aptissima quaeque dabunt di:
Carior est illis homo, quam sibi. Nos animorum
Impulsu et caeca magnaque cupidine ducti,
Coniugium petimus partumque uxoris: at illis
Notum, qui pueri qualisque futura sit uxor.
Ut tamen et poscas aliquid voveasque sacellis
Exta et candiduli divina tomacula porci:
Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.
Fortem posce animum, mortis terrore carentem,
Qui spatium vitae extremum inter munera ponat
Naturae, qui ferre queat quoscunque labores,
Nesciat irasci, cupiat nihil et potiores
Herculis aerumnas credat saevosque labores
Et Venere et coenis et pluma Sardanapali.
Monstro quod ipsi tibi possis dare: semita certe
Tranquillae per virtutem patet unica vitae.
Nullum numen habes, si sit prudentia, nos te
Nos facimus, Fortuna, deam caeloque locamus.

dos Cereris (*ἱεροφάντης*) *μυστήρια μεγάλα* et arcanas eorundem cerimonias revelaverat, habita ante severa quaestione de vita pure et sancte acta." R. 142. *haec* CF. 148. *inclusit* B. 154. *limine*] ABCEFG. Rup. — *limite* A. a sec. m. D. Web. 167. *fessi* D. 168. *Nescirent* ADEF. — *Nescierant* B. Ib. *excudere* E. — *excidere* C. — *extendere* F. 174. *non omne legumen*] „aversatus scil. fabam, quae ex sanguine humano orta esset. Nam flores eius in sanguinem vertuntur, si seponantur." Schol. Apud Lucianum *Vit. auct.* Vol. 3. Ed. Lehm. p. 96. Pythagoras inter alia haec dicit: *κύαμον ἐψηθέντα, ἢν ἀφῇς ἐς τὴν σεληναίην νυξὶ μεμετρημένῃσιν, αἷμα ποιήσεις.* Cfr. Cramerum.

ANTHOLOGIA EPIGRAMMATUM LATINORUM.

I. Cn. Naevii Epitaphium. (Anthol. L. 2. 219.)

Mortalis immortales flere si foret fas,
Flerent divae Camenae Naeviom poëtam.
Itaque postquam est Orcino traditus thesauro,
Oblitei sunt Romae loquier Latina lingua.

II. M. Pacuvii Epitaphium. (Anthol. L. 2. 218.)

Adulescens, tametsi properas, te hoc saxom rogat,
Uti ad se adspicias: deinde quod scriptumst, legas.
Heic sunt poëtae Pacuvi Marci sita
Ossa. Hoc volebam, nescius ne esses. Vale.

III. Q. Ennii Epitaphium. (Anthol. L. 2. 217.)

Adspicite, o cives, senis Enni imagini' formam:
  Hic vostrum panxit maxuma facta patrum.
Nemo me lacrumis decoret neque funera fletu
  Faxit. Cur? volito vivu' per ora virûm.

IV. Plauti Epitaphium. (Anthol. L. 2. 214.)

Postquam est mortem aptus Plautus, Comoedia luget
Scaenâ desertâ. Dein risus, ludu' iocusque
Et numeri innumeri simul omnes conlacrumarunt.

VARIETAS LECTIONIS.

Epig. I. 4. *Latina Lingua*] Hermannus. *lingua Latina* Burm. III. 3. Scalig. volebat *funera fletum*, ut *funera* esset praefica. Sed omnis hic error fluxit ex Servii prava explicatione *Aen.* 9, 486. *nec te tua funera mater Produxi.* cfr. Cic. Tuscul. 1, 49. Solonis distichon: *Mors mea ne careat lacrimis; linquamus amicis Maerorem, ut celebrent* funera *cum gemitu.* Itidem plural. de uno funere Propert. 2, 34, 90. *miserae* funera *Quintiliae.* IV. 3. *numeri innumeri*, „innumerabiles"; non, ut volebat Scaliger, „legibus non adstricti."

V. Tituli Scipionum. (Vide Inscriptt. meas Latinas N. 550. seqq.)

(1.)

Cornelius. Lucius. Scipio. Barbatus. || Gnaivod. patre. prognatus. fortis. vir. sapiensque. || Quoius. forma. virtutei. parisuma. fuit. || Consol. Censor. Aidilis. quei. fuit. apud. vos. || Taurasia. Cisauna. Samnio. cepit. || Subigit. omne. Loucana. || Opsidesque. abdoucit.

(2.)

Honc. oino. ploirume. cosentiont. R(*omani*). || Duonoro. optumo. fuise. viro. || Luciom. Scipione. filios. Barbati. Consol. Censor. Aidilis. hic. fuet. *apud. vos.* || Hec. cepit. Corsica. Aleriaque. urbe. || Dedet. Tempestatebus. aide. mereto.

(3.)

Cn. Cornelius Cn. F. Scipio. Hispanus. Pr. Aid. Cur. Q. Tr. mil. II. X. Vir. Stl. Iudik. X. Vir. Sacr. Fac.

Virtutes generis mieis moribus accumulavi :
  Progeniem genui. Facta patris petiei.
Maiorum optenui laudem, ut sibei me esse creatum
  Laetentur. Stirpem nobilitavit honor.

(4.)

L. Cornelius. Cn. F. Cn. N. Scipio. || Magna. sapientia. multasque. virtutes. || Aetate. quom. parva. posidet. hoc. saxsum. || Quoiei. vita. defecit. non. honos. honore. || Is. hic. situs. quei. nunquam. victus. est. virtutei. Annos. gnatus. XX. is. l . . . . . . datus. || Ne. quairatis. honore. quei. minus. sit. man*datus.*

(5.)

Quei. apice. insigne. Dialis. flaminis. gesistei. || Mors perfecit. tua. ut. essent. omnia. brevia. || Honos. fama. virtusque. gloria. atque. ingenium. || Quibus. sei. in. longa. licuiset. tibe. utier. vita. || Facile. facteis. superases. gloriam. maiorum. || Quare. lubens. te. in. gremiu. Scipio. recipit. || Terra. Publi. prognatum. Publio. Corneli.

V. 1) Consul a. u. c. 494. 2) Videtur fuisse filius Cn. Scipionis Hispali cos. a. u. c. 578. 3) Filius est Africani maioris, pater adoptivus minoris s. Aemiliani. Cfr. Niebuhrii H. R. Ed. alt. T. 2. p. 265. Grotefend lat. Gramm. T. 2. p. 293. N. 4. *l . . . . datus* varie expletur, *lausibus mandatus*, *laudi mandatus*, *leto Quiris datus;* cfr. Festum Lind. p. 217.

VI. Lucilii. (Anthol. L. 3. 108.)

Virtus, Albine, est pretium persolvere verum,
Queis in versamur, queis vivimu', rebu' potesse:
Virtus est homini scire id, quod quaeque habeat res.
Virtus scire homini rectum, utile, quid sit honestum:
Quae bona, quae mala, item quid inutile, turpe, inhonestum:
Virtus quaerendae finem rei scire modumque:
Virtus divitiis pretium persolvere posse.
Virtus id dare, quod reipsa debetur honori,
Hostem esse atque inimicum hominum morumque malorum:
Contra, defensorem hominum morumque bonorum;
Magnificare hos, his bene velle, his vivere amicum;
Commoda praeterea patriaï prima putare,
Deinde parentum, tertia iam postremaque nostra.

VII. Claudiae Epitaphium. (Anthol. L. 4. 147.)

Hospes, quod deico, paullum est; asta, ac pellege:
Heic est sepulcrum hau! pulcrum pulcrai feminae.
Nomen parentes nominarunt Claudiam,
Suom mareitum corde deilexit souo.
Gnatos duos creavit, horunc' alterum
In terra linquit, alium sub terra locat:
Sermone lepido, tum autem incessu commodo:
Domum servavit, lanam fecit. Dixi, abei.

VIII. C. Iulii Caesaris. (Anthol. L. 2. 221.)

Tu quoque, tu in summis, o dimidiate Menander,
Poneris, et merito, puri sermonis amator.
Lenibus atque utinam scriptis coniuncta foret vis,
Comica ut aequato virtus polleret honore
Cum Graecis neque in hac despectus parte iaceres.
Unum hoc maceror et doleo tibi dêsse, Terenti.

VI. 1. *Albine*] Sp. Postumius Albinus consul a. u. c. 605. 12. *patriaï prima*] Sic Io. Mich. Heusingerus in Act. Soc. Lat. Ien. 1. p. 65. et Burm. e Cod. Goth. et Ed. Rostoch., in quibus est *patriae prima*. Vulgo *patriae sibi prima*. VII. Est seculi sexti post u. c. VIII. 3. *vis*, *Comica virtus* ex Wolfii et Viscontii distinctione. *vis Comica*, *virtus* Burm.; unde celebratissima illa *vis comica* Latinis ignota fluxit in nostra Aesthetices compendia. Cfr. Meinekii *Menand.* p. XXXVI.

IX. P. Virgilii Maronis ad Venerem. (Anthol. L. 1. 63.)

Si mihi susceptum fuerit decurrere munus,
O Paphon, o sedes quae colis Idalias,
Troïus Aeneas Romana per oppida digno
Iam tandem ut tecum carmine vectus eat:
Non ego ture modo aut picta tua templa tabella
Ornabo aut puris serta feram manibus:
Corniger hos aries humilis, et maxima taurus
Victima sacrato tinget honore focos;
Marmoreusque tibi, Dea, versicoloribus alis
In morem picta stabit Amor pharetra.
Adsis, o Cytherea; tuus te Caesar Olympo
Et Surrentini litoris ora vocat.

X. Domitii Marsi. (Anthol. L. 2. 226.)

Te quoque Virgilio comitem non aequa, Tibulle,
Mors iuvenem campos misit ad Elysios:
Ne foret, aut elegis molles qui fleret amores,
Aut caneret forti regia bella pede.

XI. Cornelii Severi. (Anthol. L. 2. 155.

— Oraque magnanimûm spirantia paene virorum
In rostris iacuere suis; sed enim abstulit omnes,
Tamquam sola foret, rapti Ciceronis imago.
Tunc redeunt animis ingentia Consulis acta,
Iurataeque manus deprensaque foedera noxae,
Patriciumque nefas exstinctum et poena Cethegi,
Deiectusque redit votis Catilina nefandis.
Quid favor aut coetus, pleni quid honoribus anni
Profuerunt? Sacris et vita quid artibus acta?
Abstulit una dies aevi decus ictaque luctu
Conticuit Latiae tristis facundia linguae,
Unica sollicitis quondam tutela salusque,
Egregium semper patriae caput: ille senatus

IX. 7. „Burm. coniecit *Corniger haud aries humilis, sed m. t.* Sed ita friget epitheton *corniger*, alienum a re extenuanda. Illud tamen *hos humiles sacratos* (volgo) *focos* ferri vix potest." Wagner. — Silligius coniecit: *Corniger ast aries humiles et maxima taurus Victima sacrato tinget honore.* Construe: *Corniger aries, humilis victima, et taurus, maxima* (victima), *hos focos sacrato honore tinget.* Bait. Syll. *lis* longa in caesura, ut: *Omnia vincit Amor, et nos cedamus Amori.* XI. 10. *aevi*] Scal. *civis* Burm.

Vindex, ille fori, legum iurisque togaeque
Publica vox saevis aeternum obmutuit armis.
Informes voltus sparsamque cruore nefando
Canitiem sacrasque manus operumque ministras
Tantorum pedibus civis proiecta superbis
Proculcavit ovans nec lubrica fata deosque
Respexit. Nullo luet hoc Antonius aevo.
Hoc nec in Emathio mitis victoria Perse,
Nec te, dire Syphax, non fecit in hoste Philippo;
Inque triumphato ludibria cuncta Iugurtha
Abfuerunt nostraeque cadens ferus Hannibal irae
Membra tamen Stygias tulit inviolata sub umbras.

XII. In Tiberium Caesarem. (Anthol. L. 2. 73.)

Adspice felicem sibi, non tibi, Romule, Sullam,
    Et Marium, si vis, adspice, sed reducem.
Nec non Antoni civilia bella moventis,
    Nec semel infectas adspice caede manus:
Et dic, Roma perit; regnabit sanguine multo,
    Ad regnum quisquis venit ab exilio.

XIII. Germanici Caesaris ad Hectoris tumulum. (Anthol. L. 1. 103.)

Martia progenies, Hector, — tellure sub ima
    Fas audire tamen si mea verba tibi —
Respira, quoniam vindex tibi contigit heres,
    Qui patriae famam proferat usque tuae.
Ilios en surgit rursum inclita; gens colit illam,
    Te Marte inferior, Martis amica tamen.
Myrmidonas periisse omnes dic, Hector, Achilli,
    Thessaliam et magnis esse sub Aeneadis.

XIII. 4. *proferat*] Pith. Heins. *praeferat* Burm. Ceterum conversum est ab Italo aliquod, ut puto, ex Anthologiae Palat. T. 2. p. 138. N. 387.

Ἕκτορ, Ἀρήϊον αἷμα, κατὰ χθονὸς εἴ που ἀκούεις,
*   Χαῖρε καὶ ἄμπνευσον βαιὸν ὑπὲρ πατρίδος.*
Ἴλιον οἰκεῖται κλεινὴ πόλις, ἄνδρας ἔχουσα
*   Σοῦ μὲν ἀφαυροτέρους, ἀλλ᾽ ἔτ᾽ ἀρηϊφίλους.*
Μυρμιδόνες δ᾽ ἀπόλοντο. Παρίστασο καὶ λέγ᾽ Ἀχιλλεῖ
*   Θεσσαλίην κεῖσθαι πᾶσαν ὑπ᾽ Αἰνεάδαις.*

XIV. Germanici Caesaris Epitaphium. (Anthol. L. 2. 72.)

Parce, hospes, tumulo: Caesar Germanicus hic sum;
  Saepe etiam ignotis ipse dedi requiem.
Quod si quem tituli nihil huius gratia tangit,
  Admoneat, patria fraude quod hic iaceo.
Sed iaceo, quamvis non vitae, at plenus honoris;
  Hoc uno ingratus, quod genui, patriae.
Testata est mores lacrimis plebesque patresque:
  Haec sunt sinceri iudicia ingenii.

XV. Atimetus. Pamphili. Ti. Caesaris. Avg. L. L. Anterotianus.

Sibi. et.

Cl. Homonoeaé. Conlibertae. et. Contubernali.

(Anthol. L. 4. 142—146. *)

1. *Homonoea.*

Tu qui secúrá procédis mente, parumper
  Siste gradum, quaeso, verbaque pauca lege:
Illa ego, quae claris fueram praelata puellis,
  Hoc Homonoea brevi condita sum tumulo.
Cui formam Paphié, Charites tribuere decórem,
  Quam Pallas cunctis artibus erudiit.
Nondum bis dénos aétas mea viderat annós,
  Iniécere manus invida fáta mihi.
Nec pro me queror hoc, morte est mihi tristior ipsa
  Maeror Atiméti coniugis ille mei.

2. *Atimetus.*

Si pensáre animas sinerent crúdelia fata
  Et posset redimi morte aliena salus,
Quantulacunque meae debentur tempora vitae,
  Pensárem pro te, cara Homonoea, libens:
At nunc, quod possum, fugiam lúcemque deosque,
  Ut te matura per Styga morte sequar.

*) „Titi „(immo Tiberii)" aetate incisa est inscriptio, quam in librum suum *de accentus et quantitatis discrimine* transcripsit Foster p. 211. novae ed. Lond. a. 1820.; in qua quum multi apices inveniantur, eam huc transcribendam curavi." F. Ritter Elem. grammat. Lat. libri duo, Berolini 1831. p. 79. Vulpius ad Catulli 94, 5. p. 473. recens esse putabat. — 14. *pensarem*] Ritter. — *pensassem* Burm.

3. *Homonoea.*

Parce tuam, coniux, fletu quassare iuventam
  Fataque maerendo sollicitare mea.
Nil prósunt lacrimae nec possunt fata moveri:
  Viximus: hic omnis exitus unus habet.
Parce, ita non unquam similem experiare dolórem
  Et faveant vótis numina cuncta tuis:
Quodque mihi éripuit mors immatura iuventae,
  Id tibi victúro proroget ulterius.

4. *Atimetus.*

Sit tibi terra levis, mulier, dignissima vitâ
  Quaeque tuis olim perfruerere bonis.

5. *Homonoea.*

Ἡ πολὺ Σειρήνων λιγυρωτέρη, ἡ παρὰ Βάκχῳ
  Καὶ θοίναις αὐτῆς χρυσοτέρη Κύπριδος,
Ἡ λαλίη φαιδρή τε χελιδονίς, ἔνθ' Ὁμόνοια
  Κεῖμαι, Ἀτιμήτῳ δάκρυα λειπομένη,
Τῷ πέλον ἀσπασίη βαιῆς ἄπο. τὴν δὲ τοσαύτην
  Δαίμων ἀπροϊδὴς ἐσκέδασεν φιλίην.

XVI. Senecae exsulis. (Anthol. L. 3. 151.)

Occisi iugulum quisquis scrutaris amici
  Tu, miserum necdum me satis esse putas:
Desere confossum. Victori volnus iniquo
  Mortiferum impressit mortua saepe manus.

XVII. Eiusdem. (Anthol. L. 3. 13.)

Barbara praeruptis inclusa est Corsica saxis,
  Horrida, desertis undique vasta locis.
Non poma Auctumnus, segetes non educat Aestas:
  Canaque Palladio munere Bruma caret:
Imbriferum nullo Ver est laetabile fetu,
  Nullaque in infausto nascitur herba solo:
Non panis, non haustus aquae, non ultimus ignis.
  Hic sola haec duo sunt, exsul et exsilium.

XV. 23. *mihi*] Ritter. — *meae* Burm. Sed est: *quodque*, quam partem, *iuventae mors immatura mihi eripuit* cet. 25. XVII. 5. *imbriferum*] ex Cod. Salmas. *umbrarum* B. *umbriferum* Schrader.

XVIII. Anonymi in Neronem. (Anthol. L. 2. 79.)

Quis negat Aeneae magna de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

XIX. C. Petronii Arbitri. (Anthol. L. 3. 158.)

Nomen amicitiae, si quatenus expedit, haeret,
Calculus in tabula mobile ducit opus.
Quom fortuna manet, voltum servatis amici:
Quom cedit, turpi vertitis ora fuga.
Grex agit in scaena mimum: pater ille vocatur,
Filius hic; nomen divitis ille tenet.
Mox ubi ridendas inclusit pagina partes,
Vera redit facies, dissimulata perit.

XX. Eucharis. Liciniae. L.
Docta. Erodita. Omnes. Artes. Virgo. Vixit. An. XIV.
(Anthol. L. 4. 353.)

Heus oculo errante quei adspicis leti domum,
Morare gressum et titulum nostrum perlege;
Amor parentis quem dedit natae suae,
Ubei se reliquiae conlocarent corporis.
Heic, viridis aetas quom floreret artibus,
Crescente et aevo gloriam conscenderet,
Properavit hora tristis fatalis mea
Et denegavit ultra veitae spiritum.
Docta, erodita paene Musarum manu,
Quae modo nobilium ludos decoravi choro
Et Graeca in scaena prima populo apparui,
En hoc in tumulo cinerem nostri corporis
Infestae Parcae deposierunt carmine.
Studium patronae, cura, amor, laudes, decus
Silent ambusto corpore et leto iacent.
Reliqui fletum nata genitori meo

XX. v. Viscontii Iconogr. gr. T. I. p. 318., cuius ex opinione Eucharis sub Nerone vixit. 5. Rutgers. Visc. malunt *Hei.* 13. *carmine* h. l. non tam *cantu*, quam filo fati, a *carminare*, ut *Carmentae*, *Carmentes*. cfr. Horat. Epod. 13, 15. *Unde tibi reditum certo subtemine Parcae Rupere.* Creuzer Symbol. T. 2. p. 900. 15. „*iacent* ex ipso marmore Gudius adscripserat Grutero, qui male edidit *tacent*." Burm. 17. de propria coniectura pro *post leti diem*, quod sensu caret, dedi *post*, id est, sub *leti domum*. Poëta scilicet invito scalptore lusurus erat in alternandis his vocibus *domus*, *dies*.

Et antecessi genita post leti domum.
Bis hic septeni mecum natales dies
Tenebris tenentur, Ditis aeterna domo;
Rogo, ut discedens terram mihi dicas levem.

XXI. Rufi Verginii Epitaphium. (Anthol. L. 2. 55.)

Hic situs est Rufus, pulso qui Vindice quondam
Imperium asseruit non sibi, sed patriae.

XXII. Statii Epitaphium. (Anthol. L. 2. 234.)

Statius hic situs est, iuvenem quem Cypris ademit,
Praeconem Aeneae carmine quod premeret.

XXIII. Faenius Antullae. (Anthol. L. 4. 245.)

Hoc nemus aeterno cinerum sacravit honori
Faenius et culti iugera pauca soli.
Hoc tegitur cito rapta suis Antulla sepulchro,
Hoc erit Antullae mixtus uterque parens.
Si cupit hunc aliquis, moneo, ne speret agellum;
Perpetuo dominis serviat iste suis.

XXIV. D. M. Petronii Antigenidis. (Anthol. L. 4. 344.)

Tu, pede qui stricto vadis per senta, viator,
Siste, rogo, titulumque meum ne spreveris, oro.
Bis quinos annos mensesque duos, duo soles
In superis feci, tenere nutritus, amatus.
Dogmata Pythagorae sensi studiumque sophorum
Et libros legi. Legi pia carmina Homeri,
Sive quot Euclides abaco praescripta tulisset.
Delicias habui pariter lususque procaces.
Haec Hilarus mihi contulerat, pater ipse, patronus,
Si non infelix contraria fata habuissem.
Nunc vero infernas sedes Acherontis ad undas
Tetraque Tartarei persidere tendo profundi.
Effugi tumidam vitam. Spes, forma valete:
Nil mihi vobiscum est. Alios deludite, quaeso.
Haec domus aeterna est. Hic sum situs; hic ero semper.

XXIII. Exstat etiam apud Martialem 1. 117. 1. *honori* ex Cod. Labbaeus. *honore* B. XXIV. — *pater atque patronus* Pith. Burm.; sed est: „patronus, qui paterno amore me prosecutus est." 12. *persidere*] dedi de Wakefieldi coni. — *per sidera* nullâ sententiâ Ceteri.

XXV. M. Valerii Martialis. (L. 1. 14.)

Casta suo gladium quom traderet Arria Paeto,
Quem de visceribus traxerat ipsa suis:
Si qua fides, volnus, quod feci, non dolet, inquit,
Sed quod tu facies, hoc mihi, Paete, dolet.

XXVI. Eiusdem. (L. 7. 79.)

Potavi modo consulare vinum.
Quaeris, quam vetus atque liberale?
Ipso consule conditum: sed ipse,
Qui ponebat, erat, Severe, consul.

XXVII. Eiusdem. (L. 7. 93.)

Narnia, sulfureo quam gurgite candidus amnis
Circuit, ancipiti vix adeunda iugo,
Quid tam saepe meum nobis abducere Quintum
Te iuvat et lenta detinuisse mora?
Quid Nomentani causam mihi perdis agelli,
Propter vicinum qui pretiosus erat?
Sed iam parce mihi nec abutere, Narnia, Quinto:
Perpetuo liceat sic tibi ponte frui.

XXVIII. Eiusdem. (L. 1. 88.)

Alcime, quem raptum domino crescentibus annis
Labicana levi caespite velat humus:
Accipe non Phario nutantia pondera saxo,
Quae cineri vanus dat ruitura labor;
Sed fragiles buxos et opacas palmitis umbras
Quaeque virent lacrimis roscida prata meis.
Accipe, care puer, nostri monumenta doloris:
Hic tibi perpetuo tempore vivet honor.
Quom mihi supremos Lachesis perneverit annos,
Non aliter cineres mando iacere meos.

XXIX. Eiusdem. (L. 2. 68.)

Quod te nomine iam tuo saluto,
Quem regem et dominum prius vocabam,
Ne me dixeris esse contumacem:
Totis pilea sarcinis redemi.
Reges et dominos habere debet,
Qui se non habet atque concupiscit,
Quod reges dominique concupiscunt.

Servum si potes, Ole, non habere,
Et regem potes, Ole, non habere.

XXX. *Eiusdem.* (L. 3. 4.)

Romam vade, liber; si, veneris unde, requiret:
 Aemiliae dices de regione viae.
Si, quibus intersis, qua simus in urbe, rogabit:
 Corneli referas me licet esse foro.
Cur absim, quaeret: breviter tu, multa, fatere,
 Non poterat vanae taedia ferre togae.
Quando venit? dicet: tu respondeto, poëta
 Exierat; veniet, quom citharoedus erit.

XXXI. *Eiusdem.* (L. 3. 46.)

Exigis a nobis operam sine fine togatam:
 Non eo, libertum sed tibi mitto meum.
Non est, inquis, idem. Multo plus esse probabo:
 Vix ego lecticam subsequor; ille feret.
In turbam incideris; cunctos umbone repellet:
 Invalidum est nobis ingenuumque latus.
Quidlibet in causis narraveris, ipse tacebo:
 At tibi tergeminum mugiet ille sophos.
Lis erit; ingenti faciet convicia voce:
 Esse pudor vetuit fortia verba mihi.
Ergo nihil nobis, inquis, praestabis amicus?
 Quidquid libertus, Candide, non poterit.

XXXII. *Eiusdem.* (L. 3. 64.)

 Sirenas, hilarem navigantium poenam
Blandasque mortes gaudiumque crudele,
Quas nemo quondam deserebat auditas,
Fallax Ulixes dicitur reliquisse.
Non miror: illud, Cassiane, mirarer,
Si fabulantem Canium reliquisset.

XXXIII. *Eiusdem.* (L. 4. 10.)

Dum novus est neque adhuc rasa mihi fronte libellus,
 Pagina dum tangi non bene sicca timet,
I, puer, et caro perfer leve munus amico,
 Qui meruit nugas primus habere meas.
Curre, sed instructus; comitetur Punica librum

Spongia: muneribus convenit illa meis.
Non possunt nostros multae, Faustine, liturae
Emendare iocos; una litura potest.

XXXIV. Eiusdem. (L. 4. 32.)

Et latet et lucet Phaëthontide condita gutta,
Ut videatur apis nectare clausa suo.
Dignum tantorum pretium tulit illa laborum:
Credibile est ipsam sic voluisse mori.

XXXV. Eiusdem. (L. 4. 41.)

Quid recitaturus circumdas vellera collo?
Conveniunt nostris auribus illa magis.

XXXVI. Eiusdem. (L. 4. 72.)

Exigis, ut donem nostros tibi, Quinte, libellos:
Non habeo, sed habet bibliopola Tryphon.
Aes dabo pro nugis et emam tua carmina sanus?
Non, inquis, faciam tam fatue. Nec ego.

XXXVII. Eiusdem. (L. 5. 9.)

Languebam; sed tu comitatus protinus ad me
Venisti centum, Symmache, discipulis.
Centum me tetigere manus aquilone gelatae:
Non habui febrem, Symmache, nunc habeo.

XXXVIII. Eiusdem. (L. 5. 13.)

Sum, fateor, semperque fui, Callistrate, pauper,
Sed non obscurus nec male notus eques:
Sed toto legor orbe frequens et dicitur, „Hic est!"
Quodque cinis paucis, hoc mihi vita dedit.
At tua centenis incumbunt tecta columnis
Et libertinas arca flagellat opes;
Magnaque Niliacae servit tibi gleba Syenes,
Tondet et innumeros Gallica Parma greges.
Hoc ego tuque sumus; sed quod sum, non potes esse:
Tu quod es, e populo quilibet esse potest.

XXXIX. Eiusdem. (L. 6. 61.)

Laudat, amat, cantat nostros mea Roma libellos
Meque sinus omnis, me manus omnis habet.
Ecce rubet quidam, pallet, stupet, oscitat, odit:
Hoc volo; nunc nobis carmina nostra placent.

XL. Eiusdem. (L. 1. 48.)

Nuper erat medicus, nunc est vespillo Diaulus:
Quod vespillo fecit, fecerat et medicus.

XLI. Eiusdem. Ad Valerium Flaccum. (L. 1. 77.)

O mibi curarum pretium non vile mearum,
Flacce, Antenorci spes et alumne Laris:
Pierios differ cantusque chorosque Sororum;
Aes dabit ex istis nulla puella tibi.
Quid petis a Phoebo? Nummos habet arca Minervae:
Haec sapit, haec omnes fenerat una deos:
Quid possent hederae Bacchi dare? Palladis arbor
Inclinat varias pondere nigra comas.
Praeter aquas Helicon et serta lyrasque deorum
Nil habet et magnum semper inane sophos.
Quid tibi cum Cirrha? quid cum Permesside nuda?
Romanum propius divitiusque forum est.
Illic aera sonant; at circum pulpita nostra
Et steriles cathedras basia sola crepant.

XLII. Eiusdem. (L. 1. 92.)

Quom tua non edas, carpis mea carmina, Laeli:
Carpere vel noli nostra vel ede tua.

XLIII. Eiusdem. (L. 2. 7.)

Declamas belle; causas agis, Attale, belle;
Historias bellas, carmina bella facis.
Componis belle mimos; epigrammata belle;
Bellus grammaticus, bellus es astrologus.
Et belle cantas et saltas, Attale, belle;
Bellus es arte lyrae, bellus es arte pilae.
Nil bene quom facias, facis attamen omnia belle.
Vis dicam quid sis? Magnus es ardelio.

XLIV. Eiusdem. (L. 2. 20.)

Carmina Paullus emit, recitat sua carmina Paullus;
Nam, quod emas, possis dicere iure tuum.

XLV. Eiusdem. (L. 1. 43.)

Coniugis audisset fatum quom Porcia Bruti
Et subtracta sibi quaereret arma dolor:

XLI. 11. Alii *Permessidos unda.*

„Nondum scitis, ait, mortem non posse negari?
  Credideram satis hoc vos docuisse patrem."
Dixit et ardentes avido bibit ore favillas:
  I nunc et ferrum, turba molesta, nega!

XLVI. Eiusdem. (L. 2. 78.)

Aestivo serves ubi piscem tempore, quaeris?
  In thermis serva, Caeciliane, tuis.

XLVII. Eiusdem. (L. 2. 90.)

Quintiliane, vagae moderator summe iuventae,
  Gloria Romanae, Quintiliane, togae:
Vivere quod propero pauper nec inutilis annis,
  Da veniam: properat vivere nemo satis.
Differat hoc, patrios optat qui vincere census
  Atriaque immodicis artat imaginibus.
Me focus et nigros non indignantia fumos
  Tecta iuvant et fons vivus et herba rudis.
Sit mihi verna satur, sit non doctissima coniux:
  Sit nox cum somno, sit sine lite dies.

XLVIII. Eiusdem. (L. 3. 9.)

Versiculos in me narratur scribere Cinna:
  Non scribit, cuius carmina nemo legit.

XLIX. Eiusdem. (L. 4. 44.)

Hic est pampineis viridis modo Vesvius umbris:
  Presserat hic madidos nobilis uva lacus.
Haec iuga quam Nysae colles plus Bacchus amavit:
  Hoc nuper Satyri monte dedere choros.
Haec Veneris sedes, Lacedaemone gratior illi:
  Hic locus Herculeo nomine clarus erat:
Cuncta iacent flammis et tristi mersa favilla:
  Nec superi vellent hoc licuisse sibi.

L. Eiusdem. (L. 1. 3.)

Argiletanas mavis habitare tabernas,
  Quom tibi, parve liber, scrinia nostra vacent.
Nescis heu! nescis dominae fastidia Romae:
  Crede mihi, nimium Martia turba sapit.
Maiores nusquam ronchi, iuvenesque senesque

Et pueri nasum rhinocerotis habent.
Audieris quom grande sophos, dum basia captas,
Ibis ab excusso missus in astra sago.
Sed tu, ne toties domini patiare lituras,
Neve notet lusus tristis arundo tuos,
Aetherias, lascive, cupis volitare per auras:
I, fuge; sed poteras tutior esse domi.

LI. Eiusdem. (L. 1. 101.)

Illa manus quondam studiorum fida meorum
Et felix domino notaque Caesaribus,
Destituit primos viridis Demetrius annos;
Quarta tribus lustris addita messis erat.
Ne tamen ad Stygias famulus descenderet umbras,
Ureret implicitum quom scelerata lues,
Cavimus, et domini ius omne remisimus aegro;
Munere dignus erat convaluisse meo.
Sensit deficiens sua praemia meque patronum
Dixit, ad infernas liber iturus aquas.

LII. Eiusdem. (L. 2. 8.)

Si qua videbuntur chartis tibi, lector, in istis
Sive obscura nimis sive Latina parum,
Non meus est error; nocuit librarius illis,
Dum properat versus annumerare tibi.
Quod si non illum, sed me peccasse putabis,
Tunc ego te credam cordis habere nihil.
„Ista tamen mala sunt." Quasi nos manifesta negemus:
Haec mala sunt; sed tu non meliora facis.

LIII. Eiusdem. (L. 2. 64.)

Dum modo causidicum, dum te modo rhetora fingis
Et non decernis, Taure, quid esse velis,
Peleos et Priami transit vel Nestoris aetas
Et fuerat serum iam tibi desinere.
Incipe, (tres uno perierunt rhetores anno,)
Si quid habes animi, si quid in arte vales.
Si schola damnatur, fora litibus omnia fervent;
Ipse potest fieri Marsya causidicus.
Eia age, rumpe moras; quo te sperabimus usque?
Dum, quid sis, dubitas, iam potes esse nihil.

LIV. *Eiusdem.* (L. 2. 71.)

Candidius nihil est te, Caeciliane; notavi.
Si quando ex nostris disticha pauca lego,
Protinus aut Marsi recitas aut scripta Catulli:
Hoc mihi das, tamquam deteriora legas,
Ut collata magis placeant mea? Credimus illud:
Malo tamen recites, Caeciliane, tua.

LV. *Eiusdem.* (L. 4. 49.)

Nescis, crede mihi, quid sint epigrammata, Flacce:
Qui tantum lusus illa iocosque putas.
Ille magis ludit, qui scribit prandia saevi
Tereos aut coenam, crude Thyesta, tuam,
Aut puero liquidas aptantem Daedalon alas,
Pascentem Siculas aut Polyphemon oves.
A nostris procul est omnis vesica libellis:
Musa nec insano syrmate nostra tumet.
Illa tamen laudant omnes, mirantur, adorant:
Confiteor: laudant illa, sed ista legunt.

LVI. *Eiusdem.* (L. 5. 58.)

Cras te victurum, cras dicis, Postume, semper:
Dic mihi, cras istud, Postume, quando venit?
Quam longe cras istud? ubi est? aut unde petendum?
Numquid apud Parthos Armeniosque latet?
Iam cras istud habet Priami vel Nestoris annos;
Cras istud quanti, dic mihi, possit emi?
Cras vives! Hodie iam vivere, Postume, serum est.
Ille sapit, quisquis, Postume, vixit heri.

LVII. *Eiusdem.* (L. 5. 53.)

Colchida quid scribis? quid scribis, amice, Thyestem?
Quid tibi vel Niobe, Basse, vel Andromache?
Materia est, mihi crede, tuis aptissima chartis
Deucalion, vel, si non placet hic, Phaëthon.

LVIII. *Eiusdem.* (L. 8. 18.)

Si tua, Cirini, promas epigrammata volgo,
Vel mecum possis vel prior ipse legi:
Sed tibi tantus inest veteris respectus amici,
Carior ut mea sit quam tua fama tibi.

Sic Maro nec Calabri tentavit carmina Flacci,
Pindaricos nosset quom superare modos;
Et Vario cessit Romani laude cothurni,
Quom posset tragico fortius ore loqui.
Aurum et opes et rura frequens donabit amicus;
Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

LIX. Eiusdem. (L. 9. 71.)

Dixerat, „o mores! o tempora!" Tullius olim,
Sacrilegum strueret quom Catilina nefas:
Quom gener atque socer diris concurreret armis
Maestaque civili caede maderet humus:
Cur nunc, o mores! cur nunc, o tempora! dicis?
Quod tibi non placeat, Caeciliane, quid est?
Nulla ducum feritas, nulla est insania ferri;
Pace frui certa laetitiaque licet.
Non nostri faciunt, tua quod tibi tempora sordent:
Sed faciunt mores, Caeciliane, tui.

LX. Eiusdem. (L. 10. 35.)

Omnes Sulpiciam legant puellae,
Uni quae cupiunt viro placere.
Omnes Sulpiciam legant mariti,
Uni qui cupiunt placere nuptae.
Non haec Colchidos asserit furorem,
Diri prandia nec refert Thyestae;
Scyllam, Byblida nec fuisse credit,
Sed castos docet et pios amores,
Lusus, delicias facetiasque:
Cuius carmina qui bene aestimarit,
Nullam dixerit esse nequiorem,
Nullam dixerit esse sanctiorem.
Tales Egeriae iocos fuisse
Udo crediderim Numae sub antro:
Hac condiscipula vel hac magistra
Esses doctior et pudica Sappho:
Sed tecum pariter simulque visam
Durus Sulpiciam Phaon amaret:
Frustra; namque ea nec Tonantis uxor
Nec Bacchi nec Apollinis puella
Erepto sibi viveret Caleno.

LXI. Eiusdem. (L. 5. 69.)

Antoni, Phario nil obiecture Pothino,
Et levius tabula quam Cicerone nocens:
Quid gladium demens Romana stringis in ora?
Hoc admisisset nec Catilina nefas.
Impius infando miles corrumpitur auro
Et tantis opibus vox tacet una tibi.
Quid prosunt sacrae pretiosa silentia linguae?
Incipient omnes pro Cicerone loqui.

LXII. Eiusdem. (L. 1. 36.)

Si, Lucane, tibi, vel si tibi, Tulle, darentur,
Qualia Ledaei fata Lacones habent,
Nobilis haec esset pietatis rixa duobus,
Quod pro fratre mori vellet uterque prior.
Diceret infernas et qui prior isset ad umbras:
Vive tuo, frater, tempore, vive meo.

LXIII. Eiusdem. (L. 9. 52.)

Quod semper superos, invito fratre, rogasti,
Hoc, Lucane, tibi contigit, ante mori.
Invidet ille tibi: Stygias nam Tullus ad undas
Optabat, quamvis sit minor, ire prior.
Tu colis Elysios nemorisque habitator amoeni
Esse tuo primum nunc sine fratre cupis.
Et si iam nitidis alternus venit ab astris,
Pro Polluce mones Castora ne redeat.

LXIV. Eiusdem. (L. 10. 23.)

Iam numerat placido felix Antonius aevo
Quindecies actas Primus Olympiadas;
Praeteritosque dies et totos respicit annos,
Nec metuit Lethes iam propioris aquas.
Nulla recordanti lux est ingrata gravisque;
Nulla subit, cuius non meminisse velit.
Ampliat aetatis spatium sibi vir bonus: hoc est
Vivere bis, vita posse priore frui.

LXV. Eiusdem. (L. 12. 44.)

Unice, cognato iunctum mihi sanguine nomen,
Quique geris studiis corda propinqua meis:

Carmina quom facias soli cedentia fratri,
Pectore non minor es, sed pietate prior.
Lesbia cum tenero te posset amare Catullo,
Te post Nasonem blanda Corinna sequi.
Nec deerant Zephyri, si te dare vela iuvaret:
Sed tu litus amas. Hoc quoque fratris habes.

LXVI. Eiusdem. (L. 11. 48.)

Silius haec magni celebrat monumenta Maronis,
Iugera facundi qui Ciceronis habet.
Heredem dominumque sui tumulive Larisve
Non alium mallet nec Maro nec Cicero.

LXVII. Eiusdem. (L. 12. 30.)

Siccus, sobrius est Aper: quid ad me?
Servum sic ego laudo, non amicum.

LXVIII. Eiusdem. (L. 12. 31.)

Hoc nemus, hi fontes, haec textilis umbra supini
Palmitis, hoc riguae ductile flumen aquae,
Prataque nec bifero cessura rosaria Paesto,
Quodque viret Iani mense nec alget olus;
Quaeque natat clausis anguilla domestica lymphis,
Quaeque gerit similes candida turris aves,
Munera sunt dominae; post septima lustra reverso
Has Marcella domos parvaque regna dedit.
Si mihi Nausicaë patrios concederet hortos,
Alcinoo possem dicere, malo meos.

LXIX. Eiusdem. (Apophor. 185.)

Accipe facundi Culicem, studiose, Maronis,
Ne nugis positis arma virumque canas.

LXX. Eiusdem. Lucanus. (Ibid. 194.)

Sunt quidam, qui me dicunt non esse poëtam:
Sed qui me vendit, bibliopola putat.

LXXI. Eiusdem. (L. 7. 90.)

Iactat inaequalem Matho me fecisse libellum:
Si verum est, laudat carmina nostra Matho.
Aequales scribit libros Calvinus et Umber:
Aequalis liber est, Cretice, qui malus est.

LXXII. Eiusdem. (L. 10. 60.)

Iura trium petiit a Caesare discipulorum,
Assuetus semper Munna docere duos.

LXXIII. Eiusdem. (L. 3. 45.)

Fugerit an mensas Phoebus coenamque Thyestae,
Ignoro: fugimus nos, Ligurine, tuam.
Illa quidem lauta est dapibusque instructa superbis;
Sed nihil omnino, te recitante, placet.
Nolo mihi ponas rhombos mullumve bilibrem;
Nec volo boletos, ostrea nolo: tace.

LXXIV. Eiusdem. (L. 8. 27.)

Munera qui tibi dat locupleti, Gaure, senique,
Si sapis et sentis, hic tibi ait: Morere!

LXXV. Eiusdem. (L. 6. 53.)

Lotus nobiscum est, hilaris coenavit, et idem
Inventus mane est mortuus Andragoras.
Tam subitae mortis causam, Faustine, requiris?
In somnis medicum viderat Hermocratem.

LXXVI. Eiusdem. (L. 3. 43.)

Mentiris iuvenem tinctis, Lentine, capillis:
Tam subito corvus, qui modo cygnus eras.
Non omnes falles: scit te Proserpina canum:
Personam capiti detrahet illa tuo.

LXXVII. Eiusdem. (L. 3. 56.)

Sit cisterna mihi quam vinea malo Ravennae:
Quom possim multo vendere pluris aquam.

LXXVIII. Eiusdem. (L. 3. 57.)

Callidus imposuit nuper mihi copo Ravennae:
Quom peterem mixtum, vendidit ille merum.

LXXIX. Eiusdem. (L. 7. 89.)

I, felix rosa, mollibusque sertis
Nostri cinge comas Apollinaris:
Quas tu nectere candidas, sed olim,
Sic te semper amet Venus, memento.

LXXX. Eiusdem. (L. 7. 83.)

Eutrapelus tonsor dum circuit ora Luperci
Expingitque genas, altera barba subit.

LXXXI. Memoriae. M. Lucceii. M. F. Nepotis. Sex. Onusianus. (Anthol. L. 4. 13.)

Quom praematura raptum mihi morte nepotem
Flerem, Parcarum putria fila querens,
Et gemerem tristi damnatam sorte iuventam
Versaretque novus viscera tota dolor;
Me desolatum, me desertum ac spoliatum
Clamarem, largis saxa movens lacrimis;
Exacta prope nocte, suos quom Lucifer ignes
Spargeret et volucri roscidus iret equo,
Vidi sidereo radiantem lumine formam
Aethere delabi: non fuit illa quies,
Sed verus iuveni color et sonus, at status ipse
Maior erat nota corporis effigie.
Ardentes oculorum orbes humerosque nitentes
Ostendens roseo reddidit ore sonos:
„Adfinis memorande! quid o me ad sidera caeli
Ablatum quereris? desine flere deum.
Ne pietas ignara superna sede receptum
Lugeat et laedat lumina tristitia.
Non ego Tartareas penetrabo tristis ad umbras,
Non Acheronteis transvehar umbra vadis.
Non ego caeruleam remo pulsabo carinam,
Nec te terribilem fronte timebo, Charon.
Nec Minos mihi iura dabit grandaevus et atris
Non errabo locis nec cohibebor aquis.
Surge, refer matri, ne me noctesque diesque
Defleat, ut maerens Attica mater Ityn.
Nam me sancta Venus sedes non nosse silentum
Iussit et in caeli lucida templa tulit."

LXXXI. 18. *lumina* lapis ipse. B. — *numina* prima Gruteri Ed. 19. *tristis ad umbras* lapis teste Fabretto. Emendarunt *undas*. 21. *pulsabo* ex marg. Grut. *sulcabo* B. Quae uncis inclusa vides, partim a me, partim ab aliis sunt suppleta v. 37. Alii *lauro redimire capillos*. Sed minus placet ἀσύνδετον, quod inde oritur, et *capilli* iuncti cum *crine*. Immerito autem Schraderus de huius carminis antiquitate dubitavit.

Erigor, et gelidos horror perfuderat artus,
Spirabat suavi tinctus odore locus:
„Dic nepos, seu tu turba stipatus Amorum
Laetus Adoneis lusibus insereris:
Seu grege Pieridum gaudes [cantuque sororum,]
Omnis caelicolûm te [chorus excipiet;]
Si libeat thyrsum gravidis a[gitare corymbis,]
Et velare comam palmite, Lib[er eris;]
Pascere si crinem et lauro redimi[tus honesta]
Arcum cum pharetra sumere, P[hoebus eris;]
Indueris teretes manicas, Phrygia[mque tiaram,]
Non unus Cybeles pectore vivet A[mor.]
Si spumantis equi libeat quatere ora [lupatis,]
Cyllare, formosi membra vehes e[quitis.]
Sed quicunque deus, quicunque vocabe[ris heros,]
Sit soror et mater, sit puer incol[umis!]
Haec dona unguentis et sunt potiora [corollis,]
Quae non tempus edax, non rapi[t ira Iovis.]

LXXXII. Q. Fabii Augurini. (Anthol. L. 4. 180.)

Per haec sepulcra perque quos colis, manes,
His parce tumulis ingredi pedem saepe:
Sic nunquam doleas atque triste suspires
Quantum doloris titulus iste testatur!

LXXXIII. Graecia capta. (Anthol. L. 3. 1.)

Graecia bellorum longa succussa ruina
Concidit, immodice viribus usa suis.
Fama manet; fortuna perit. Cinis ipse iacentis
Visitur et tumulo est nunc quoque sacra suo.
Exigua ingentis retinet vestigia famae,
Et magnum infelix nil nisi nomen habet.

LXXXIV. Magnillae. (Anthol. L. 4. 117.)

Umbrarum secura quies animaeque piorum
Laudatae, colitis quae loca sancta Erebi,
Sedes insontem Magnillam ducite vestras

LXXXI. 40. *Amor* recte supplevit Schrader *Ep. crit.* p. LV. pro aliorum *Atys*. LXXXIII. 5. *formae* Oudend. LXXXIV. 2. *Insontes* pro *laudatae* Maffeius.

Per nemora et campos protinus Elysios!
Rapta est octavo fatis instantibus anno,
Carpebat vitae tempora dum tenerae.
Formosa et sensu mirabilis et super annos
Docta, decens, dulcis grataque blanditiis.
Perpetuo talis gemitu lacrimisque colenda,
Infelix aevo tam cito quae caruit.
An felix aegrae potius subducta senectae?
Sic Hecuba flevit Penthesilea minus.

LXXXV. Publii Aelii Ulpii. (Anthol. L. 4. 33.)

Hanc sedem longo placuit sacrare labori,
Hanc requiem, fessos tandem qua conderet artus
Ulpius emeritis longaevi muneris annis:
Ipse suo curam titulo dedit, ipse sepulchri
Arbiter hospitium membris fatoque paravit.

LXXXVI. In imaginem Daphnes. (Anthol. L. 1. 32.)

Intonsi sum cura dei Peneïa virgo,
Perpetuae pulchro frondis honore virens.
Quisquis amas Phoebum, laurum cole; quidquid amatae
Deditur, acceptum gratus amator habet.

LXXXVII. Iuliae. (Anthol. L. 4. 153.)

Iulia, quae longa fueras dignissima vita,
Occidis, e nostro rapta puella sinu.
Sed comes ardenti nunc degis iuncta Coronae,
Nunc Helicen propius cernis et Andromedam.
Me cruciat, coniunx, miserumque absumit amantem
Saevus amor, nullis ignibus inferior.
Namque ego seu rebus fuerim districtus agendis
Seu dederim vacuo languida membra toro,
Tu mihi semper ades, tua praesens semper imago est,
Quae misero moveat flebile cordolium.
Impia cur teneros, o Mors, disiungis amantes,
Quos bene conveniens conciliavit Amor?

LXXXVIII. In Athenas et Mycenas. (Anthol. L. 3. 2.)

Quisquis Cecropias hospes cognoscit Athenas,

LXXXVII. 3. *ardenti* ex Codd. *aetheriae* B. 5. *miserumque* ex Codd. *miserum me* B.

Quae veteris famae vix tibi signa dabunt:
Hasne dei, dices, caelo petiere relicto?
Rixaque partitis haec fuit una deis?
Idem, Agamemnonias, dices, quom videris arces:
Heu victrix victa vastior urbe iaces!
Hae sunt, quas merito quondam est mirata vetustas:
Magnarum rerum magna sepulchra vides.

LXXXIX. Iulia. Procilla. Vix. An. XIX. Amarantus Caesaris aedituus ab Concordia coniugi bene meritae posuit. (Anthol. L. 4. 150.)

Hunc tibi perpetuo titulum, gratissima coniunx,
Corporis exstincti dedicat ipsa fides.
Vixisti mecum iuvenis carosque per annos,
Quos vita exegi dulciter ipse mea.
Opto, si qua fides remanet telluris amicae,
Sit tibi perpetuo terra levis tumulo.

XC. Rosa. (Anthol. L. 5. 217.)

Est rosa flos Veneris, cuius quo furta laterent,
Harpocrati matris dona dicavit Amor.
Inde rosam mensis hospes suspendit amici
Convivae, ut sub ea dicta tacenda sciant.

XCI. Domitilla Hectori. (Anthol. L. 4. 351.)

Qui colitis Cybelen et qui Phryga plangitis Attin,
Dum vacat et tacita Dindyma nocte silent:
Flete meos cineres. Non est alienus in illis
Hector et hoc tumulo Mygdonis umbra tegor.
Ille ego, qui magni parvus cognominis heres,
Corpore in exiguo res numerosa fui.
Flectere doctus equos, nitida certare palaestra,
Ferre iocos, astu fallere, nosse fidem.
At tibi dent superi, quantum, Domitilla, mereris,
Quae facis, exigua ne iaceamus humo.

LXXXVIII. 2. *formae* Schrader. 4. *rixaque* Hemsterhuis. *regnaque* B. LXXXIX. 4. *cunosque per annos Quis vitae exegi dulce iter ipse meae* Barthii susp. XC. Ep. fortasse recentioris aetatis. XCI. 3. *cineres* ex Mazoch. *casus* B.

XCII. Nympha. (Anthol. L. 1. 81.)

Huius Nympha loci, sacri custodia fontis,
Dormio, dum blandae sentio murmur aquae.
Parce meum, quisquis tangis cava marmora, somnum
Rumpere. Sive bibas sive lavere, tace.

XCIII. Tulliae Sympherusae. (Collect. Pisaur. T. 4. p. 509.)

Olim non fuimus; nati sumus: unde quieti
Nunc sumus, ut fuimus. Cura relicta vale.

XCIV. Super muros Asulae. (Anthol. L. 3. 19.)

Asula sum muris circumdata pulchra duobus,
Asula praestanti splendida facta manu.
Desine, dux belli, de me sperare triumphum:
Frange opus hoc: hominum pectora murus erunt.

XCV. D. M. Domestici. Qui. Vixit. Ann. XVI. (Anthol. L. 4. 355.)

Hoc mihi noster herus sacravit inane sepulchrum,
Villae tecta suae propter ut adspicerem;
Utque suis manibus flores mihi vinaque saepe
Funderet et lacrimam, quod mihi pluris erit.
Nostros nam cineres Pollentia saeva subegit,
Est et ibi tumulus, nomen et ara mihi.
Nec tamen aut illi * super crudelia busta,
Aut istas sedes nostra subit anima;
Sed petat Assyrios, petat ille licebit Iberos,
Per mare, per terras subsequitur dominum.

XCVI. D. Magni Ausonii, ex Graeco Leonidae. (21.)

Me lapidem quondam Persae advexere, tropaeum
Ut fierem bello: nunc ego sum Nemesis.
At sicut Graecis victoribus adsto tropaeum,
Punio sic Persas vaniloquos Nemesis.

XCII. Vereor, ne recentiori poëtae Italo tribuendum sit, siculi fortasse LXXXVIII. et plura in Burmanni Anthologia, quae consulto praetermisi quamvis antiquis saepe elegantiora. Ad XCII. cfr. Gruteri 93, 12. NYMPHIS. LOCI. BIBE. LAVA. TACE. — XCIV. Asula, castellum ad flumen Clesium. XCV. 7. *illic subter* Bonada. *illic semper* Burm. *illic servo cr.* Anonymus.

XCVII. Eiusdem, ex Graeco Platonis. (55.)

Lais anus Veneri speculum dico: dignum habeat se
Aeterna aeternum forma ministerium.
At mihi nullus in hoc usus: quia cernere talem,
Qualis sum, nolo; qualis eram, nequeo.

XCVIII. Eiusdem, ex Graeco Antipatri. (106.)

Emersam pelagi nuper genitalibus undis
Cyprin Apellei cerne laboris opus;
Ut complexa manu madidos salis aequore crines
Humidulis spumas stringit utraque comis.
Iam tibi nos, Cypri, Iuno inquit et innuba Pallas,
Cedimus et formae praemia deferimus.

XCIX. Eiusdem. In tumulo hominis felicis. (Epitaph. 35.)

Sparge mero cineres, bene olentis et unguine nardi,
Hospes, et adde rosis balsama puniceis.
Perpetuum mihi ver agit illacrimabilis urna,
Et commutavi secula, non obii.
Nulla mihi veteris perierunt gaudia vitae:
Seu meminisse putes omnia sive nihil.

C. Eiusdem. Sepulchrum Cari vacuum. (Epitaph. 31.)

Me sibi et uxori et natis commune sepulchrum
Constituit seras Carus ad exsequias.
Iamque diu monumenta vacant, sitque ista querela
Longior et veniat ordine quisque suo,
Nascendi qui lege datus: placidumque per aevum
Condatur natu qui prior, ille prior.

CI. Augustini. Mensae inscriptum. (Anthol. L. 3. 144.)

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

CII. Vettii Agorii et Paulinae. (Guascus *Mus. Capitol.* I. p. 108.)

A dextro latere:

D. M. Vettius. Agorius. Praetextatus. Augur. Pontifex. Vestae. Pontifex. Solis. Quindecemvir. Curialis. Herculis. Sacratus. Libero. Et. Eleusinis. Hierophanta. Neocorus. Tauroboliatus. Pater. Patrum. In. Re. Publica. Vero.

Quaestor. Candidatus. Praetor. Urbanus. Corrector. Tusciae. Et. Umbriae. Consularis. Lusitaniae. Proconsule. Achaiae. Praefectus. Urbi. Legatus. A. Senatu. Missus. V. Praefectus. Praetorio. II. Italiae. Et. Illyrici. Consul. Ordinarius. Designatus. Et. Aconia. Fabia. Paulina. C. F. Sacrata. Cereri. Et. Eleusiniis. Sacrata. Apud. Aeginam. Hecatae. Tauroboliata. Hierophantria. Hi. Coniuncti. Simul. Vixerunt. Ann. XL. (circa a. p. Chr. 380. Anthol. L. 4. 201.)

A dextro latere:

Paulina, veri et castitatis conscia,
Dicata templis atque amica numinum,
Sibi maritum praeferens, Romam viro,
Pudens, fidelis, pura mente et corpore,
Benigna cunctis, utilis Penatibus.

A sinistro latere:

Paulina, nostri pectoris consortio
Fomes pudoris, castitatis vinculum,
Amorque purus et fides caelo sata,
Arcana mentis cui reclusa credidi,
Munus deorum, qui maritalem torum
Nectunt amicis et pudicis nexibus.
Pietate matris, coniugali gratia,
Nexu sororis, filiae modestia,
Et, quanta amicis iungimur fiducia,
Aetatis usu consecrandi foedere:
Iugi, fideli, simplici concordia,
Iuvans maritum, diligens, ornans, colens.

In postica parte:

Splendor parentum nil mihi maius dedit,
Quam quod marito digna iam tum visa sum,
Sed lumen omne vel decus, nomen viri,
Agorî, superbo qui creatus germine,
Patriam, Senatum coniugemque inluminas
Probitate mentis, moribus, studiis simul;
Virtutis apicem qui supremum nanctus es,
Tu namque, quidquid lingua utraque est proditum

Cura sophorum, porta quis caeli patet,
Vel quae periti condidere carmina,
Vel quae solutis vocibus sunt edita,
Meliora reddis, quam legendo sumpseras.
Sed ista parva: tu pius moves te sacris
Teletis, reperta mentis arcano premis,
Divumque numen multiplex doctus colis,
Sociam benigne coniugem nectens sacris
Hominum Deûmque, consciam ac fidam tibi.
Quid nunc honores aut potestates loquar,
Hominumque votis adpetita gaudia?
Quae tu caduca ac parva semper autumans,
Divûm sacerdos infulis celsus clues.
Tu me, marite, disciplinarum bono
Puram ac pudicam sorte mortis eximens,
In templa ducis ac famulam divis dicas.
Te teste, cunctis imbuor mysteriis,
Tu Dindymenes Atteosque antistitem
Teletis honoras taureis consors pius;
Hecates ministram trina secreta edoces,
Cererisque Graiae tu sacris dignam paras.
Te propter omnes me beatam, me piam
Celebrant, quod ipse me bonam disseminas
Totum per orbem: ignota noscor omnibus,
Nam te marito cui placere non queam?
Exempla de me Romulae matres petunt;
Subolemque pulchram, si tuae similis, putant,
Optant probantque nunc viri, nunc feminae.
Quae tu magister indidisti insignia,
His nunc ademptis maesta coniunx maceror.
Felix, maritum si superstitem mihi
Divi dedissent: sed tamen felix, tua
Quia sum fuique postque mortem mox ero.

CII. 30. Burmannus et reliqui: *tu pius moves te sacris.* Hagenbuchius *te* delebat. Ego pro *pius* scripseram aliquando *plus*, id est, maiore etiam studio mysteriis quam philosophiae, attendis.. *Movere* frequentari de mysteriis atque orgiis notissimum est. Nunc cum Meiero meo malim etidere literam *s* in vocabulo *pius*. 50. *cui placere* Schraderus. 52. *si fuat similis* Guascus in Annott.

CIII. SEX. IVLI. AGATHOPI. EPHEBV. AN. VII.
(Inscriptt. mear. Latin. N. 4835.)

Te terra obtestor, leviter super ossa quiescas
  Et tenerae aetati ne gravis esse velis.

CIV. IVLIA METHE. (Morcellii Opp. epigr. I. p. 438.)

His foribus carae recubant mihi coniugis ossa
  Exspectantque suis ut mea contribuam.
Tossius ista tibi promisit saepe petenti:
  Praestabit, Manes si modo tangit amor.

CV. DIS. MANIBVS. CLAVDIA. TI. AVGVSTI L. TOREVMAE ANNOR. XVIIII. (Inscriptt. Latin. N. 4852.)

haec ego bis denos nondum matura per annos
  condor humo multIs nota toreVma iocIs.
exIguo VItae spatIo felIcIter acto
  effugI crImen longa senecta tuum.

CVI. Actii Sinceri Sannazarii. In gemmam suam.
(L. 1. 16.)

Haec, mihi quae roseos iussit sordere hyacinthos
  Et nitet articulis unica gemma meis,
Cuius in exiguo ductor stat Troicus orbe,
  Anchisesque senex Ascaniusque puer:
Quis credat? veteres inter neglecta ruinas
  Et vili latuit semisepulta solo.
Tu tamen obrueras nec te, Sinuessa, pudebat
  Hoc decus heu! terris occuluisse tuis.
Scilicet Aeneam natumque patremque gerentem
  Ignibus ereptos obrueresque deos?
Parcere debueras, cui iam pia flamma pepercit,
  Nec te tam turpi dedecorare nota.
Et dubitem Belgasque feros rigidosque Britannos,
  Hac comite, ignotos et penetrare sinus?
Haec est Iliacos pietas spectata per ignes,
  Quam verita est profugos laedere flamma deos.

CVII. Eiusdem. In Quintium. (L. 1. 26.)

Clara tibi videor scripsisse epigrammata, Quinti.

CV. Patavii nuper repertum est antiquum hoc eteostichon.

Sunt, fateor: medio scripsimus illa die.
Tu latebras obscurus amas, quia lumine nullo
Atque intempesta scribere nocte soles.

CVIII. Eiusdem. Venetiae. (L. 1. 36.)

Viderat Hadriacis Venetam Neptunus in undis
Stare urbem et toto ponere iura mari:
„Nunc mihi Tarpeias quantumvis, Iuppiter, arces
Obiice et illa tui moenia Martis," ait.
„Si Pelago Tibrim praefers, urbem aspice utramque:
Illam homines dices, hanc posuisse deos."

CIX. Eiusdem. In tumulum Neaerae. (L. 1. 42.)

Quae voces? Charitum. Quae circum pompa? Neaerae.
Unde odor hic? Cineri thura ministrat Amor.
Unde pyra? Ex pharetra. Quinam struxere? Lepores.
Ast haec illacrimans quae legit ossa? Venus.
Fortunate lapis tumuloque beatior omni,
Tu tegis in terris si quid honoris erat.

CX. Eiusdem. Ad Rufum. (L. 1. 48.)

Tamquam prisca mihi saxoque inventa vetusto
Disticha, Rufe, soles saepe referre tua.
Stultum adeo me, Rufe, putas? Ego tam mala credam
Carmina Romano marmore posse legi?
Archemoro longos affingis Nestoris annos;
Andromaches puerum Laomedonta vocas.
Desine mentiri Pyliam Phrygiamque senectam:
Sint vetera haec aliis, mi nova semper erunt.

CXI. Eiusdem. De Aenea et Didone. (L. 1. 54.)

Immemor ah miserae cur ensem linquis Elisae,
Nate dea? profugas non gravat ille rates.
Anne parum fuerat causam dare mortis acerbae,
Ni ferrum fugiens tu quoque triste dares?
Tolle, precor, tumidas tecum hoc, iam tolle per undas:
Discessu, satis est, si perit illa tuo.

CXII. Eiusdem. Dies genialis. (L. 1. 60.)

Aureli, perfunde meis unguenta capillis
Tu super, et vernas sparge, Nearche, rosas.

Sed prius aestivum ramis defendite solem
Et viridi mollem sternite fronde torum.
Non plumae, non picta iuvant me stragula, nec quae
Pavonis vario sponda colore nitet.
Larga coronata disponite pocula mensa,
Selino et gelidas adsociate nives:
Certatimque leves potanti inducite somnos.
Sic iuvat aetatis ducere fila meae.
An scimus miseri, quid lux ventura minetur?
Vivamus: mortem fallere nemo potest.

CXIII. Eiusdem. In Orphei respicientis imaginem. (L. 1. 69.)

Hoc fuit, infelix, et adhuc heu respicis, Orpheu?
Quod te, quod miseram perdidit Eurydicen.

CXIV. Eiusdem. De Venere et Diana. (L. 2. 11.)

Incultam aspiciens silvis Cytherea Dianam
Risit et: „An tendes retia semper?" ait.
Cui Dea casta: „Feris cur non ego retia tendam,
Tendere si potuit vir tuus illa tibi?"

CXV. Eiusdem. In theatrum Campanum. (L. 2. 41.)

Dicite, semidei, silvarum numina, Panes,
Et si qua adventu es Nympha fugata meo:
Cui licuit tantas saxorum evertere moles,
Quas iam disiectas vix nemora alta tegunt?
Hisne olim sueta est cuneis Campana iuventus
Amphitheatrales laeta videre iocos?
Nunc ubi tot plaususque hominum vocesque canorae,
Tot risus, tot iam gaudia, tot facies?
Scilicet, heu fati leges! rapit omnia tempus,
Et quae sustulerat, deprimit ipsa dies.

CXVI. Eiusdem. In tumulum Cottae Veronensis. (L. 2. 45.)

Sperabas tibi, docta, novum, Verona, Catullum:
Experta es duros bis viduata deos.
Nulla animum posthac res erigat, optima quando
Prima rapit celeri Parca inimica manu.
Quae tamen ut vidit morientis frigida Cottae
Ora, suum fassa est crimen et erubuit.

CXVII. Eiusdem. Se fidem servaturum. (L. 3. 3.)

Si post fata novos animas errare per artus
  Vera docent Samii dogmata nota senis,
Nec pote mens eadem mutari, seu ferus altis
  Erret aper silvis seu vaga cantet avis:
Ipse ego (mens quoniam est uni servire puellae)
  Exsurgam maestis turtur ab exsequiis.

CXVIII. Eiusdem. In Leonem X. Pont. Max. (L. 3. 8.)

Sacra sub extrema, si forte requiritis, hora
  Cur Leo non potuit sumere? Vendiderat.

CXIX. Eiusdem. Ad patriam, antequam iret in exilium. (L. 3. 9.)

Parthenope mihi culta vale, blandissima Siren,
  Atque horti valeant Hesperidesque tuae.
Mergillina vale nostri memor et mea flentis
  Serta cape, heu domini munera avara tui.
Maternae salvete umbrae, salvete paternae,
  Accipite et vestris turea dona focis.
Neve nega optatos, Virgo Sebethias, amnes;
  Absentique tuas det mihi somnus aquas.
Det fesso aestivas umbras sopor et levis aura
  Fluminaque ipsa suo lene sonent strepitu.
Exilium nam sponte sequor: Sors ipsa favebit;
  Fortibus haec solita est saepe et adesse viris
Et mihi sunt comites Musae, sunt numina vatum.
  Et mens laeta suis gaudet ab auspiciis;
Blanditurque animi constans sententia, quamvis
  Exilii meritum sit satis ipsa fides.

CXX. Castiglionii de morte Raphaëlis pictoris.

Quod lacerum corpus medica sanaverat arte
  Hippolytum, Stygiis et revocarat aquis,
Ad Stygias ipse est raptus Epidaurius undas:
  Sic pretium vitae mors fuit artifici.
Tu quoque, dum toto laniatam corpore Romam
  Componis miro, Raphaël, ingenio:
Atque Urbis lacerum ferro, igni annisque cadaver

Ad vitam antiquam iam revocasque decus,
Movisti superûm invidiam, indignataque Mors est,
Te dudum exstinctis reddere posse animam
Et, quod longa dies paullatim aboleverat, hoc te
Mortali spreta lege parare iterum.
Sic miser heu prima cadis intercepte iuventa,
Deberi et Morti nostraque nosque mones.

CXXI. Angeli Politiani. In Simonettam.

Dum pulchra effertur virgo Simonetta pheretro,
Blandus et exanimi spirat in ore lepos,
Nactus Amor tempus, quo non sibi turba caveret,
Iecit ab occlusis mille faces oculis.
Mille animos cepit viventis imagine risus
Ac Morti insultans: Est mea, dixit, adhuc:
Est mea, dixit, adhuc, nondum totam eripis illam:
Illa vel exanimis militat ecce mihi.
Dixit et ingemuit: neque enim satis apta triumphis
Illa puer vidit tempora, sed lacrimis.

CXXII. Petri Bembi. Titulus Raphaëlis.

Ille hic est Raphaël, timuit quo sospite vinci
Rerum magna parens et moriente mori.

CXXIII. Raymundi Cunichii Ad Benedictum Staium Bembi distichon laudantem.

„Morte mori timuit pictoris maxima rerum
Illa parens:" id tu scribere, Bembe, potes?
Id scriptum laudare potes, tu candide Stai,
Quod scripsisse, scio, non tamen ipse velis:
Cuius in aureolis sapiens veraxque libellis
Haud usquam verum Musa supergreditur?
Cui nihil it fines ultra nec maximus orbis
Iactura unius corruit in capitis?

CXXIV. Eiusdem. Mariae Pizzelliae Maffeii Meropen mirifice agenti.

Quod caput esse artis dicebat Roscius, unum
Quod non posse ulla tradier arte tamen:
Id pol ego quid sit vidi, Pizzellia, dum tu

Sollicitam curis nuper agis Meropen.
Voltu etenim ex omni motuque statuque tuo se
Prodebat, palmam cui dabat ille, decor.

CXXV. Eiusdem. Eidem Medeam agenti.

Egisti pulchre Meropen, Pizzellia. Quidni
Matrem pulchre ageres tam tibi consimilem?
Hoc magnum, hoc mirum est, matrum longe optima, pulchre
Medeam quod agis tam tibi dissimilem.

(Ne pagellae vacarent, his subiunxi celebratissimum illum Aristotelis hymnum, in Latinum conversum a Grotio.)

Ἀρετά, πολύμοχθε γένει βροτείῳ
θήραμα κάλλιστον βίῳ,
σᾶς πέρι, παρθένε, μορφᾶς
καὶ θανεῖν ζηλωτὸς ἐν Ἑλλάδι πότμος
καὶ πόνους τλῆναι μαλεροὺς ἀκάμαντας·
τοῖον ἐπὶ φρένα βάλλεις
καρπόν τ' ἀθάνατον χρυσοῦ τε κρείσσω
καὶ γονέων μαλακαυγήτοιό θ' ὕπνου.
σεῦ δ' ἕνεχ' οὐκ Διὸς Ἡρακλέης Λήδας τε κοῦροι
πόλλ' ἀνέτλασαν ἔργοις
σὰν ἀγρεύοντες δύναμιν.
σοῖς δὲ πόθοις Ἀχιλλεὺς
Αἴας τ' Ἀΐδαο δόμους
ἦλθον. σᾶς δ' ἕνεκεν φιλίου
μορφᾶς καὶ Ἀταρνέος ἔντροφος ἠελίου χήρωσεν αὐγάς.
τοιγὰρ ἀοίδιμος ἔργοις,
ἀθάνατόν τε μιν αὐξήσουσι Μοῦσαι
Μνημοσύνης θύγατρες
Διὸς ξενίου σέβας αὔξουσαι φιλίας τε γέρας βεβαίας.

Recte vel nimio labore constans
Et quovis pretio petenda Virtus:
Te propter, Dea pulchra, te iubente
Graiis dulce mori: nihil labores
Et tristes nihil expavere casus.
Tu saevo vetitum perire leto

Semen mentibus inseris beatum,
Prae qua spernitur et superba gaza
Et dulcis sopor et boni parentes.
Te propter Iovi prosati supremo
Alcmenae suboles genusque Ledae
Tot casus subiere, tot pericla,
Quid possent avidi docere factis.
Te propter facibus tuis calentes
Aiax inclitus et ferox Achilles
Iverunt Stygias videre portas.
Propter dulce tuae decus iuventae
Praeclari generosa stirps Atarnei
Decrevit radiis carere Phoebi:
Quem nunc carmine nescio perire
In laudem Iovis Hospitis celebrant
Proles Mnemosynae novem Camenae.

EPIGRAMMATA GRAECA IN LATINUM

CONVERSA

A GROTIO ET CUNICHIO.

(Haud inutile videbatur in repetita hac editione epigrammatis Latinis subiungere Graeca nonnulla a Grotio *et* Cunichio *) *in Latinum conversa, quo ab adolescentibus tum inter exemplaria ipsa et eorum imitationes, tum inter utrumque interpretem, pari fere elegantia conspicuum, adiuvante praeceptore, institueretur comparatio. Ita simul discent, quo modo versandum sit in ardua ista convertendi arte, si quando exercitii causa eam tentare libeat. Sed quo facilius et magistri et auditores praeparare se possent, ex optimo illo* Iacobsii *V. C.* Delectu Epigrammatum Graecorum. Gothae. *MDCCCXXVI., paucis omissis dedi Caput IV., in quo praeter poëticos lepores multa invenient perquam idonea ad Graecorum de suis poëtis ac philosophis iudicia cognoscenda.)*

*) Raymundi Cunichii e Societate Iesu Anthologica sive Epigrammata Anthologiae Graecorum selecta Latinis versibus reddita et animadversionibus illustrata. Romae. MDCCLXXI. typis Mich. Aug. Barbiellini. 8°. *pagg.* 191. Monendi sunt adolescentes Grotii immortale opus cura Hieronymi de Bosch prodisse demum Ultraiecti MDCCXCV. — MDCCCXXII. 5. Vol. 4°.

ΕΙΣ ΠΟΙΗΤΑΣ ΚΑΙ ΦΙΛΟΣΟΦΟΥΣ.

1. *ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ ΣΙΔΩΝΙΟΥ.*

Οὐκέτι θελγομένας, Ὀρφεῦ, δρύας, οὐκέτι πέτρας
ἄξεις, οὐ θηρῶν αὐτονόμους ἀγέλας·
οὐκέτι κοιμάσεις ἀνέμων βρόμον· οὐχὶ χάλαζαν,
οὐ νιφετῶν συρμούς, οὐ παταγοῦσαν ἅλα.
ὤλεο γάρ· σὲ δὲ πολλὰ κατωδύραντο θύγατρες
Μναμοσύνας, μάτηρ δ᾽ ἔξοχα Καλλιόπα.
τί φθιμένοις στοναχεῦμεν ἐφ᾽ υἱάσιν, ἁνίκ᾽ ἀλαλκεῖν
τῶν παίδων Ἀΐδην οὐδὲ θεοῖς δύναμις;

2. *ΔΑΜΑΓΗΤΟΥ.*

Ὀρφέα Θρηϊκίῃσι παρὰ προμολῇσιν Ὀλύμπου
τύμβος ἔχει, Μούσης υἱέα Καλλιόπης,
ᾧ δρύες οὐκ ἀπίθησαν, ὅτῳ σὺν ἅμ᾽ ἕσπετο πέτρη
ἄψυχος, θηρῶν θ᾽ ὑλονόμων ἀγέλα,
ὅς ποτε καὶ τελετὰς μυστηρίδας εὕρετο Βάκχου,
καὶ στίχον ἡρώῳ ζευκτὸν ἔτευξε ποδί,
ὃς καὶ ἀμειλίκτοιο βαρὺ Κλυμένοιο νόημα,
καὶ τὸν ἀκήλητον θυμὸν ἔθελξε λύρᾳ.

3. *ΑΔΗΛΟΝ.*

Καλλιόπης Ὀρφῆα καὶ Οἰάγροιο θανόντα
ἔκλαυσαν ξανθαὶ μυρία Βιστονίδες·
στικτοὺς δ᾽ ἠμάξαντο βραχίονας, ἀμφὶ μελαίνῃ
δευόμεναι σποδιῇ Θρηΐκιον πλόκαμον·

1] Cunichius sic:
Orpheu, non silvas posthac, non saxa, ferarum
Duces maternis nec genus omne modis:
Non fremitum sistes ventorum et grandinis atrae
Atque nivis lapsus et mare fluctisonum.
Stratus morte iaces. Tua flerunt funera Musae;
Ante omnes flevit Calliopea parens.
Quid faciunt nostrae gnatorum in morte querelae?
Dis genitos fletus non iuvat ipse deûm.

IN POËTAS ET PHILOSOPHOS.

1.

Robora non, Orpheus, posthac annosa movebis,
Non rigidas cautes, non sine lege feras.
Nec cessare dabis ventos et grandinis imbrem,
Densatasque nives horrisonumque mare:
Raptus morte iaces: Musarum te chorus omnis
Flevit et ante alias Calliopea parens.
Nostra quid, o homines, lugemus pignora, quando
Non possunt mortem Dî prohibere suis?

2.

Threïcius celso qua culmine surgit Olympus,
Natum Calliopes Orphea condit humus:
Cui vacuae sensu rupes, cui paruit arbor,
Auribus arrectis quem stupuere ferae:
Mystica nocturni reperit qui sacra Lyaei,
Vinxit et heroo carmina prima pede:
Qui potuit sibi Ditis inexorabile numen
Immitesque animos conciliare lyra.

3.

Bistoniae flevere nurus, quom mortuus Orpheus,
Orpheus Oeagro Calliopeque satus;
Puncta cruentantes sibi brachia, pulvere nigro
Foedantes Thressas per caput omne comas.

2] Cunichius sic:
Orphea Threicii nemoroso in vertice Olympi,
Prolem Calliopes, contegit hic tumulus;
Orphea, cui durae quercus, cui saxa, ferarum
Cui brutum toties paruit omne genus:
Orphea, qui thyasos invenit primus Iaccho
Ducere et heroo nectere verba pede;
Orphea, Plutonis mentem atque immania solus
Qui potuit dulci flectere corda lyra.

καὶ δ' αὐταὶ στοναχεῦντι σὺν εὐφόρμιγγι Λυκείῳ
ἔῤῥηξαν Μοῦσαι δάκρυα Πιερίδες,
μυρόμεναι τὸν ἀοιδόν· ἐπωδύραντο δὲ πέτραι
καὶ δρύες, ἃς ἐρατῇ τὸ πρὶν ἔθελγε λύρῃ.

4. ΑΛΛΟ.

Θρήϊκα χρυσολύρην τῇδ' Ὀρφέα Μοῦσαι ἔθαψαν,
ὃν κτάνεν ὑψιμέδων Ζεὺς ψολόεντι βέλει.

5. ΛΕΩΝΙΔΑ ΤΑΡΑΝΤΙΝΟΥ.

Ἄστρα μὲν ἠμαύρωσε καὶ ἱερὰ κύκλα σελήνης
ἄξονα δινήσας ἔμπυρος ἠέλιος·
ὑμνοπόλους δ' ἀγεληδὸν ἀπημάλδυνεν Ὅμηρος,
λαμπρότατον Μουσῶν φέγγος ἀνασχόμενος.

6. ΑΔΗΛΟΝ.

Οὐχὶ πέδον Σμύρνης ἐλοχεύσατο θεῖον Ὅμηρον,
οὐ Κολοφὼν τρυφερῆς ἄστρον Ἰηονίης,
οὐ Χίος, οὐκ Αἴγυπτος εὔσπορος, οὐ Κύπρος ἁγνή,
οὐ νῆσος κραναὴ Λαρτιάδαο πάτρη,
οὐκ Ἄργος Δαναοῖο, Κυκλωπείη τε Μυκήνη,
οὐδὲ τὸ Κεκροπίων ἄστυ παλαιογόνων.
οὐ γὰρ ἔφυ χθονὸς ἔργον, ἀπ' αἰθέρος ἀλλά ἑ Μοῦσαι
πέμψαν, ἵν' ἡμερίοις δῶρα ποθητὰ φέροι.

7. ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ.

Οἱ μέν σευ Κολοφῶνα τιθηνήτειραν, Ὅμηρε,
οἱ δὲ καλὰν Σμύρναν, οἱ δ' ἐνέπουσι Χίον,
οἱ δ' Ἴον, οἱ δ' ἐβόασαν εὔκλαρον Σαλαμῖνα,
οἱ δέ νυ τῶν Λαπιθέων ματέρα Θεσσαλίην·

3] Cunichius sic:
Calliopes prolem atque Oeagri, morte peremptum
Flavae luxerunt Orphea Bistonides:
Brachiaque effuso sparserunt puncta cruore
Foedaruntque atro rite comas cinere.
Quin, tristem Phoebo in mediis praeeunte querelam,
Fuderunt largas Pierides lacrimas;
Et quercus gemuere ipsae montanaque saxa,
Quae blanda vates duxerat ante lyra.
Cunichius sic:
Solis ut exortu primo non aurea caeli
Sidera, non usquam candida luna micat,

Ingemuit citharae fidiumque oblitus Apollo,
Pieridum lacrimis permaduere genae,
Vatis ob interitum; sonuerunt planctibus orni
Et solita illius carmine saxa trahi.

4.

Auratae dominum fidis hic posuere Camenae
Occisum flammis Orphea Thraca Iovis.

5.

Occulit aetherios ignes ipsamque sororem
Sol, tepidum nitido quum vehit axe diem:
Non aliter veterum cessit tibi gloria vatum,
Ortus es ut Musis lumen, Homere, novum.

6.

Non genuit Smyrnae divinum campus Homerum,
Non Colophon molli sidus in Ionia;
Non Cyprus, non pulchra Chios, non arva Canopi,
Non Laërtiadae patria dura feri;
Non Argos Danai Cyclopeaeque Mycenae;
Inclyta nec veterum moenia Cecropidûm.
Nam non est terrestre genus, sed ab aethere Musae
Miserunt aptum secla beare virum.

7.

Est patriam Colophona tuam qui dicat, Homere;
Ast alius Smyrnam, pars ait esse Chium,
Alter Ion dixit, sunt qui Salamina putarunt;
Quidam te Lapithûm sanguinis esse ferunt;

Sic, ubi Maeonides primum est exortus, ademit,
Quotquot erant, aliis vatibus omne iubar.

6] Cunichius sic:
Non Smyrnae tellus dium generavit Homerum,
Fecundae aut Colophon sidus Iaoniae;
Non Chios, Aegypti non pinguia rura, nec alma
Cyprus, praeruptae nec iuga celsa Ithacae;
Non Argos Danai Cyclopeaeve Mycenae,
Inclita nec veterum moenia Cecropidum.
Terra virum haud genuit, sed misit ab axe, ferentem
Dulcia terrigenis munera, Calliope.

ἄλλοι δ' ἄλλην γαῖαν ἀνίαχον. εἰ δέ με Φοίβου
χρὴ λέξαι πινυτὰς ἀμφαδὰ μαντοσύνας,
πάτρα σοι τελέθει μέγας Οὐρανός, ἐκ δὲ τεκούσης
οὐ θνατᾶς, ματρὸς δ' ἔπλεο Καλλιόπας.

8. ΑΝΤΙΦΙΛΟΥ ΒΥΖΑΝΤΙΟΥ.

α. Αἱ βίβλοι, τίνες ἐστέ; τί κεύθετε; β. θυγατέρες μὲν
Μαιονίδου, μύθων δ' ἵστορες Ἰλιακῶν,
ἁ μία μὲν μηνιθμὸν Ἀχιλλέος, ἔργα τε χειρὸς
Ἑκτορέας, δεκέτους ἆθλα λέγει πολέμου·
ἁ δ' ἑτέρα μόχθον τὸν Ὀδυσσέος, ἀμφί τε λέκτροις
χηρείοις ἀγαθᾶς δάκρυα Πηνελόπας.
α. ἵλατε σὺν Μούσαισι· μεθ' ὑμετέρας γὰρ ἀοιδᾶς
εἶπεν ἔχειν αἰὼν ἕνδεκα Πιερίδας.

9. ΑΔΕΣΠΟΤΟΝ.

Τίς ποθ' ὁ τὸν Τροίης πόλεμον σελίδεσσι χαράξας,
ἢ τίς ὁ τὴν δολιχὴν Λαρτιάδαο πλάνην;
οὐκ ὄνομ' εὑρίσκω σαφές, οὐ πόλιν. οὐράνιε Ζεῦ,
μήποτε σῶν ἐπέων δόξαν Ὅμηρος ἔχει;

10. ΑΛΦΕΙΟΥ ΜΙΤΥΛΗΝΑΙΟΥ.

Ἀνδρομάχης ἔτι θρῆνον ἀκούομεν, εἰςέτι Τροίην
δερκόμεθ' ἐκ βάθρων πᾶσαν ἐρειπομένην,
καὶ μόθον Αἰάντειον, ὑπὸ στεφάνῃ τε πόληος
ἔκδετον ἐξ ἵππων Ἕκτορα συρόμενον
Μαιονίδεω διὰ μοῦσαν, ὃν οὐ μία πατρὶς ἀοιδὸν
κοσμεῖται, γαίης δ' ἀμφοτέρης κλίματα.

11. ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ ΣΙΔΩΝΙΟΥ.

Ἡρώων κάρυκ' ἀρετᾶς, μακάρων δὲ προφήταν,
Ἑλλάνων βιοτῇ δεύτερον ἀέλιον,
Μουσῶν φέγγος Ὅμηρον, ἀγήραντον στόμα κόσμου
παντὸς, ἁλιῤῥοθία, ξεῖνε, κέκευθε κόνις.

8] Cunichius sic :
Dicite, quaenam estis? quid fertis? Troica gesta
Narramus duplex Maeonidae suboles.
Altera Pelidae stomachum bellique decennis
Proelia et Hectoreae fortia facta manus :
Altera Dulichii cursum ducis atque labores
Et flentem in vacuo Penelopen thalamo.
Salvete o, quarum divina ob carmina, nostra haec

Atque aliis tellus alia editur. At mihi si fas
Veridico Phoebus quae docet ore loqui:
Ipse potens aether tibi patria; nec tibi mater
E genere humano, sed dea Calliope.

8.

Unde, quid adfertis chartae? Genus acris Homeri
Nos sumus, Iliacas res in utraque legis.
Iras Aeacidae canit haec manibusque potentem
Hectora perque annos aspera bella decem:
Errores longos Ithaci viduoque cubili
Illa refert lacrimas, Penelopea, tuas.
Vivite cum Musis! Quom vos acceditis illis,
Aonium faciunt una decemque chorum.

9.

Ille quis, Iliacas scripsit qui carmine pugnas
Aut Ithaci longum qui celebravit iter?
Non nomen certum, non patria certa: tuumne
Iuppiter est, famam cuius Homerus habet?

10.

Andromaches resonant etiam nunc planctibus aures,
Ustaque de tanto culmine Troia cadit;
Dardanidum sudans sub moenia cernitur Aiax,
Tractus Achilleis cernitur Hector equis,
Carmine Maeonidae, quem non sua patria tantum,
Tota sed Europe nunc canit atque Asia.

11.

Qui cecinit superos Heroumque inclita gesta,
Qui sol Graiugenûm gentibus alter erat,
Ignarum senii, Musarum lumen Homerum,
Os mundi, forma cernis in archetypa.

Undenas numerant secula Pieridas.
10] Cunichius sic:
Andromachae audimus fletum Troiamque videmus,
Ceu versam, extremos corruere in cineres;
Et magnum Aiacis murorum ad saepta laborem
Et tractum Haemoniis Priamiden biiugis
Maeonidae in libris; cui non urbs una, sed omnis
Terra viro, late quam patet, est patria.

12. ΑΛΚΑΙΟΥ ΤΟΥ ΜΕΣΣΗΝΙΟΥ.

Ἡρώων τὸν ἀοιδὸν Ἴῳ ἔνι παῖδες Ὅμηρον
ἤκαχον, ἐκ Μουσέων γρῖφον ὑφηνάμενοι.
νέκταρι δ' εἰνάλιαι Νηρηΐδες ἐχρίσαντο
καὶ νέκυν ἀκταίῃ θῆκαν ὑπὸ σπιλάδι,
ὅττι Θέτιν κύδηνε καὶ υἱέα, καὶ μόθον ἄλλων
ἡρώων, Ἰθακοῦ τ' ἔργματα Λαρτιάδεω.
ὀλβίστη νήσων πόντῳ Ἴος, ὅττι κέκευθε
βαιὴ Μουσάων ἀστέρα καὶ Χαρίτων.

13. ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ ΣΙΔΩΝΙΟΥ.

Τὰν μερόπων Πειθώ, τὸ μέγα στόμα, τὰν ἴσα Μούσαις
φθεγξαμένην κεφαλάν, ὦ ξένε, Μαιονίδεω
ἅδ' ἔλαχον νασῖτις Ἴου σπιλάς· οὐ γὰρ ἐν ἄλλᾳ
ἱερόν, ἀλλ' ἐν ἐμοὶ πνεῦμα θανὼν ἔλιπεν,
ᾧ νεῦμα Κρονίδαο τὸ παγκρατές, ᾧ καὶ Ὄλυμπον,
καὶ τὰν Αἴαντος ναύμαχον εἶπε βίαν,
καὶ τὸν Ἀχιλλείοις Φαρσαλίσιν Ἕκτορα πώλοις
ὀστέα Δαρδανικῷ δρυπτόμενον πεδίῳ.
εἰ δ' ὀλίγα κρύπτω τὸν ταλίκον, ἴσθ' ὅτι κεύθει
καὶ Θέτιδος γαμέταν ἁ βραχύβωλος Ἴκος.

14. ΑΔΕΣΠΟΤΟΝ.

Θεῖος Ὅμηρος ὅδ' ἐστίν, ὃς Ἑλλάδα τὴν μεγάλαυχον
πᾶσαν ἐκόσμησεν καλλιεπεῖ σοφίῃ,
ἔξοχα δ' Ἀργείους, οἳ τὴν θεοτειχέα Τροίην
ἤρειψαν, ποινὴν ἠϋκόμου Ἑλένης.
οὗ χάριν ἔστησεν δῆμος μεγαλόπτολις αὐτὸν
ἐνθάδε, καὶ τιμαῖς ἀμφέπει ἀθανάτων.

15. ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΟΥ, οἱ δὲ ΑΡΧΙΟΥ

Αὐταί ποιμαίνοντα μεσαμβρινὰ μῆλά σε Μοῦσαι
ἔδρακον ἐν κραναοῖς οὔρεσιν, Ἡσίοδε,
καί σοι καλλιπέτηλον, ἐρυσσάμεναι περὶ πᾶσαι,
ὤρεξαν δάφνας ἱερὸν ἀκρέμονα,

15] Cunichius sic :
Te, dum pascis oves, medio iam sole Camenae
Celso viderunt, Hesiode, in nemore :
Et tibi continuo chorus omnis sacra tulere
Certatim lauri germina Apollineae

12.

Carmine perplexo vatem virtutis Homerum
Vexarunt pueri, quos generavit Ios.
Nectare sed puro corpus Nereides unctum
Contigui scopulo supposuere maris:
Quod Thetin et Thetidos natum et patientis Ulixi
Errores cecinit factaque clara ducum.
Sit non magna licet, felix Ios insula ponti,
Musarum sidus quae tegit et Venerum.

13.

Os magnum, quod Suada fuit mortalibus, orsum
Maeonidae Musis aequa sonare caput,
Hic in Io pelagi scopulus tego: nam sacer ille
Spiritus haud alia membra reliquit humo;
Quo nutum cecinit Iovis et caelestia templa,
Aiace et tutas vindice mille rates.
Et qui Dardanios permiscuit ossibus agros
Vectus in Aemathiis Hector Achillis equis.
Nec grave dic, tantum tantilla quod insula condo:
Parva virum Thetidos sic sepelivit Icos.

14.

Magnus Homerus hic est, cuius sapiente Camena
Splendida perpetuum Graecia nomen habet;
Argi praecipue, quorum vi diruta propter
Tyndarin illa deis condita Troia iacet;
Atque ob id aequantes illum caelestibus urbis
Eximiae cives hoc posuere loco.

15.

Ipsae te media viderunt luce Camenae,
Hesiode, in summo pascere monte pecus,
Carpentesque sacra Daphnes ex arbore ramum
Vestitum viridi fronde dedere tibi,
Humoremque almum, Parnassias Hippocrene
Quo fluit, aligeri fons pede ruptus equi.
Haec tulerunt; satur his cecinisti, magne poëta,
Quod genus est divis quodque opus agricolis.

δῶκαν δὲ κράνας Ἑλικωνίδος ἔνθεον ὕδωρ,
 τὸ πτανοῦ πῶλου πρόσθεν ἔκοψεν ὄνυξ,
οὗ σὺ κορεσσάμενος μακάρων γένος, ἔργα τε μολπαῖς
 καὶ γένος ἀρχαίων ἔγραφες ἡμιθέων.

16. ΜΝΑΣΑΛΚΟΥ.

Ἄσκρη μὲν πατρὶς πολυλήϊος· ἀλλὰ θανόντος
 ὀστέα πληξίππων γῆ Μινυῶν κατέχει
Ἡσιόδου, τοῦ πλεῖστον ἐν ἀνθρώποις κλέος ἐστὶν
 ἀνδρῶν κρινομένων ἐν βασάνῳ σοφίης.

17. ΑΛΚΑΙΟΥ.

Λοκρίδος ἐν νέμεϊ σκιερῷ νέκυν Ἡσιόδοιο
 Νύμφαι κρηνίδων λοῦσαν ἀπὸ σφετέρων,
καὶ τάφον ὑψώσαντο· γάλακτι δὲ ποιμένες αἰγῶν
 ἔῤῥαναν, ξανθῷ μιξάμενοι μέλιτι·
τοίην γὰρ καὶ γῆρυν ἀπέπνεεν, ἐννέα Μουσέων
 ὁ πρέσβυς καθαρῶν γευσάμενος λιβάδων.

18. ΑΔΕΣΠΟΤΟΝ.

Ἔκλαγεν ἐκ Θηβῶν μέγα Πίνδαρος· ἔπνεε τερπνὰ
 ἡδυμελιφθόγγου μοῦσα Σιμωνίδεω.
λάμπει Στησίχορός τε καὶ Ἴβυκος. ἦν γλυκὺς Ἀλκμάν·
 λαρὰ δ᾽ ἀπὸ στομάτων φθέγξατο Βακχυλίδης.
Πειθὼ Ἀνακρείοντι συνέσπετο· ποικίλα δ᾽ αὐδᾷ
 Ἀλκαῖος †κύκνω Λέσβιος Αἰολίδι.
ἀνδρῶν δ᾽ οὐκ ἐνάτη Σαπφὼ πέλεν, ἀλλ᾽ ἐρατειναῖς
 ἐν Μούσαις δεκάτη Μοῦσα καταγράφεται.

19. ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ ΘΕΣΣΑΛ.

Τάςδε θεογλώσσους Ἑλικὼν ἔθρεψε γυναῖκας
 ὕμνοις, καὶ Μακεδὼν Πιερίας σκόπελος,

17] Cunichius sic:
Locridos in nemore Hesiodi frigentia leto
 Membra suis Nymphae fontibus abluerunt,
Ac tumulum struxere viro; cui rustica pubes
 Lac niveum inferias flavaque mella dedit.
Et merito. Tam dulce melos de gutture fudit
 Pierium puro potus ab amne senex.
19] Cunichius sic:
Florifer has Helicon cantu praestante puellas

Sedaruntque sitim poclis Heliconidos undae,
Ungula quam fodit dura velocis equi.
Unde satur superûmque genus rurisque labores
Priscaque semideûm fortia facta canis.

16.

Ascra ferax Cereris patria est, nunc possidet ossa,
Rector equi Minyes cui dominatur humus,
Hesiodi, cuius celeberrima gloria vincit
Nomina doctrinae lance probata virûm.

17.

Hesiodi corpus silvae sub Locridos umbra
Laverunt Nymphae fonte nitente suo,
Et tumulum fecere super, quem lacte rigarunt
Pastores, memores addere nectar apis.
Fuderat his rebus similes quia pectore voces,
Aonidum puro potus ab amne senex.

18.

Carmina Pindaricis fidibus sublimia, dulcis
Nil nisi mel redolet musa Simonidea.
Stesichorus fulget, sed nec minor Ibycus: Alcman
Suave canit, tenerum pagina Bacchylidae.
Blandus Anacreion, Alcaeus flexile lingua
Aeolide ut Lesbi concinit albus olor.
Non debet Sappho numerari nona virorum,
Pierio decimam sed facit illa choro.

19.

Sunt etiam doctae, muliebria nomina, vates,
Quas Helicon aluit Pieriumque iugum.

Nutriit ac rupes Pieriae Macetûm:
Praxillam Myroque Anytenque et Lesbida Sappho,
(Sappho feminei Maeoniden generis)
Erinnam et claram Telesillam teque, Corinna,
Ausa est quae scutum scribere Palladium:
Nossida suaviloquam, mellito et gutture Myrtin,
Omnes aeterni carminis artifices.
Astra novem Musas totidemque has Terra creavit,
Perpetuam humano laetitiam generi.

Πρήξιλλαν, Μυρώ, Ἀνύτης στόμα, θῆλυν Ὅμηρον,
Λεσβιάδων Σαπφὼ κόσμον ἐϋπλοκάμων,
Ἤρινναν, Τελέσιλλαν ἀγακλέα, καὶ σὲ Κόριννα
θοῦριν Ἀθηναίης ἀσπίδα μελψαμέναν,
Νοσσίδα θηλύγλωσσον ἰδὲ γλυκυαχέα Μύρτιν,
πάσας ἀενάων ἐργάτιδας σελίδων.
ἐννέα μὲν Μούσας μέγας Οὐρανός, ἐννέα δ' αὐτὰς
Γαῖα τέκεν, θνατοῖς ἄφθιτον εὐφροσύναν.

20. ΙΟΥΛΙΑΝΟΥ ΤΟΥ Α. Υ. Α.

Κέρβερε, δειμαλέην ὑλακὴν νεκύεσσιν ἰάλλων,
ἤδη φρικαλέον δείδιθι καὶ σὺ νέκυν.
Ἀρχίλοχος τέθνηκε. φυλάσσεο θυμὸν ἰάμβων
δριμὺν, πικροχόλου τικτόμενον στόματος.
οἶσθα βοῆς κείνοιο μέγα σθένος, εὖτε Λυκάμβεω
νηῦς μία σοι δισσὰς ἤγαγε θυγατέρας.

21. ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ.

Νῦν πλέον ἢ τὸ πάροιθε πύλας κρατεροῖο βερέθρου
ὄμμασιν ἀγρύπνοις τρισσὲ φύλασσε κύον.
εἰ γὰρ φέγγος ἔλειπον ἀλυσκάζουσαι ἰάμβων
ἄγριον Ἀρχιλόχου φλέγμα Λυκαμβιάδες,
πῶς οὐκ ἂν προλίποι σκοτίων πυλεῶνας ἐναύλων
νεκρὸς ἅπας, φεύγων τάρβος ἐπεσβολίης.

22. ΓΑΙΤΟΥΛΙΚΟΥ.

Σῆμα τόδ' Ἀρχιλόχου παραπόντιον, ὅς ποτε πικρὴν
μοῦσαν ἐχιδναίῳ πρῶτος ἔβαψε χόλῳ,
αἱμάξας Ἑλικῶνα τὸν ἥμερον· οἶδε Λυκάμβης,
μυρόμενος τρισσῶν ἅμματα θυγατέρων.
ἠρέμα δὴ παράμειψον, ὁδοιπόρε, μήποτε τοῦδε
κινήσῃς τύμβῳ σφῆκας ἐφεζομένους.

20] Cunichius sic:
Cerbere, qui magnis terres latratibus umbras,
Terribilem hanc, ad vos quae venit umbra, time.
Occidit Archilochus: rabiem cave tristis iambi,
Quem vates torvo saevus ab ore iacit.
Voce quid iratus possit, scis, visa Lycambae
Cui simul in Stygia est utraque nata rate.

21] Cunichius sic:
Ostia Tartarei, si quando, nigra barathri
Serva nunc triplici pervigil ore canis,
Ne, dulcis vitae fugere ut lumina, pulsae

Praxilla et Myro facundaque gloria Lesbi,
Et quae vix Anyte cedit, Homere, tibi.
Est Erinna etiam Telesillaque, tuque Corinna
Quae docta clipeum Palladis arte canis:
Et Myrtis placida et versu quoque femina Nossis,
Omnes perpetui carminis artifices.
Aetheris aequavit Tellus fecunda labores,
Ille novem Musas protulit, ista novem.

20.

Cerbere, qui saevis terres latratibus umbras,
Umbram nunc saevam non minus ipse time.
Occidit Archilochus: penetrabile virus iambi,
Ex iracundo quod fluit ore, cave.
Quam sit atrox, clamore datum tibi scire, Lycambae
Cymba tibi natas quom tulit una duas.

21.

Ferrea nunc plus quam prius atri limina Ditis
Sollicito serva lumine, terne canis.
Si namque Archilochi fugerent ut virus iambos,
Deseruere iubar dulce Lycambiades,
Quomodo non fugient nigro de carcere Manes,
Saeva trucis linguae dum maledicta timent?

22.

Archilochum tegit hic pars littoris: ille Camenas
Vipereo coepit tingere felle truces.
Sanguine adhuc placidum turbans Helicona, Lycambes,
Tres natas perimens nodus id edocuit.
Quisquis es, hac tacito transi pede, busta sedentes
Ista super vespas ne tibi commoveas.

Archilochi horrenda voce, Lycambiades,
Umbrarum sic turba malis exterrita iambis
Sese aliquo Stygiis proruat e domibus.

22] Cunichius sic:
Archilochi hoc bustum propter mare; primus acerbum
Carmen qui sanie tingere viperea
Instituit, innocuum foedans Helicona cruore.
Scit, qui gnatarum tres gemit ob laqueos
Multa, Lycambes. At tacitus tu perge, viator,
Vespas ne irrites, quae tumulo involitant.

23. ΔΙΟΣΚΟΡΙΔΟΥ.

Οὐ μὰ τόδε φϑιμένων σέβας ὅρκιον, αἵδε Λυκάμβεω,
αἳ λάχομεν στυγερὴν κληδόνα, ϑυγατέρες,
οὔτε τι παρϑενίην ᾐσχύναμεν, οὔτε τοκῆας,
οὔτε Πάρον, νήσων αἰπυτάτην ἱερῶν.
ἀλλὰ καϑ' ἡμετέρης γενεῆς ῥιγηλὸν ὄνειδος
φήμην τε στυγερὴν ἔφλυσεν Ἀρχίλοχος.
Ἀρχίλοχον, μὰ ϑεοὺς καὶ δαίμονας, οὔτ' ἐν ἀγυιαῖς
εἴδομεν, οὔϑ' Ἥρης ἐν μεγάλῳ τεμένει,
εἰ δ' ἦμεν μάχλοι καὶ ἀτάσϑαλοι, οὐκ ἂν ἐκεῖνος
ἤϑελεν ἐξ ἡμέων γνήσια τέκνα τεκεῖν.

24. ΑΔΕΣΠΟΤΟΝ.

Ἔλϑετε πρὸς τέμενος γλαυκώπιδος ἀγλαὸν Ἥρης,
Λεσβίδες, ἁβρὰ ποδῶν βήμαϑ' ἑλισσόμεναι,
ἔνϑα καλὸν στήσασϑε ϑεῇ χορόν· ὔμμι δ' ἀπάρξει
Σαπφὼ χρυσείην χερσὶν ἔχουσα λύρην.
ὄλβιαι ὀρχηϑμοῦ πολυγηϑέος· ἦ γλυκὺν ὕμνον
εἰςαΐειν αὐτῆς δόξετε Καλλιόπης.

25. ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ.

Οὔνομά μευ Σαπφώ· τόσσον δ' ὑπερέσχον ἀοιδὰν
ϑηλειᾶν, ἀνδρῶν ὅσσον ὁ Μαιονίδας.

26. ΠΙΝΥΤΟΥ.

Ὀστέα μὲν καὶ κωφὸν ἔχει τάφος οὔνομα Σαπφοῦς·
αἱ δὲ σοφαὶ κείνης ῥήσιες ἀϑάνατοι.

27. ΤΥΛΛΙΟΥ ΛΑΥΡΕΑ.

Αἰολικὸν παρὰ τύμβον ἰών, ξένε, μή με ϑανοῦσαν
τὰν Μιτυληναίαν ἔννεπ' ἀοιδοπόλον.
τόνδε γὰρ ἀνϑρώπων ἔκαμον χέρες· ἔργα δὲ φωτῶν
ἐς ταχινὴν ἔῤῥει τοιάδε ληϑεδόνα.
ἢν δέ με Μουσάων ἐτάσῃς χάριν, ὧν ἀφ' ἑκάστης

24] Cunichius sic:
Iunonis magnae in lucum properate, puellae
Lesbides, o molli candida turba pede!
Pulcher ubi divae saliet chorus et reget omnes
Auratae Sappho fila movens citharae.
Felices! namque illa deae quod dixerit, ipsam
Credetis carmen dicere Calliopen.

23.

Iuramus quicquid fas est iurare sepultos,
Nos quas laeva premit fama Lycambiades:
Nec pudor a nobis nec laus temerata parentum,
Nec pelago nomen nobile nostra Paros,
Sed trux Archilochus falsis rumoribus auctor,
In nostram vomuit qui probra foeda domum.
Per Styga, per Superos, nec nos Iunonis in aede,
Nec per strata viae vidimus Archilochum.
Si scisset nos esse lupas, non ille cupisset
Legitimum ex nostro corpore ferre genus.

24.

Lesbides ite simul dominae Iunonis ad aram;
Suspenso tenerae molliter ite gradu:
Docta chorum vobis sacrata per atria Sappho
Inchoet, aurata conspicienda lyra.
Hac duce gaudentes saltate: videbitur ipsa
Edere mellitos Calliopea sonos.

25.

Sappho nomen erat: tantum muliebria vici
Carmina, tu quantum, vincis, Homere, viros.

26.

Ossa tenet Sapphus et nomen inane sepulchrum,
Docta sed illius carmina morte carent.

27.

Mortua ne dicar tibi vates ex Mitylena,
Aeolicum quisquis conspicis hunc tumulum,
Hunc hominum struxere manus: at talia quae sunt
Haec cito mortales dememinisse solent.
At me docta novem poscas si dona sororum,

25] Cunichius sic:
Sappho ego femineum vinco genus, omne virile
Vincit ut omne genus carmine Maeonides.

26] Cunichius sic:
Ossa quidem et nomen Sapphus habet urna: puella
Quae sapiens cecinit carmina, morte carent.

δαίμονος ἄνθος ἐμῇ θῆκα παρ' ἐννεάδι,
γνώσεαι ὡς Ἀΐδεω σκότον ἔκφυγον· οὐδέ τις ἔσται
τῆς λυρικῆς Σαπφοῦς νώνυμος ἠέλιος.

28. *ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ.*

Παυροεπὴς Ἤριννα καὶ οὐ πολύμυθος ἀοιδαῖς,
ἀλλ' ἔλαχεν Μούσας τοῦτο τὸ βαιὸν ἔπος.
τοιγάρτοι μνήμης οὐκ ἤμβροτεν, οὐδὲ μελαίνης
Νυκτὸς ὑπὸ σκιερῇ κωλύεται πτέρυγι·
αἱ δ' ἀναρίθμητοι νεαρῶν σωρηδὸν ἀοιδῶν
μυριάδες λήθῃ, ξεῖνε, μαραινόμεθα.
λωΐτερος κύκνου μικρὸς θρόος, ἠὲ κολοιῶν
κρωγμὸς ἐν εἰαριναῖς κιδνάμενος νεφέλαις.

29. *ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΟΥ.*

Ὁ γλυκὺς Ἠρίννης οὗτος πόνος, οὐχὶ πολὺς μέν,
ὡς ἂν παρθενικᾶς ἐννεακαιδεκέτευς,
ἀλλ' ἑτέρων πολλῶν δυνατώτερος· εἰ δ' Ἀΐδας μοι
μὴ ταχὺς ἦλθε, τίς ἂν ταλίκον ἔσχ' ὄνομα;

30. *ΑΔΗΛΟΝ.*

Ἄρτι λοχευομένην σε μελισσοτόκων ἔαρ ὕμνων,
ἄρτι δὲ κυκνείῳ φθεγγομένην στόματι,
ἤλασεν εἰς Ἀχέροντα διὰ πλατὺ κῦμα καμόντων
Μοῖρα, λινοκλώστου δεσπότις ἠλακάτας·
σὸς δ' ἐπέων, Ἤριννα, καλὸς πόνος οὔ σε γεγωνεῖ
φθίσθαι, ἔχειν δὲ χοροὺς ἄμμιγα Πιερίσιν.

31. *ΛΕΩΝΙΔΟΥ*, οἱ δὲ *ΜΕΛΕΑΓΡΟΥ.*

Παρθενικὴν νεαοιδὸν ἐν ὑμνοπόλοισι μέλισσαν
Ἤρινναν, Μουσῶν ἄνθεα δρεπτομέναν,
Ἅιδας εἰς ὑμέναιον ἀνάρπασεν· ἦ ῥα τόδ' ἔμφρων
εἶπ' ἐτύμως ἁ παῖς· Βάσκανος ἔσσ', Ἀΐδα.

30] Cunichius sic:
Nuper, suavidico vernos dum gutture flores,
Gratum et cycneo fundis ab ore melos,
Impulit heu miseram nigras Acherontis ad undas
Tristis fatiferae Parca colus domina.

Dona novem libris quae tribuere meis,
Agnoscas me iure meo contemnere mortem:
Nam sine sol Sapphus nomine nullus erit.

28.

Pauca quidem cecinit nobis Erinna, loquelae
Parca, sed hoc Musas tam breve carmen habet.
Nec fuit a famae deserta favore: nec illam
Implicitam pennis nox tegit atra suis.
At nos interea vatum numerosa novorum
Milia nube tegit proxima saepe dies;
Nam melius cycni carmen breve, quam sonus omnis,
Quem spargit vernas graculus in nebulas.

29.

Dulcis hic Erinnae labor est, non magnus (ad annos
Virgo novem tantum vixerat atque decem:)
Sed multis praestans aliis: nisi fata tulissent
Tam cito me, cuius gloria tanta foret?

30.

Dum paris aeternum mellitis carminibus ver,
Fundit olorinos dum tua lingua sonos,
Regna per umbrarum te fert Acherontis ad undas
Parca colus vitae pensa trahentis hera.
Sed doctus labor ille tuus te vivere clamat,
Erinna, et Musas inter habere choros.

31.

Erinnam vigilem Musarum carpere flores,
Quae vates inter laeta virebat apis,
Ad sua fert Pluton connubia: vera puella
Dixerat; o Pluton, invidus es nimium!

Carmen at, o Erinna, tuum te clamitat Orco
Ereptam inque choris vivere Pieridum.

31] Cunichius sic:
More apis eximios inter volitare poëtas
Adsuetam et flores carpere Castalios,
Erinnam Pluton rapuit sibi. Vera puellae
Vox fuit: Pluton, invidus es nimium!

32. *ΑΔΗΛΟΝ.*

Λέσβιον Ἠρίννης τόδε κηρίον· εἰ δέ τι μικρόν,
ἀλλ' ὅλον ἐκ Μουσέων κιρνάμενον μέλιτι.
οἱ δὲ τριηκόσιοι ταύτης στίχοι ἶσοι Ὁμήρῳ,
τῆς καὶ παρθενικῆς ἐννεακαιδεκέτευς,
ἣ καὶ ἐπ' ἠλακάτῃ μητρὸς φόβῳ, ἣ καὶ ἐφ' ἱστῷ
ἑστήκει, Μουσέων λάτρις ἐφαπτομένη.
Σαπφὼ δ' Ἠρίννης ὅσσον μελέεσσιν ἀμείνων,
Ἤριννα Σαπφοῦς τόσσον ἐν ἑξαμέτροις.

33. *ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ.*

Σάρδιες, ἀρχαῖος πατέρων νομός, εἰ μὲν ἐν ὑμῖν
ἐτρεφόμαν, κερνᾶς ἦν τις ἂν ἢ βακέλας
χρυσοφόρος, ῥήσσων καλὰ τύμπανα· νῦν δέ μοι Ἀλκμὰν
οὔνομα, καὶ Σπάρτας εἰμὶ πολυτρίποδος,
καὶ Μούσας ἐδάην Ἑλικωνίδας, αἵ με τυράννων
θῆκαν Δασκύλεω μείζονα καὶ Γύγεω.

34. *ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ ΘΕΣΣΑΛΟΝ.*

Ἀνέρα μὴ πέτρῃ τεκμαίρεο· λιτὸς ὁ τύμβος
ὀφθῆναι μεγάλου δ' ὀστέα φωτὸς ἔχει.
εἰδήσεις Ἀλκμᾶνα, λύρης ἐλατῆρα Λακαίνης
ἔξοχον, ὃν Μουσέων ἐννέ' ἀριθμὸς ἔχει·
κεῖται δ' ἠπείροις διδύμαις ἔρις, εἴθ' ὅ γε Λυδός,
εἴτε Λάκων· πολλαὶ μητέρες ὑμνοπόλων.

35. *ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ ΣΙΔΩΝΙΟΥ.*

Ἴβυκε, ληϊσταί σε κατέκτανον ἔκ ποτε νήσου
βάντ' ἐς ἐρημαίην ἄστιβον ἠϊόνα,
ἀλλ' ἐπιβωσάμενον γεράνων νέφος, αἵ τοι ἵκοντο
μάρτυρες ἄλγιστον ὀλλυμένῳ θάνατον·
οὐδὲ μάτην ἰάχησας, ἐπεὶ ποινῆτις Ἐρινὺς
τῶνδε διὰ κλαγγὴν τίσατο σεῖο φόνον
Σισυφίην κατὰ γαῖαν. Ἰὼ φιλοκερδέα φῦλα
ληϊστέων, τί θεῶν οὐ πεφόβησθε χόλον;
οὐδὲ γὰρ ὁ προπάροιθε κανὼν Αἴγισθος ἀοιδὸν
ὄμμα μελαμπέπλων ἔκφυγεν Εὐμενίδων.

36. *ΣΙΜΩΝΙΔΟΥ.*

Μνήμην δ' οὔ τινά φημι Σιμωνίδῃ ἰσοφαρίζειν
ὀγδωκονταέτει, παιδὶ Λεωπρεπέος.

32.

Lesbidis Erinnae non magna mole, sed omnis
Pieridum redolet dulcia mella favus:
Haud plus ter centum quae versibus aequat Homerum,
Annos nata decem virgo superque novem;
Nec tamen interea quae poscunt otia Musae
Aut colus aut telae, matre premente, dabant.
Si cupis, Erinnam Sappho testudine vincat,
Dum tamen Erinnae cedat in hexametris.

33.

Urbs proavita mihi Sardes, si vester alumnus
Mansissem, spado nunc, ad cyathosve forem
Auratus, quatiens cava tympana: nomen at Alcman
Nunc mihi, meque suum Sparta beata vocat,
Sumque Heliconiadum dono praestante tyranno
Maior, sive ille est Dascyla sive Gyges.

34.

Ne saxo metire virum; si vile sepulchrum
Aspicis, at magni vatis id ossa tegit.
Alcman nomen habet, citharam pulsare Lacaenam
Optimus et Musis additus ipse novem.
Certamen terris geminis, an origine Lydus
An Laco; non simplex vatibus est patria.

35.

Ibyce, ad incultum quos duxerat insula littus,
Praedones mortis caussa fuere tibi,
Clamares quom saepe grues tibi forte volantes;
Namque alios testes mors tua non habuit.
Nec tua vox periit: siquidem clangentibus illis
Ulta tuam post est horrida poena necem,
Sisyphia tellure. Quis o furor iste, latrones,
Sanctorum quod vos non movet ira deûm?
Vatis et Aegisthus foedatus sanguine dextram
Effugere Eumenidum lumina non potuit.

36.

Sedecies annos post quinque Simonida cunctos
Exsuperat memori mente Leoprepides.

37. ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ.

Ἡμερὶ πανθέλκτειρα, μεθυτρόφε, μῆτερ ὀπώρας,
οὔλης ἣ σκολιὸν πλέγμα φύεις ἕλικος,
Τηΐου ἡβήσειας Ἀνακρείοντος ἐπ' ἄκρῃ
στήλῃ, καὶ λεπτῷ χώματι τοῦδε τάφου,
ὡς ὁ φιλάκρητός τε καὶ οἰνοβαρὴς φιλόκωμος,
παννύχιος κρούων τὴν φιλόπαιδα χέλυν,
κἢν χθονὶ πεπτηώς, κεφαλῆς ἐφύπερθε φέροιτο
ἀγλαὸν ὡραίων βότρυν ἀπ' ἀκρεμόνων,
καί μιν ἀεὶ τέγγοι νοτερὴ δρόσος, ἧς ὁ γεραιὸς
λαρότερον μαλακῶν ἔπνεεν ἐκ στομάτων.

38. ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ ΣΙΔΩΝΙΟΥ.

Θάλλοι τετρακόρυμβος, Ἀνάκρεον, ἀμφὶ σὲ κισσός,
ἁβρά τε λειμώνων πορφυρέων πέταλα·
πηγαὶ δ' ἀργινόεντος ἀναθλίβοιντο γάλακτος,
εὐῶδες δ' ἀπὸ γῆς ἡδὺ χέοιτο μέθυ,
ὄφρα κέ τοι σποδιή τε καὶ ὀστέα τέρψιν ἄρηται,
εἰ δή τις φθιμένοις χρίμπτεται εὐφροσύνα.
ὦ τὸ φίλον στέρξας, φίλε, βάρβιτον, ὦ σὺν ἀοιδᾷ
πάντα διαπλώσας καὶ σὺν ἔρωτι βίον.

39. ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ.

Ξεῖνε, τάφον παρὰ λιτὸν Ἀνακρείοντος ἀμείβων,
εἴ τί τοι ἐκ βίβλων ἦλθεν ἐμῶν ὄφελος,
σπεῖσον ἐμῇ σποδιῇ, σπεῖσον γάνος, ὄφρα κεν οἴνῳ
ὀστέα γηθήσῃ τἀμὰ νοτιζόμενα,
ὡς ὁ Διωνύσου μεμελημένος εὐάσι κώμοις,
ὡς ὁ φιλακρήτου σύντροφος ἁρμονίης,
μηδὲ καταφθίμενος Βάκχου δίχα τοῦτον ὑποίσω
τὸν γενεῇ μερόπων χῶρον ὀφειλόμενον.

40. ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ.

Νεβρείων ὁπόσον σάλπιγξ ὑπερίαχεν αὐλῶν,
τόσσον ὑπὲρ πάσας ἔκραγε σεῖο χέλυς·
οὐδὲ μάτην ἁπαλοῖς ξουθὸς περὶ χείλεσιν ἑσμὸς
ἔπλασε κηρόδετον, Πίνδαρε, σεῖο μέλι.
μάρτυς ὁ Μαινάλιος κερόεις θεός, ὕμνον ἀείσας
τὸν σέο, καὶ νομίων λησάμενος δονάκων.

37.

Laeta meri mater, quae crispas molliter uvas
Intexis lentis ebria palmitibus,
Fronde tua veletur Anacreionta columna
Quae notat et tenuis qua sepelitur humus;
Ut sitiens vini comessatorque per omnem
Noctem de pueri pulset amore chelyn.
Nunc etiamque tegat de pulchris facta racemis
In terras lapsi festa corona caput,
Nec Bromii sit roris egens, quo dulcius ipso
Spiravit lepido carmen ab ore senex.

38.

Cingat, Anacreion, quadruplex tua busta corymbus,
Et quae vernantes purpura vestit agros;
Fontibus emanet nivei bona copia lactis,
Fundat odorati pocula terra meri,
Ut cineres habeant quo delectentur et ossa,
Si quid dulce tamen Manibus esse potest:
O cui cara fuit semper lyra vitaque amores
Inter et argutos velificata modos!

39.

Qui transis hic hospes Anacreionta sepultum,
Si tibi quid gratum pagina nostra dedit:
Da, rogo, quae cineri placeant libamina nostro,
Et mea Lenaeus proluat ossa liquor:
Auribus ut teneri vox semper grata Lyaei,
Qui dapis et Musae nuper alumnus eram,
Haec quoque non tolerem dulci sine munere Bacchi
Humano generi debita vasta loca.

40.

Tantum victa tuae quaevis chelys altera cedit,
Quantum ex hinnuleo tibia facta tubae.
Nec frustra in teneris examen dulce labellis,
Sedit et affudit, Pindare, mella tibi.
Corniger Arcadiae testis Deus, is tua namque
Carmina depositis cantat arundinibus.

41. ΦΙΛΙΠΠΟΥ.

*Ὦ ξεῖνε, φεῦγε τὸν χαλαζεπῆ τάφον
τὸν φρικτὸν, Ἱππώνακτος, οὗ τε χἀ τέφρα
ἰαμβιάζει Βουπάλειον ἐς στύγος,
μή πως ἐγείρῃς σφῆκα τὸν κοιμώμενον,
ὃς οὐδ' ἐν Ἅιδῃ νῦν κεκοίμικεν χόλον,
σκάζουσι μέτροις ὀρθὰ τοξεύσας ἔπη.*

42. ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ ΘΕΣΣΑΛΟΝ.

*Ὁ τραγικὸν φώνημα καὶ ὀφρυόεσσαν ἀοιδὴν
πυργώσας στιβαρῇ πρῶτος ἐν εὐεπίῃ,
Αἰσχύλος Εὐφορίωνος, Ἐλευσινίης ἑκὰς αἴης
κεῖται, κυδαίνων σήματι Τρινακρίην.*

43. ΔΙΟΔΩΡΟΥ.

*Αἰσχύλον ἥδε λέγει ταφίη λίθος ἐνθάδε κεῖσθαι
τὸν μέγαν οἰκείης τῆλ' ἀπὸ Κεκροπίης,
λευκὰ Γέλα Σικελοῖο παρ' ὕδατα· τίς φθόνος, αἶ αἶ,
Θησείδας ἀγαθῶν ἔγκοτος αἰὲν ἔχει;*

44. ΣΙΜΜΙΟΥ ΘΗΒΑΙΟΥ.

*Τόν σε χοροῖς μέλψαντα Σοφοκλέα, παῖδα Σοφίλου,
τὸν τραγικῆς Μούσης ἀστέρα Κεκρόπιον,
πολλάκις ἐν θυμέλῃσι καὶ ἐν σκηνῇσι τεθηλὼς
βλαισὸς Ἀχαρνίτης κισσὸς ἔρεψε κόμην,
τύμβος ἔχει καὶ γῆς ὀλίγον μέρος· ἀλλ' ὁ περισσὸς
αἰὼν ἀθανάτοις δέρκεται ἐν σελίσιν.*

45. ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ.

*Ἠρέμ' ὑπὲρ τύμβοιο Σοφοκλέος, ἠρέμα, κισσέ,
ἑρπύζοις, χλοεροὺς ἐκπροχέων πλοκάμους,
καὶ πέταλον πάντῃ θάλλοι ῥόδου, ἥ τε φιλοῤῥὼξ*

42] Cunichius sic:
Eximio tragicam primus qui carmine Musam
Ex humili celsum sustulit ad columen,
Aeschylus Actaea iacet hic male pulsus ab urbe
Atque suo decorat Trinacriam tumulo.

43] Cunichius sic:
Aeschylon hoc marmor, quod contegit ossa, iacere
Cecropia extorrem dicit ab urbe procul,

41.

Hunc grandinantem, si sapis, tumulum fuge,
Viator, Hipponactis, hostis Bupali;
Atrox iambis stridet ipse etiam cinis.
Vide crabronem ne cubantem suscites:
Nondum quiescit eius apud Orcum furor,
Sed recta vibrat tela claudo carmine.

42.

Qui tragicas voces multumque trahentia fastus
Fortibus instituit stringere verba modis,
Aeschylus, Euphorionis, Eleusinos procul arvis,
Concelebrat Siculam, qua sepelitur, humum.

43.

Aeschylon hic positum loquitur lapis, Atthide terra
Tam procul, ingentem carminis arte virum,
Alba Gelae Siculi prope flumina: quis furor, o gens
Theseos, invisos semper habere bonos?

44.

Decantate choris, Sophocles, prognate Sophilo,
Quem vocat Actaeum Musa tragoeda iubar,
Cuius apud scaenas et pulpita saepe capillos
Texit Acharnensis Bacchica frons hederae.
Parva licet te condat humus, te, temporis omne
Quod venit, in charta non moriente videt.

45.

Inclita divini circum haec monumenta Sophoclis
Serpite paullatim, serpite vos hederae.
Floreat hîc illic vernans rosa saxaque dura

Alba Gelae Siculi prope flumina. Vestra quid urget
Usque bonos cives, Cecropidae, invidia?
45] Cunichius sic:
Ite Sophocleum placide serpente corymbo
Per tumulum et vati plectite serta, hederae;
Vitis et uvidulos circum det laeta racemos,
Undique et e molli se rosa fundat humo.
Dia viri hoc meruit sapientia, suaviloquenti
Carmine cui Musas miscuit et Charitas.

ἄμπελος, ὑγρὰ πέριξ κλήματα χευαμένη,
εἵνεκεν εὐμαθίης πινυτόφρονος, ἣν ὁ μελιχρὸς
ἤσκησεν Μουσῶν ἄμμιγα καὶ Χαρίτων.

46. ΣΙΜΩΝΙΔΟΥ.

Ἐσβέσθης, γηραιὲ Σοφόκλεες, ἄνθος ἀοιδῶν,
οἰνωπὸν Βάκχου βότρυν ἐρεπτόμενος.

47. ΙΩΝΟΣ.

Χαῖρε μελαμπέπλοις, Εὐριπίδη, ἐν γυάλοισιν
Πιερίας τὸν ἀεὶ νυκτὸς ἔχων θάλαμον·
ἴσθι δ' ὑπὸ χθονὸς ὤν, ὅτι σοι κλέος ἄφθιτον ἔσται,
ἶσον Ὁμηρείαις ἀενάοις χάρισιν.

48. ΑΔΕΣΠΟΤΟΝ.

Εἰ καὶ δακρυόεις, Εὐριπίδη, εἷλέ σε πότμος
καί σε λυκορραῖσται δεῖπνον ἔθεντο κύνες,
τὸν σκηνῇ μελίγηρυν ἀηδόνα, κόσμον Ἀθηνῶν,
τὸν σοφίῃ Μουσέων μιξάμενον χάριτα.
ἀλλ' ἔμολες Πελλαῖον ὑπ' ἠρίον, ὡς ἂν ὁ λάτρις
Πιερίδων ναίῃς ἀγχόθι Πιερίδων.

49. ΘΟΥΚΥΔΙΔΟΥ.

Μνᾶμα μὲν Ἑλλὰς ἅπασ' Εὐριπίδου· ὀστέα δ' ἴσχει
γῆ Μακεδών· ᾗ γὰρ δέξατο τέρμα βίου.
πατρὶς δ' Ἑλλάδος Ἑλλάς, Ἀθῆναι· πλεῖστα δὲ μούσαις
τέρψας, ἐκ πολλῶν καὶ τὸν ἔπαινον ἔχει.

50. ΑΔΗΛΟΝ.

Οὐ σὸν μνῆμα τόδ' ἔστ', Εὐριπίδη, ἀλλὰ σὺ τοῦδε·
τῇ σῇ γὰρ δόξῃ μνῆμα τόδ' ἀμπέχεται.

51. ΑΔΔΑΙΟΥ.

Οὔ σε κυνῶν γένος εἷλ', Εὐριπίδη, οὐδὲ γυναικὸς
οἶστρος, τὸν σκοτίης Κύπριδος ἀλλότριον,
ἀλλ' Ἀΐδης καὶ γῆρας· ὑπαὶ Μακέτῃ δ' Ἀρεθούσῃ
κεῖσαι, ἑταιρείῃ τίμιος Ἀρχέλεω.
σὸν δ' οὐ τοῦτον ἐγὼ τίθεμαι τάφον, ἀλλὰ τὰ Βάκχου
βήματα, καὶ σκηνὰς ἐμβάδι πειθομένας.

Vitis amans fundat brachia lenta super.
Haec merita est facunda viri sapientia, mella
Quae redolens Musas miscuit et Veneres.

46.

Flos vatum, Sophocles, canentibus occidis annis,
Dum stringit fauces uva comesta tuas.

47.

O qui Pieriae thalamis, Euripida, vallis
Non cessatura nocte quiescis, ave.
Hoc sub humo te scire velim, tibi surgere laudes
Perpetuas, quantas magnus Homerus habet.

48.

Flenda quidem multum tua mors, Euripida, quod te
Esse lupos soliti dissecuere canes,
Lusciniam scaenae, magnum decus Erechthei,
Qui sophiam Tragicas adiicis ad Veneres.
At tumulum tibi Pella dedit, cultorque fidelis
Pieridum coleris nunc prope Pieridas.

49.

Graecia quanta patet, monumentum Euripidis: ossa
Terra tegit Macetûm, terra suprema viro.
Patria quae Graecis patria est communis, Athenae:
Musa eius placuit; laus sine fine manet.

50.

Non monumenta tua haec, Euripida, tu magis ipsis:
Namque a te tumulo maxima fama venit.

51.

Non mortis tibi causa canes, Euripida, sed nec
Femineus, Venerem dum fugis ipse, furor.
Subduxit senio te mors: Arethusa sepulchrum
Praebuit: immensi fecerat Archeleos.
Nec tuus hic tumulus me iudice, sed sacra Baccho
Vestis et in scaena tempus in omne favor.

52. ΝΙΚΑΙΝΕΤΟΥ.

Οἶνός τοι χαρίεντι πέλει ταχὺς ἵππος ἀοιδῷ·
ὕδωρ δὲ πίνων οὐδὲν ἂν τέκοι σοφόν.
τοῦτ᾽ ἔλεγεν, Διόνυσε, καὶ ἔπνεεν οὐχ ἑνὸς ἀσκοῦ
Κρατῖνος, ἀλλὰ παντὸς ὠδώδει πίθου.
τοιγὰρ ὑπὸ στεφάνοις μέγας ἔβρυεν, εἶχε δὲ κισσῷ
μέτωπον ὥςπερ καὶ σὺ κεκροκωμένον.

53. ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΣ.

Βίβλοι Ἀριστοφάνευς, θεῖος πόνος, αἷσιν Ἀχαρνεὺς
κισσὸς ἐπὶ χλοερὴν πουλὺς ἔσεισε κόμην.
ἠνίδ᾽ ὅσον Διόνυσον ἔχει σελίς, οἷα δὲ μῦθοι
ἠχεῦσιν, φοβερῶν πληθόμενοι χαρίτων.
ὦ καὶ θυμὸν ἄριστε, καὶ Ἑλλάδος ἤθεσιν ἶσα,
κωμικέ, καὶ στύξας ἄξια καὶ γελάσας.

54. ΠΛΑΤΩΝΟΣ.

Αἱ Χάριτες τέμενός τι λαβεῖν, ὅπερ οὐχὶ πεσεῖται,
ζητοῦσαι, ψυχὴν εὗρον Ἀριστοφάνους.

55. ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚ

Ὄβριμον ἀκαμάτου στίχον αἴνεσον Ἀντιμάχοιο,
ἄξιον ἀρχαίων ὀφρύος ἡμιθέων,
Πιερίδων χαλκευτὸν ἐπ᾽ ἄκμοσιν, εἰ τορὸν οὖας
ἔλλαχες, εἰ ζαλοῖς τὸν ἀγέλαστον ὄπα,
εἰ τὰν ἄτριπτον καὶ ἀνέμβατον ἀτραπὸν ἄλλοις
μαίεαι· εἰ δ᾽ ὕμνων σκᾶπτρον Ὅμηρος ἔχει,
καὶ Ζεύς τοι κρέσσων Ἐνοσίχθονος· ἀλλ᾽ Ἐνοσίχθων
τοῦ μὲν ἔφυ μείων, ἀθανάτων δ᾽ ὕπατος.
καὶ ναετὴρ Κολοφῶνος ὑπέζευκται μὲν Ὁμήρῳ,
ἀγεῖται δ᾽ ἄλλων πλάθεος ὑμνοπόλων.

56. ΑΔΕΣΠΟΤΟΝ.

Αὗταί σοι στομάτεσσιν ἀνηρείψαντο μέλισσαι
ποικίλα Μουσάων ἄνθεα δρεψάμεναι·

52] Cunichius sic:
Vinum est fortis equus dicturo grata poëtae:
Gratum nil potis est dicere potor aquae.
Haec tuus edixitque Cratinus, Bacche; nec utrem
Unum oluit, verum dolia cuncta simul;

52.

Vinum praestat equi divinis vatibus usum;
Aquam bibenti Musa nec cedit bene.
Ille tuus, Liber, quom diceret ista Cratinus,
Madens olebat non utrem, sed dolium.
Carmina sub sertis fundens hederaque revinctus
Florente laetas in tuum morem comas.

53.

Cernis Aristophanis sacra carmina, queis ab Acharnis
Florentes hederae circuiere comas.
Aspice quam multo rapiatur pagina Baccho,
Plena quidem Venerum, sed metuenda tamen.
Moribus o Graecis prudente salutifer ira,
Maxime, seu rides, Comice, sive notas.

54.

Immortale sibi templum quum Gratia triplex
Quaereret, ecce animo sedit Aristophanis.

55.

Antimachi fortes numeros et carmina lauda,
Heroum veterum digna supercilio;
Formata Aoniis incudibus, auris acuta
Si tibi, si tua mens ora severa probat,
Nullius pede trita iuvat si te via. Quod si
Pieriae sceptrum laudis Homerus habet,
Vincit Neptunum quoque Iuppiter: attamen ille
Tam dis est maior, quam Iove rege minor.
Sic uni cedit civis Colophonis Homero,
Sed colit hunc vatum cetera turba ducem.

56.

Infudere tibi nectar de floribus ortum
Pieridum campos quae populantur apes:

Fervebatque vigens animis, rubicunda virenti
More tuo gestans tempora vincta hedera.
54] Cunichius sic:
Quaerebant Charites templum, quod nulla vetustas
Solveret: inventum est pectus Aristophanis.

αὗται καὶ Χάριτές σοι ἐδωρήσαντο, Μένανδρε,
  στωμύλον εὐτυχίην δράμασιν ἐνθέμεναι.
ζώεις εἰς αἰῶνα· τὸ δὲ κλέος ἐστὶν Ἀθήναις
  ἐκ σέθεν οὐρανίων ἁπτόμενον νεφέων.

57. ΑΔΕΣΠΟΤΟΝ.

Φαιδρὸν ἑταῖρον Ἔρωτος ὁρᾷς, σειρῆνα θεάτρων,
  τόνδε Μένανδρον, ἀεὶ κρᾶτα πυκαζόμενον,
οὕνεκ' ἄρ' ἀνθρώπους ἱλαρὸν βίον ἐξεδίδαξεν,
  ἡδύνας σκηνὴν δράμασι πᾶσι γάμων.

58. ΑΔΕΣΠΟΤΟΝ.

Ἐχρῆν μὲν στῆσαι σὺν Ἔρωτι φίλῳ σε, Μένανδρε,
  ᾧ συζῶν ἐτέλεις ὄργια τερπνὰ θεοῦ·
δῆλος δ' εἶ φορέων ἀεὶ θεόν, ὁππότε καὶ νῦν
  σὴν μορφὴν κατιδὼν αὐτίκα πᾶς σε φιλεῖ.

59. ΟΝΕΣΤΟΥ.

Μούσης νουθεσίην φιλοπαίγμονος εὕρετο Βάκχος,
  ὦ Σικυών, ἐν σοὶ κῶμον ἄγων Χαρίτων.
δὴ γὰρ ἔλεγχον ἔχει γλυκερώτατον, ἔν τε γέλωτι
  κέντρον· χὠ μεθύων ἀστὸν ἐσωφρόνισεν.

60. ΑΔΗΛΟΝ.

Οὐκ ἂν ἐν ἡμετέροισι πολυγνάμπτοις λαβυρίνθοις
  ῥηϊδίως προμόλοις ἐς φάος, αἴκε τύχῃς.
τοίους γὰρ Πριαμὶς Κασσάνδρῃ φοίβασε μύθους,
  ἄγγελος οὓς βασιλεῖ ἔφρασε λοξοτρόχις.
εἰ δέ σε φίλατο Καλλιόπη, λάβε μ' ἐς χέρας· εἰ δὲ
  νῆϊς ἔφυς Μουσέων, χερσὶ βάρος φορέεις.

61. ΚΡΙΝΑΓΟΡΟΥ.

Καλλιμάχου τὸ τορευτὸν ἔπος τόδε· δὴ γὰρ ἐπ' αὐτῷ
  ὠνὴρ τοὺς Μουσέων πάντας ἔσεισε κάλους.
ἀείδει δ' Ἑκάλης τε φιλοξείνοιο καλίην,
  καὶ Θησεῖ Μαραθὼν οὓς ἐπέθηκε πόνους,
τοῦ σοι καὶ νεαρὸν χειρῶν σθένος εἴη ἀρέσθαι,
  Μάρκελλε, κλεινοῦ τ' αἶνον ἴσον βιότου.

59. 4. ἀστόν] Leg. αὖον, siccum, sobrium.

Sermonis facilem, qualem volt fabula, ductum
  Gratia donavit trina, Menandre, tibi.
Perpetuum vives. Quae de te surgit Athenis
  Gloria, caelestes venit ad usque domos.

57.

Ecce coronatum semper caput, ecce Menandrum,
  Qui Siren scaenae, compar Amoris erat.
Auctor namque hilaris vitae fuit inque theatrum
  Induxit Paphii foederis omne genus.

58.

Proximus hic merito stas, docte Menander, Amori:
  Nam tu mysta sacris dulcibus eius eras.
Quantus eum tuleris, vel nunc est discere: nam te,
  Ora tua hic quisquis conspicit, omnis amat.

59.

Urbe tua, Sicyon, lepidae praecepta Camenae
  Cum Bromio ludens Gratia terna dedit,
Risus acumen habet; castigaturque iocando
  Vita; bonos mores ebria turba docet.

60.

Non facile in lucem venies, si forte meatus
  Incideris, noster quos labyrinthus habet.
Tam tortis Cassandra furit fanatica verbis,
  Quae Priamo memori nuntius ore refert.
Si tibi Calliope cor imbuit, accipe: Musae
  Si rudis es, manibus non nisi pondus habes.

61.

Callimachi carmen teres aspicis: omnia quippe
  Qui sacra Musarum commovet hoc opere.
Est Hecales isthic casa parva, sed hospita Thesei,
  Theseos et sudans in Marathone labor.
Par habeas opto robur, Marcelle, iuventae,
  Laude nec omnigena sit tibi vita minor.

62. ΑΔΕΣΠΟΤΟΝ.

Ἀ μάκαρ ἀμβροσίῃσι συνέστιε φίλτατε Μούσαις,
  χαῖρε καὶ εἰν Ἀΐδεω δώμασι, Καλλίμαχε.

63. ΑΛΛΟ.

Ἀ μέγα Βαττιάδαο σοφοῦ περίπυστον ὄνειαρ,
  ἦ ῥ᾽ ἐτεὸν κεράων, οὐδ᾽ ἐλέφαντος ἔης.
τοῖα γὰρ ἄμμιν ἔφηνας, ἅτ᾽ οὐ πάρος ἀνέρες ἴδμεν,
  ἀμφί τε ἀθανάτους, ἀμφί τε ἡμιθέους,
εὖτέ μιν ἐκ Λιβύης ἀναείρας εἰς Ἑλικῶνα
  ἤγαγες ἐν μέσσαις Πιερίδεσσι φέρων·
αἵ δέ οἱ εἰρομένῳ ἀμφ᾽ ὠγυγίων ἡρώων
  Αἴτια καὶ μακάρων εἶρον ἀμειβόμεναι.

64. ΑΛΛΟ.

Καὶ Κολοφὼν ἀρίδηλος ἐνὶ πτολίεσσι τέτυκται,
  δοιοὺς θρεψαμένη παῖδας ἀριστονόους,
πρωτότοκον μὲν Ὅμηρον, ἀτὰρ Νίκανδρον ἔπειτα,
  ἀμφοτέρους Μούσαις οὐρανίῃσι φίλους.

65. ΑΛΛΟ.

Πολλὸν ἀπ᾽ Ἰταλίης κεῖμαι χθονός, ἔκ τε Τάραντος
  πάτρης· τοῦτο δέ μοι πικρότερον θανάτου.
τοιοῦτος πλανίων ἄβιος βίος· ἀλλά με Μοῦσαι
  ἔστερξαν, λυγρῶν δ᾽ ἀντὶ μελιχρὸν ἔχω.
οὔνομα δ᾽ οὐκ ἤμυσε Λεωνίδου· αὐτά με δῶρα
  κηρύσσει Μουσέων πάντας ἐπ᾽ ἠελίους.

66. ΛΕΩΝΙΔΑ ΤΑΡ.

Γράμμα τόδ᾽ Ἀρήτοιο δαήμονος, ὅς ποτε λεπτῇ
  φροντίδι δηναιοὺς ἀστέρας ἐφράσατο,
ἀπλανέας τ᾽ ἄμφω καὶ ἀλήμονας, οἷσιν ἐναργὴς
  ἰλλόμενος κύκλοις οὐρανὸς ἐνδέδεται.
αἰνείσθω δὲ καμὼν ἔργον μέγα, καὶ Διὸς εἶναι
  δεύτερος, ὅςτις ἔθηκ᾽ ἄστρα φαεινότερα.

66] Cunichius sic:
Hic liber est Arati, sollerti carmine quondam
  Aeterna astrorum lumina qui cecinit,
Errantesque polo stellas certaque locatas

62.

O venerande bonis dulcis conviva Camenis,
Callimache, in regno nunc quoque Ditis ave.

63.

Accipe Battiadae sapientia somnia vatis,
Non ebur haec, verum cornea porta dedit,
Quippe ignota prius seclis mortalibus edunt,
Sive deûm sobolem seu canit ille deos.
Namque ipsam e Libya portans Heliconis ad arces
Pieridum iussit stare sub ora sopor.
Illae responso facili docuere rogantem
Semina prima deûm semideûmque genus.

64.

Laudibus egregias Colophon supereminet urbes,
Quae peperit natos nomina magna duos;
Patria Nicandrum veteri sociavit Homero,
Ne nova Pieridum laus aliunde foret.

65.

Italia longe iaceo patriaque Tarento,
Et magis haec res est aspera morte mihi.
Invita usque adeo vita est peregrina: sed ipsis
A Musis melior nunc mihi vita data est.
Quippe per Aonidum sacra munera tempus in omne
Concelebrat nomen fama Leonideum.

66.

Accipe deductum sapientis carmen Arati,
Omnia qui nobis sidera nosse dedit.
Seu vaga sunt seu fixa, quibus pulsatur Olympi
Regia, tam multis orbibus implicita.
Laus operis sit magna. Iovi nam proximus ille est,
Cuius ab ingenio clarius astra micant.

Sede, quibus caeli se rotat apta domus.
Salve, Arate: o vates mirande! o Iuppiter alter
Sidera quem propter fulgidiora micant!

67. ΜΕΛΕΑΓΡΟΥ.

Νᾶσος ἐμὰ θρέπτειρα Τύρος· πάτρα δέ με τεκνοῖ
  Ἀτθὶς ἐν Ἀσσυρίοις ναιομένα Γαδάροις.
Εὐκράτεω δ' ἔβλαστον ὁ σὺν Μούσαις Μελέαγρος
  πρῶτα Μενιππείαις συντροχάσας Χάρισιν.
εἰ δὲ Σύρος, τί τὸ θαῦμα; μίαν, ξένε, πατρίδα κόσμον
  ναίομεν· ἓν θνατοὺς πάντας ἔτικτε Χάος.
πουλυετὴς δ' ἐχάραξα τάδ' ἐν δέλτοισι πρὸ τύμβου·
  γήρως γὰρ γείτων ἐγγύθεν Ἀΐδεω.
ἀλλά με τὸν λάλιον καὶ πρεσβύτην † προςειπὼν
  χαίρειν, εἰς γῆρας κἀυτὸς ἵκοιο λάλον.

68. ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ.

Ἀτρέμας, ὦ ξένε, βαῖνε· παρ' εὐσεβέσιν γὰρ ὁ πρέσβυς
  εὕδει, κοιμηθεὶς ὕπνον ὀφειλόμενον,
Εὐκράτεω Μελέαγρος, ὁ τὸν γλυκύδακρυν Ἔρωτα
  καὶ Μούσας ἱλαραῖς συστολίσας Χάρισιν·
ὃν θεόπαις ἤνδρωσε Τύρος; Γαδάρων θ' ἱερὰ χθών·
  Κῶς δ' ἐρατὴ Μερόπων πρέσβυν ἐγηροτρόφει.
ἀλλ' εἰ μὲν Σύρος ἐσσί, ΣΑΛΑΜ, εἰ δ' οὖν σύ γε Φοίνιξ,
  ΝΑΙΔΙΟΣ, εἰ δ' Ἕλλην, ΧΑΙΡΕ· τὸ δ' αὐτὸ φράσον.

69. ΑΛΚΑΙΟΥ.

Σύμφωνον μαλακοῖσι κερασσάμενος θρόον αὐλοῖς
  Δωρόθεος γοεροὺς ἔπνεε Δαρδανίδας,
καὶ Σεμέλας ὠδῖνα κεραύνιον, ἔπνεε δ' ἵππου
  ἔργματ', ἀειζώων ἁψάμενος Χαρίτων·
μοῦνος δ' εἰν ἱεροῖσι Διωνύσοιο προφήταις
  Μῶμου λαιψηρὰς ἐξέφυγε πτέρυγας,
Θηβαῖος γενεήν, Σωσικλέος· ἐν δὲ Λυαίου
  νηῷ φόρμιγγα θήκατο καὶ καλάμους.

70. ΒΟΗΘΟΥ ΤΟΥ ΕΛΕΓΕΙΟΓΡΑΦΟΥ.

Εἰ τοῖος Διόνυσος ἐς ἱερὸν ἦλθεν Ὄλυμπον,
  κωμάζων Λήναις σύν ποτε καὶ Σατύροις,

67. 9. Fort. προςεειπών. Jᴀᴄᴏʙ. 68. 8. ΝΑΙΔΙΑΣ] Alii αὐδονίς.
69] Cunichius sic:
Si talis sacri ad culmen venisset Olympi
Liber cum Bacchis et Satyrûm thiaso,

67.

Me Tyrus eduxit: genuit gens Attica, sed quae
Tam procul Assyriis dissidet in Gadaris:
Eucratides vixi Musis Meleager amicus,
Sectatus Veneres, docte Menippe, tuas.
Sum Syrus: et quid tum? Mundus mortalibus una
Est domus: una hominum gentis origo chaos.
Ista vicem tumuli tabulis ego iam gravis annis
Inscribo: mortem quippe senecta prope est.
At quicunque senem me nunc salvere loquacem
Iusserit, ipse senex fiat et ipse loquax.

68.

Quisquis es, i placide: cubat hic cum gente piorum
Fatali domitus membra sopore senex.
Eucratei Meleager, Amor cui dulcia plorans
Gratiaque et Musae grande dedere decus.
Cui divina Tyros iuveni Gadarûmque sacrata
Urbs dedit et Meropum Cos alimenta seni.
Si Syrus ergo; Salam; si Phoenix, Audoni; Chaere,
Si Graecus; sed idem tu quoque redde mihi.

69.

Multiforem socians vocis modulamine lotum,
Dorotheus laudes concelebravit equi,
Fataque dura Phrygum, Semelesque in fulmine partum:
Quanta virûm illecebra est, quanta secuta Venus!
Unus hic ex numero, tot habet quot scaena ministros,
Effugit pennas, improbe Mome, tuas;
Sosicles pater est, Thebae domus: aede Lyaei
Nunc fessus calamos consecrat atque fides.

70.

Si talis superûm Liber venisset in aulam
Saltans cum Satyrûm Bassaridumque choro,

Qualem illum Pylades; toto plaudente theatro,
Saltavit leges mirifice ad tragicas,
Dixisset Iuno veteres oblita dolores:
Mentita est Semele, Bacchum ego progenui.

οἷον ὁ τεχνήεις Πυλάδης ὠρχήσατο κεῖνον
ὀρθὰ κατὰ τραγικῶν τέθμια μουσοπόλων,
παυσαμένη ζήλου Διὸς ἂν φράτο σύγγαμος Ἥρη·
ἐψεύσω, Σεμέλη, Βάκχον· ἐγὼ δ' ἔτεκον.

71. ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ.

Αὐτὸν Βακχευτὴν ἐνέδυ θεὸν, ἡνίκα Βάκχας
ἐκ Θηβῶν Ἰταλὴν ἤγαγε πρὸς θυμέλην,
ἀνθρώποις Πυλάδης τερπνὸν δέος, οἷα χορεύων
δαίμονος ἀκρήτου πᾶσαν ἔπλησε πόλιν.
Θῆβαι γιγνώσκουσι τὸν ἐκ πυρός· οὐράνιος δὲ
οὗτος, ὁ παμφάνοις χερσὶ λοχευόμενος.

72. ΑΓΑΘΙΟΥ.

Εἴ ποτε μὲν κιθάρης ἐπαφήσατο πλῆκτρον ἑλοῦσα
κούρη, Τερψιχόρης ἀντεμέλιζε μίτοις·
εἴ ποτε δὲ τραγικῷ ῥοιζήματι ῥήξατο φωνήν,
αὐτῆς Μελπομένης βόμβον ἀπεπλάσατο.
εἰ δὲ καὶ ἀγλαΐης κρίσις ἵστατο, μᾶλλον ἂν αὐτὴ
Κύπρις ἐνικήθη, κἀνεδίκαζε Πάρις.
σιγῇ ἐφ' ἡμείων, ἵνα μὴ Διόνυσος ἀκούσας
τῶν Ἀριαδνείων ζῆλον ἔχοι λεχέων.

73. ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ ΘΕΣΣΑΛ.

Φεύγεθ' ὅσοι λόκκας, ἢ λοφνίδας, ἢ καμασῆνας
ᾄδετε, ποιητῶν φῦλον ἀκανθολόγων,
οἵ τ' ἐπέων κόσμον λελυγισμένον ἀσκήσαντες,
κρήνης ἐξ ἱερῆς πίνετε λιτὸν ὕδωρ·
σήμερον Ἀρχιλόχοιο καὶ ἄρσενος ἦμαρ Ὁμήρου
σπένδομεν· ὁ κρητὴρ οὐ δέχεθ' ὑδροπότας.

74. ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ ΣΙΔΩΝΙΟΥ.

Ἑπτὰ σοφῶν, Κλεόβουλε, σὲ μὲν τεκνώσατο Λίνδος·
φατὶ δὲ Σισυφία χθὼν Περίανδρον ἔχειν·
Πιττακὸν ἁ Μιτυλάνα· Βίαντα δὲ δῖα Πριήνη·
Μίλητος δὲ Θαλῆν, ἄκρον ἔρεισμα Δίκας·
ἁ Σπάρτα Χίλωνα· Σόλωνα δὲ Κεκροπὶς αἶα·
πάντας ἀριζάλου σωφροσύνας φύλακας.

Qualem Romuleo Pylades spectare theatro
  Melpomenes sectans scita modosque dedit,
Diceret abiectis odiis regina deorum:
  Mentiris, meus hic filius est, Semele.

71.

Ad Romana tulit Thebis quom pulpita Bacchas,
  Induerat Pylades corde habituque deum:
Mixta fuit trepida cum religione voluptas,
  Urbs quom tota sacro plena furore foret.
Igne satum Thebae norunt: caelestis at ille est,
  Facundae pariunt quem sine voce manus.

72.

Virgo fidem quoties plectro percussit eburno,
  Terpsichorae filis aemula fila movet;
In tragicos eadem vocem si solvat hiatus,
  Non it Melpomenae maior ab ore sonus.
Quod si de forma fuerint certamina, vincet
  Et Venerem, iudex sit licet ipse Paris.
Sed tacuisse mihi melius, ne, si audiat Evan,
  Rursum Ariadneos appetat ipse toros.

73.

Qui canitis topper, qui betere, quique ceruses,
  Vates impliciti sentibus, ite procul.
Et quorum tenui sudans in carmine cura
  Ex sacris solas fontibus haurit aquas.
Ista dies agitur Flacco magnoque Maroni
  Non amat hic crater, queis levat unda sitim.

74.

Septem fama sophos celebrat. Cleobulus in illis
  Lindius est. Ephyre te, Periandre, dedit.
Pittace, te genuit Mitylena: Bianta Priene:
  Miletos iuris robur opesque Thalen,
Chilonem Sparte dedit: Attica terra Solonem;
  Quos prudens gravitas est comitata viros.

75. ΑΔΗΛΟΝ.

Ἡράκλειτος ἐγώ· τί μ᾽ ἄνω κάτω ἕλκετ᾽ ἄμουσοι;
  οὐχ ὑμῖν ἐπόνουν, τοῖς δέ μ᾽ ἐπισταμένοις.
εἷς ἐμοὶ ἄνθρωπος τρισμύριοι· οἱ δ᾽ ἀνάριθμοι
  οὐδείς· ταῦτ᾽ αὐδῶ καὶ παρὰ Περσεφόνῃ.

76. ΑΔΗΛΟΝ.

Μὴ ταχὺς Ἡρακλείτου ἐπ᾽ ὀμφαλὸν εἴλεε βίβλον
  τοὐφεσίου· μάλα τοι δύσβατος ἀτραπιτός.
ὄρφνη καὶ σκότος ἐστὶν ἀλάμπετον· ἢν δέ σε μύστης
  εἰσαγάγῃ, φανεροῦ λαμπρότερ᾽ ἠελίου.

77. ΘΕΟΔΩΡΙΔΑ.

Πέτρος ἐγὼ τὸ πάλαι γυρὴ καὶ ἄτριπτος ἐπιβλής·
  τὴν Ἡρακλείτου δ᾽ ἔνδον ἔχω κεφαλήν·
αἰὼν μ᾽ ἔτριψεν κροκάλαις ἴσον· ἐν γὰρ ἁμάξῃ
  παμφόρῳ αἰζηῶν εἰνοδίῃ τέταμαι.
ἀγγέλλω δὲ βροτοῖσι, καὶ ἄστηλός περ ἐοῦσα,
  θεῖον ὑλακτητὴν δήμου ἔχουσα κύνα.

78. ΑΔΗΛΟΝ.

Τὸν βίον, Ἡράκλειτε, πολὺ πλέον, ἤπερ ὅτ᾽ ἔζης,
  δάκρυε· νῦν ὁ βίος ἐστ᾽ ἐλεεινότερος.
τὸν βίον ἄρτι γέλα, Δημόκριτε, τὸ πλέον ἢ πρίν·
  νῦν ὁ βίος πάντων ἐστὶ γελοιότερος.
εἰς ὑμέας δὲ καὶ αὐτὸς ὁρῶν, τὸ μεταξὺ μεριμνῶ,
  πῶς ἅμα σοὶ κλαύσω, πῶς ἅμα σοὶ γελάσω.

79. ΙΟΥΛΙΑΝΟΥ ΤΟΥ Α. Υ. ΑΙ.

Εἰ καὶ ἀμειδήτων νεκύων ὑπὸ γαῖαν ἀνάσσεις,
  Φερσεφόνη, ψυχὴν δέχνυσο Δημοκρίτου
εὐμενέως γελόωσαν, ἐπεὶ καὶ σεῖο τεκοῦσαν,
  ἀχνυμένην ἐπὶ σοί, μοῦνος ἔκαμψε γέλως.

75] Cunichius sic;
Heraclitus ego. Quid me vexatis inertes?
  Nil volgo, doctis omnia composui.
Unus homo mille, at contra mille nec unus:
  Hoc ipsis clamo Persephonae in domibus.
78] Cunichius sic:
Nunc vitam fleto multo magis, Heraclite;
  Nam vita est fletu nunc mage digna tuo.
Nunc vitam ride magis, o Democrite, multo;

75.

Heraclitus ego. Quid inertes deprimitis me?
 Non vobis, doctis sed datus iste labor.
Unus homo plus mille mihi; tot milia nemo.
 Hoc loquor in regno nunc quoque Persephones.

76.

Heracliteos Epheseïa scripta labores
 Ne citus ad calcem volve; molesta via est.
Omnia sunt tenebrae. Magis haec sed lucida sole
 Inveniet, mysta qui duce carpit iter.

77.

Saxeus orbis eram, minima nec parte minutus,
 Hic Heracliti quom posuere caput:
At nunc littoreis sum tritior ecce lapillis,
 Quippe iuventutis me rota multa premit.
Cippus abest. Aliquid moneo tamen utile, pro me
 Nam loquitur, populum qui latrat, iste canis.

78.

Nunc magis, Heraclite, tuo quam tempore, vitam
 Fle, precor; est etenim nunc miserabilior.
Tu quoque nunc illam magis, o Democrite, ride;
 Nam risu nunquam dignior illa fuit.
Vos ego sed spectans hic haereo, quomodo possim
 Te ridendo sequi, te lacrimando sequi.

79.

Persephone, quamquam regnas ridere negantes
 In populos, animam suscipe Democriti,
Ridentem placide. Quom de te maesta doleret,
 Ipsa tua inflexa est risibus alma parens.

Nam vita est risu nunc mage digna tuo.
Ipse ambos imitari aveo, tacitusque voluto,
 Qui possim risum iungere cum lacrimis.

79] Cunichius sic:
Persephone, expertes risu, dea, quae regis umbras,
 Ridentem bona, sis, accipe Democritum.
Et tua, te amissa, misere quom maesta doleret,
 Dicitur a risu flexa fuisse parens.

80. *ΑΔΕΣΠΟΤΟΝ.*

Ἀτθίδος εὐγλώττου στόμα φέρτατον, οὐ σέο μεῖζον
φθέγμα Πανελλήνων πᾶσα κέκευθε σελίς·
πρῶτος δ᾽ εἰς τε θεὸν καὶ ἐς οὐρανὸν ὄμμα τανύσσας,
θεῖε Πλάτων, ἤθη καὶ βίον ἠγάσαο,
Σωκρατικῷ Σάμιον κεράσας μυκτῆρι φρόνημα,
κάλλιστον σεμνῆς κρᾶμα διχοστασίης.

81. *ΑΛΛΟ.*

α. Αἰετέ, τίπτε βέβηκας ὑπὲρ τάφον, ἢ τίνος, εἰπέ,
ἀστερόεντα θεῶν οἶκον ἀποσκοπέεις;
β. ψυχῆς εἰμι Πλάτωνος ἀποπταμένης ἐς Ὄλυμπον
εἰκών, σῶμα δὲ γῆ γηγενὲς Ἀτθὶς ἔχει.

82. *ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ.*

εἰς Τίμωνα τὸν μισάνθρωπον.

Μή πόθεν εἰμὶ μάθῃς, μηδ᾽ οὔνομα· πλὴν ὅτι θνήσκειν
τοὺς παρ᾽ ἐμὴν στήλην ἐρχομένους ἐθέλω.

83. *ΖΗΝΟΔΟΤΟΥ, οἱ δὲ ΡΙΑΝΟΥ.*

Τρηχείην κατ᾽ ἐμεῦ, ψαφαρὴ κόνι, ῥάμνον ἑλίσσοις
πάντοθεν, ἢ σκολιῆς ἄγρια κῶλα βάτου,
ὡς ἐπ᾽ ἐμοὶ μηδ᾽ ὄρνις ἐν εἴαρι κοῦφον ἐρείδοι
ἴχνος, ἐρημάζω δ᾽ ἥσυχα κεκλιμένος.
ἦ γὰρ ὁ μισάνθρωπος, ὁ μηδ᾽ ἀστοῖσι φιληθείς,
Τίμων, οὐδ᾽ Ἀΐδῃ γνήσιός εἰμι νέκυς.

84. *ΛΕΩΝΙΔΑ ἢ ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ.*

Τὴν ἐπ᾽ ἐμεῦ στήλην παραμείβεο, μήτε με χαίρειν
εἰπών, μήθ᾽ ὅστις, μὴ τίνος, ἐξετάσας·
ἢ μὴ τὴν ἀνύεις τελέσαις ὁδόν· ἢν δὲ παρέλθῃς
σιγῇ, μηδ᾽ οὕτως ἣν ἀνύεις τελέσαις.

85. *ΚΑΛΛΙΜΑΧΟΥ.*

α. Τίμων, (οὐ γὰρ ἔτ᾽ ἐσσί) τί τοι, σκότος ἢ φάος, ἐχθρόν;
β. τὸ σκότος· ὑμέων γὰρ πλείονες εἰν Ἀΐδῃ.

86. *ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ.*

Μὴ χαίρειν εἴπῃς με, κακὸν κέαρ, ἀλλὰ πάρελθε·
ἶσον ἐμοὶ χαίρειν ἐστὶ τὸ μὴ σὲ πελᾶν.

85] Cunichius sic:
Luxne magis, Timon, odio fuit, anne tenebrae

80.

Cecropidos terrae vox praestantissima, maius
Nil dedit eloquio Graecia tota tuo:
Ausus namque oculos in caelum ferre deumque,
Alluces nostris moribus inde facem;
Cumque supercilio Samio de Socrate nasum
Iungis, opus sancti nobile dissidii.

81.

Cuius es, et quorsum tumulo Iovis armiger instans
Astrigeras divûm suspicis ore domos?
Spector ego ad superos animae volitantis imago:
Attica terrenum terra Platonis habet.

82.

Unde ego non disces, nec quo sim nomine: sed quod
Hunc tumulum quisquis praeterit, opta mori.

83.

Funde truces spinas hinc atque hinc squallida tellus,
Horrentesque super nostra sepulchra rubos:
Ne vel avis ponat levis hîc vestigia verno
Tempore, sed segrex et sine teste cubem.
Ille ferus sum Timo, meis quoque civibus hostis,
Nec Dis ipse putat nunc satis esse suum.

84.

Hunc tumulum transi, nec me vel voce saluta:
Nec me quis fuerim, quo genitore, roga.
Sin, ne propositum peragas iter, at taciturnus
Si transibis, iter sic quoque ne peragas.

85.

Mortue dic Timon, lux displicet, an tenebrae plus?
Plus tenebrae, vestrum pars quia maior ibi est.

86.

Improbe praeter abi, nec ave mihi dicere cura.
Si tu non rides, hoc sat avere mihi est.

Sunt? Tenebrae. Plures Orcum habitant homines.
86, 2. Scil. olim legebatur γελᾶν.

87. *ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ.*

Διογένευς τόδε σῆμα, σοφοῦ κυνός, ὅς ποτε θυμῷ
ἄρσενι γυμνήτην ἐξεπόνει βίοτον,
ᾧ μία τις πήρα, μία διπλοΐς, εἷς ἅμ᾽ ἐφοίτα
σκήπων, αὐτάρκους ὅπλα σαοφροσύνας.
ἀλλὰ τάφου τοῦδ᾽ ἐκτὸς ἴτ᾽, ἄφρονες, ὡς ὁ Σινωπεὺς
ἐχθαίρει φαῦλον πάντα καὶ εἰν Ἀΐδῃ.

88. *ΟΝΕΣΤΟΥ.*

Βάκτρον, καὶ πήρη, καὶ διπλόον εἷμα σοφοῖο
Διογένευς, βιότου φόρτος ὁ κουφότατος·
πάντα φέρω πορθμῆϊ· λέλοιπα γὰρ οὐδὲν ὑπὲρ γῆς·
ἀλλά, κύον, σαίνοις, Κέρβερε, τόν με κύνα.

89. *ΛΕΩΝΙΔΟΥ.*

Ἀΐδεω λυπηρὲ διήκονε, τοῦτ᾽ Ἀχέροντος,
ὕδωρ ὃς πλώεις πορθμίδι κυανέῃ,
δέξαι μ᾽, εἰ καί σοι μέγα βρίθεται ὀκρυόεσσα
βᾶρις ἀποφθιμένων, τὸν κύνα Διογένην.
ὄλπη μοι καὶ πήρη ἐφόλκια, καὶ τὸ παλαιὸν
ἔσθος, χὠ φθιμένους ναυστολέων ὀβολός.
πάνθ᾽ ὅσα κὴν ζωοῖς ἐπεπάμεθα, ταῦτα παρ᾽ Ἅιδαν
ἔρχομ᾽ ἔχων· λείπω δ᾽ οὐδὲν ὑπ᾽ ἠελίῳ.

90. *ΑΝΤΙΦΙΛΟΥ ΒΥΖΑΝΤΙΟΥ.*

Ἡ πήρη καὶ χλαῖνα καὶ ὕδατι πιληθεῖσα
μάζα, καὶ ἡ πρὸ ποδῶν ῥάβδος ἐρειδομένη,
καὶ δέπας ἐκ κεράμοιο σοφῷ κυνὶ μέτρα βίοιο
ἄρκια· κὴν τούτοις ἦν τι περισσότερον·
κοίλαις γὰρ πόμα χερσὶν ἰδὼν ἀρύοντα βοώτην
εἶπε· τί καὶ σὲ μάτην, ὄστρακον, ἠχθοφόρουν;

91. *ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ.*

Γηράσκει καὶ χαλκὸς ὑπὸ χρόνου· ἀλλὰ σὸν οὔτι
κῦδος ὁ πᾶς αἰών, Διόγενες, καθελεῖ·
μοῦνος γὰρ βιοτῆς αὐτάρκεα δόξαν ἔδειξας
θνητοῖς, καὶ ζωῆς οἶμον ἐλαφροτάτην.

92. *ΑΔΕΣΠΟΤΟΝ.*

Ἐλθὼν εἰς Ἀΐδην, ὅτε δὴ σοφὸν ἤνυσε γῆρας,
Διογένης ὁ κύων Κροῖσον ἰδὼν ἐγέλα,

87.

Diogenes situs hic sapiens canis, ille virili
Pectore qui vitae velitis auctor erat.
Unus cui baculus, pera una et diplois una:
Haec animo frugi quippe fuere satis.
Vesani, moneo procul hoc absistite busto:
Ferre Sinopensis nescit et umbra malos.

88.

Diogenis sapientis opes sunt pera, lacerna,
Scipio; nulla fuit vita onerata minus.
Nil liqui tellure: fero mea cuncta Charonti:
Mota tua excipiat, Cerbere, cauda canem.

89.

Plutonis rigidi tetro gravis ore minister,
Qui nigra transis hunc Acheronta rate,
Diogenem me, quaeso, canem simul accipe, quamquam
Umbrarum portat vix tua navis onus.
Ampullam peramque fero veteremque lacernam
Atque obolum, merces quae tua, vector, erit.
Omnia, quae vivens habui, fero Ditis ad aulam;
Res sub sole, fuit quae mea, nulla manet.

90.

Pera, lacerna duplex et aquae permista polenta,
Et baculus gressum qui regit ante pedes,
Testaque pro cyatho, sapientis tota suppellex
Haec canis est: et in his quod superabat erat.
Viderat agricolam, cava cui manus hauserat undam,
Teque, ait, heus frustra cur ego, testa, fero?

91.

Aera dies perdit: sed nomen grande decusque,
Diogenes, adiment secula nulla tibi.
Mortales tu namque doces, satis esse putare
Quod satis et vitae non onerare viam.

92.

Risit, ut infernis Croesum conspexit in umbris,
Nimirum sapiens tunc quoque, Diogenes;

καὶ στρώσας ὁ γέρων τὸ τριβώνιον ἐγγὺς ἐκείνου,
τοῦ πολὺν ἐκ ποταμοῦ χρυσὸν ἀφυσσαμένου,
εἶπεν· ἐμοὶ καὶ νῦν πλείων τόπος· ὅσσα γὰρ εἶχον,
πάντα φέρω σὺν ἐμοί, Κροῖσε, σὺ δ' οὐδὲν ἔχεις.

93. *ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ ΘΕΣΣ.*

Οὐχὶ βαθυστόλμων Ἱππαρχία ἔργα γυναικῶν,
τῶν δὲ Κυνῶν ἑλόμαν ῥωμαλέον βίοτον·
οὐδέ μοι ἀμπεχόναι περονήτιδες, οὐ βαθύπελμος
εὐμαρίς, οὐ λιπόων εὔαδε κεκρύφαλος·
θυλὰς δὲ σκίπωνι συνέμπορος, ἅ τε συνῳδὸς
δίπλαξ, καὶ κοίτας βλῆμα χαμαιλεχέος.
ἄμμι δὲ Μαιναλίας κάῤῥων βίος ἦν Ἀταλάντας
τόσσον, ὅσον σοφίη κρέσσον ὀρειδρομίης.

94. *ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ.*

Αἰάζει πήρη τε καὶ Ἡράκλειον ἄριστον
βριθὺ Σινωπίτου Διογένευς ῥόπαλον,
καὶ τὸ χύδην ῥυπόεντι πίνῳ πεπαλαγμένον ἔσθος
διπλάδιον, κρυερῶν ἀντίπαλον νιφάδων,
ὅττι τεοῖς ὤμοισι μιαίνεται· ἦ γὰρ ὁ μέν που
οὐράνιος, σὺ δ' ἔφυς οὐν σποδιῇσι κύων.
ἀλλὰ μέθες, μέθες ὅπλα τὰ μὴ σέθεν ἄλλο λεόντων,
ἄλλο γενειητῶν ἔργον ὄρωρε τράγων.

95. *ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ.*

Οἶδ' ὅτι θνατὸς ἐγὼ καὶ ἐφάμερος· ἀλλ' ὅταν ἄστρων
μαστεύω πυκινὰς ἀμφιδρόμους ἕλικας,
οὐκέτ' ἐπιψαύω γαίης ποσίν, ἀλλὰ παρ' αὐτῷ
Ζανὶ θεοτροφίης πίμπλαμαι ἀμβροσίης.

96. *ΚΡΙΝΑΓΟΡΟΥ.*

εἰς εἰκόνα Πραξαγόρου ἰατροῦ.

Αὐτός σοι Φοίβοιο πάϊς λαθικηδέα τέχνης
ἰδμοσύνην, πανάκῃ χεῖρα λιπηνάμενος,
Πρηξαγόρη, στέρνοις ἐνεμάξατο· τοιγὰρ ἀνίαι
ὄρνυνται δολιχῶν ὁππόσαι ἐκ πυρετῶν,
καὶ ὁπόσα τμηθέντος ἐπὶ χροὸς ἄρκια θεῖναι
φάρμακα, πρηείης οἶσθα παρ' Ἠπιόνης.
θνητοῖσιν δ' εἰ τοῖοι ἐπήρκεον ἰητῆρες,
οὐκ ἂν ἐπορθμεύθη νεκροβαρὴς ἄκατος.

Pallioloque senex strato se proximat illi,
Cui dederat faciles aurifer amnis opes:
Hic quoque plus, inquit, spatii fero, nam mea porto
Omnia, quum restet nil tibi, Croese, tui.

93.

Non ego feminei mores Hipparchia sexus,
Sed mare sum fortes corde secuta canes.
Non placuit pallam substringens fibula, non pes
Vinctus, et unguentis oblita vitta mihi.
Sed baculus nudique pedes, quaeque artubus haeret
Diplois, inque locum dura cubilis humus.
Maenaliae tantum potior mea vita puellae,
Quanto venari quam sapuisse minus.

94.

Pera, nec immerito, nunc flet, parque Herculis armis
Clava Sinopitae mascula Diogenis,
Palliolumque duplex, squallens quo sorde lutoque,
Sub mediâ brumâ non timet ille nives.
Quippe humeros velare tuos pudet: ille supernus
Quadam parte canis, tu satus in cinere.
Ornamenta tibi non convenientia pone:
Quae leo, non eadem debet habere caper.

95.

Me scio mortalem, sed quom volventia caelo
Contuor inque suas astra relapsa vias,
Non ultra pedibus tango sola, sed Iovis hospes
Nectare caelesti pascor et ambrosia.

96.

Ipse manus panaces succo tibi maximus unxit
Phoebigena atque artes tradidit ipse suas,
Praxagora, fixitque animo: quos namque dolores
Corporibus febris gignere longa solet,
Et bene quae sectis ponantur in artubus herbae,
Quis liquor, a miti doctus es Epione.
Si medici tales multi mortalibus essent,
Non, ut nunc, umbris iret onusta ratis.

95. 2. *Contuor*] Quidni *Suspicio*?

ΤΥΡΤΑΙΟΥ ΕΛΕΓΕΙΑΙ ΔΥΟ.

I.

Ἀλλ᾽, Ἡρακλῆος γὰρ ἀνικήτου γένος ἐστέ,
θαρσεῖτ᾽, οὔπω Ζεὺς αὐχένα λοξὸν ἔχει.
Μηδ᾽ ἀνδρῶν πληθὺν δειμαίνετε, μηδὲ φοβεῖσθε,
ἰθὺς δ᾽ εἰς προμάχους ἀσπίδ᾽ ἀνὴρ ἐχέτω,
ἐχθρὰν μὲν ψυχὴν θέμενος, θανάτου δὲ μελαίνας
κῆρας ὑπ᾽ αὐγαῖσιν ἠελίοιο φίλας.
Ἴστε γὰρ, ὡς Ἄρεως πολυδακρύτου ἔργ᾽ ἀΐδηλα,
εὖ δ᾽ ὀργὴν ἐδάητ᾽ ἀργαλέου πολέμου·
καὶ πρὸς φευγόντων τε διωκόντων τ᾽ ἐγένεσθε,
ὦ νέοι, ἀμφοτέρων δ᾽ εἰς κόρον ἠλάσατε.
Οἳ μὲν γὰρ τολμῶσι, παρ᾽ ἀλλήλοισι μένοντες,
εἴς τ᾽ αὐτοσχεδίην καὶ προμάχους ἰέναι,
παυρότεροι θνήσκουσι, σάουσι δὲ λαὸν ὀπίσσω·
τρεσσάντων δ᾽ ἀνδρῶν πᾶσ᾽ ἀπόλωλ᾽ ἀρετή.
Οὐδεὶς ἄν ποτε ταῦτα λέγων ἀνύσειεν ἕκαστα,
ὅσσ᾽, ἢν αἰσχρὰ πάθῃ, γίγνεται ἀνδρὶ κακά.
Ἀργαλέον γὰρ ὄπισθε μετάφρενόν ἐστι δαΐζειν
ἀνδρὸς φεύγοντος δηΐῳ ἐν πολέμῳ.
Αἰσχρὸς δ᾽ ἐστὶ νέκυς κατακείμενος ἐν κονίῃσιν.
νῶτον ὄπισθ᾽ αἰχμῇ δουρὸς ἐληλαμένος.
Ἀλλά τις εὖ διαβὰς μενέτω ποσὶν ἀμφοτέροισιν
στηριχθεὶς ἐπὶ γῆς, χεῖλος ὀδοῦσι δακών,
μήρους τε κνήμας τε κάτω καὶ στέρνα καὶ ὤμους
ἀσπίδος εὐρείης γαστρὶ καλυψάμενος.
Δεξιτερῇ δ᾽ ἐν χειρὶ τινασσέτω ὄβριμον ἔγχος,
κινειτω δὲ λόφον δεινὸν ὑπὲρ κεφαλῆς·
ἔρδων δ᾽ ὄβριμα ἔργα διδασκέσθω πολεμίζειν,

TYRTAEI ELEGIAE DUAE

AB

HUGONE GROTIO IN LATINUM CONVERSAE.

I.

Audite, invicti quando genus Herculis estis:
    Obstipo nondum Iuppiter est capite.
Ne stantum contra numerum trepidate virorum,
    Sed parmam primis obiicite agminibus.
Proiicite ex animo hanc animam, nec lumina Solis
    Quaerite prae Mortis nocte soporifera:
Scitis enim, saevi quam facta illustria Martis,
    Quam sit bellorum nobilis ille furor,
Saepe fugam experti, fugientes saepe secuti:
    O iuvenes, sors vos ista, nec ista latet.
Nam qui consertis clipeorum umbonibus audent
    Cominus in primos volnera ferre viros,
Saepe minus pereunt et servant pone sequentes:
    At timidis virtus undique disperiit.
Nec quisquam fando valeat memorare, malorum
    Degeneres animos milia quanta premunt.
Turpe etenim trepido fugientem proelia cursu
    Imbelli dorso volnera suscipere:
Turpe et pulverea stratum tellure cadaver,
    Cuius ab hostili cuspide terga rubent.
Sed bene progressus miles pede calcet utroque
    Tellurem et labrum dente premat tacito:
Crus latosque humeros et pectus forte femurque
    Ventroso clipeus ferreus orbe tegat;
Dextera sed validam summa vi torqueat hastam,
    Pennata et galeam crista supervolitet.
Discite belligeram faciendo fortiter artem,

μηδ᾽ ἐκτὸς βελέων ἱστάτω ἀσπίδ᾽ ἔχων.
ἀλλά τις ἐγγὺς ἰών, αὐτοσχεδὸν ἔγχεϊ μακρῷ
ἢ ξίφει οὐτάζων, δήιον ἄνδρ᾽ ἑλέτω·
καὶ πόδα πὰρ ποδὶ θείς, καὶ ἐπ᾽ ἀσπίδος ἀσπίδ᾽ ἐρείσας,
ἐν δὲ λόφον τε λόφῳ καὶ κυνέην κυνέῃ
καὶ στέρνον στέρνῳ πεπλημένος, ἀνδρὶ μαχέσθω,
ἢ ξίφεος κώπην ἢ δόρυ μακρὸν ἑλών.
ὑμεῖς δ᾽, ὦ γυμνῆτες, ὑπ᾽ ἀσπίδος ἄλλοθεν ἄλλος
πτώσσοντες, μεγάλοις βάλλετε χερμαδίοις,
δούρασί τε ξεστοῖσιν ἀκοντίζοντες ἐς αὐτούς,
τοῖσι πανοπλίταις πλησίον ἱστάμενοι.

II.

Οὔτ᾽ ἂν μνησαίμην, οὔτ᾽ ἐν λόγῳ ἄνδρα τιθείμην,
οὔτε ποδῶν ἀρετῆς, οὔτε παλαισμοσύνης,
οὐδ᾽ εἰ Κυκλώπων μὲν ἔχοι μέγεθός τε βίην τε,
νικῴη δὲ θέων Θρηίκιον Βορέην,
οὐδ᾽ εἰ Τιθωνοῖο φυὴν χαριέστερος εἴη,
πλουτοίη δὲ Μίδεω καὶ Κινύραο πλέον,
οὐδ᾽ εἰ Ταντα λίδεω Πέλοπος βασιλεύτερος εἴη,
γλῶσσαν δ᾽ Ἀδρήστου μειλιχόγηρυν ἔχοι,
οὐδ᾽ εἰ πᾶσαν ἔχοι δόξαν, πλὴν θούριδος ἀλκῆς,
(οὐ γὰρ ἀνὴρ ἀγαθὸς γίγνεται ἐν πολέμῳ)
εἰ μὴ τετλαίη μὲν ὁρῶν φόνον αἱματόεντα,
καὶ δηίων ὀρέγοιτ᾽, ἐγγύθεν ἱστάμενος.
ἡ δ᾽ ἀρετὴ τό τ᾽ ἄεθλον ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστον
κάλλιστόν τε φέρειν γίγνεται ἀνδρὶ νέῳ.
ξυνὸν δ᾽ ἐσθλὸν τοῦτο πόληί τε παντί τε δήμῳ,
ὅςτις ἀνὴρ διαβὰς ἐν προμάχοισι μένῃ,
νωλεμέως, αἰσχρᾶς δὲ φυγῆς ἐπὶ πάγχυ λάθηται,
ψυχὴν καὶ θυμὸν τλήμονα παρθέμενος,
θαρσύνῃ δὲ πεσεῖν τὸν πλησίον ἄνδρα παρεστώς·
οὗτος ἀνὴρ ἀγαθὸς γίγνεται ἐν πολέμῳ.
Αἶψα δὲ δυςμενέων ἀνδρῶν ἔτρεψε φάλαγγας
τρηχείας, σπουδῇ δ᾽ ἔσχεθε κῦμα μάχης.
Αὐτὸς δ᾽ ἐν προμάχοισι πεσὼν φίλον ὤλεσε θυμόν,
ἄστυ τε καὶ λαοὺς καὶ πατέρ᾽ εὐκλεΐσας,
πολλὰ διὰ στέρνοιο καὶ ἀσπίδος ὀμφαλοέσσης
καὶ διὰ θώρηκος πρόσθεν ἐληλαμένος.

Munitum scuto tela timere nefas.
Cominus aggrediens, protentam quilibet hastam
Vel gladium hostili deprimat in latere:
Haereat et scutum scuto stabilisque pedi pes,
Tum conus cono, tum galeae galea:
Pectora pectoribus coëant; sic ipsius hostis
Vel telum manibus prendite vel capulum.
Tu vero interea veles post scuta latescens,
Nec lapidum densis imbribus obruere,
Nec cessa iaculis obstantem figere turbam:
Te teget armato milite densa cohors.

II.

Non ullo in pretio, non ulla laude notandus,
Sive pedis celeris sive manus pugilis,
Sit licet et vasto Cyclopûm corpore maior
Et superet cursu Threïcium Boream,
Tum pulchrae vincat Tithonum munere formae,
Divitiis Cinyram divitiisque Midam,
Tantalidam Pelopem diffuso limite regni,
Adrastum blandi vocibus eloquii,
Omnia quin habeat, si desit adorea belli:
Quippe usus nullos tempore Martis habet,
Qui non intrepidus caedem spectare cruentam
Consertumque hosti gaudet habere pedem.
Hoc vere solidum certamen et unica virtus,
Aeterno iuvenes quae decorat decore.
Res populi, commune bonum vir robore praestans,
Immotus primis qui stat in ordinibus,
Oblitusque fugae venit in certamina Martis,
Adiiciens animum, proiiciens animam:
Qui propter stantem generosae mortis amore
Concitat: hunc bello dixeris egregium:
Quem subito hostiles pavitant fugitantque catervae,
Qui belli fluctus arte manuque regit,
Qui dulcem amittit, sed primus, in agmine vitam:
Magnus honor generi, magnus honor patriae:
Volnera multa ferens, adversa sed omnia, fosso
Pectore, lorica nec minus et clipeo.

Τὸν δ᾽ ὀλοφύρονται μὲν ὁμῶς νέοι ἠδὲ γέροντες,
  ἀργαλέῳ τε πόθῳ πᾶσα κέκηδε πόλις.
Καὶ τύμβος καὶ παῖδες ἐν ἀνθρώποις ἀρίσημοι
  καὶ παίδων παῖδες καὶ γένος ἐξοπίσω.
Οὐδέποτε κλέος ἐσθλὸν ἀπόλλυται οὐδ᾽ ὄνομ᾽ αὐτοῦ,
  ἀλλ᾽ ὑπὸ γῆς περ ἐών, γίγνεται ἀθάνατος,
ὅντιν᾽ ἀριστεύοντα μένοντά τε μαρνάμενόν τε
  γῆς πέρι καὶ παίδων θοῦρος Ἄρης ὀλέσῃ.
Εἰ δὲ φύγῃ μὲν κῆρα τανηλεγέος θανάτοιο,
  νικήσας δ᾽ αἰχμῆς ἀγλαὸν εὖχος ἕλῃ,
πάντες μιν τιμῶσιν ὁμῶς νέοι ἠδὲ παλαιοί,
  πολλὰ δὲ τερπνὰ παθὼν ἔρχεται εἰς Ἀΐδην.
Πάντες δ᾽ ἐν θώκοισιν ὁμῶς νέοι οἵ τε κατ᾽ αὐτὸν
  εἴκουσ᾽ ἐκ χώρης οἵ τε παλαιότεροι·
γηράσκων δ᾽ ἀστοῖσι μεταπρέπει· οὐδέ τις αὐτὸν
  βλάπτειν οὔτ᾽ αἰδοῦς οὔτε δίκης ἐθέλει.
Ταύτης νῦν τις ἀνὴρ ἀρετῆς εἰς ἄκρον ἱκέσθαι
  πειράσθω θυμῷ, μὴ μεθιεὶς πόλεμον.

Huius ad exsequias plorant iuvenesque senesque:
Hunc tota urbs planctu funera prosequitur.
Sed nec honore caret tumulus sobolesque superstes
Et sobolis soboles totaque posteritas.
Semper honos nomenque manent et postuma fama:
Sub tellure siti gloria morte caret:
Scilicet intrepidum quem stantem et belligerantem
Pro patria et natis Mars ferus abripuit.
Fugerit at nigrae si longa silentia noctis
Et spolia e bello victor opima ferat,
Hunc venerata minor colit, hunc et serior aetas:
Sic tumulum multo plenus honore petit:
Cuius honoratam populo nec vocibus ausit
Nec dictis quisquam laedere canitiem:
Assurgunt illi iuvenes aequaevaque turba,
Assurgunt aevo iam graviore senes.
Hoc nunc quisque paret virtutis scandere culmen,
Bellum indefesso sollicitans studio.

28] Ex errore, cui obnoxius fuit vel Scaliger, Grotius quoque h. l. *funera* nom. gen. fem. posuit pro *praefica*. Cfr. supra Anthol. Latinae Ep. 3.

APPENDIX EPICA

ET

BUCOLICA.

M. ANNAEI LUCANI

Pharsaliae Lib. IX. 511—527. 544—586.

Ventum erat ad templum, Libycis quod gentibus unum
Inculti Garamantes habent. Stat sortifer illic
Iuppiter, ut memorant, sed non aut fulmina vibrans
Aut similis nostro, sed tortis cornibus Ammon.
Non illi Libycae posuerunt ditia gentes
Templa nec Eois splendent donaria gemmis.
Quamvis Aethiopum populis Arabumque beatis
Gentibus atque Indis unus sit Iuppiter Ammon,
Pauper adhuc deus est, nullis violata per aevom
Divitiis delubra tenens; morumque priorum
Numen Romano templum defendit ab auro.
Esse locis Superos testatur silva per omnem
Sola virens Libyen. Nam quicquid pulvere sicco
Separat ardentem tepida Berenicida Lepti,
Ignorat frondes: solus nemus abstulit Ammon.
Silvarum fons causa loco, qui putria terrae
Alligat et domitas unda connectit arenas.

— — — — — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — — — — — —

Stabant ante fores populi, quos miserat Eos,
Cornigerique Iovis monitu nova fata petebant:
Sed Latio cessere duci; comitesque Catonem
Orant, exploret Libyum memorata per orbem
Numina, de fama tam longi iudicet aevi.
Maximus hortator scrutandi voce deorum

Eventus Labienus erat. „Fors obtulit, inquit,
Et fortuna viae tam magni numinis ora
Consiliumque dei: tanto duce possumus uti
Per Syrtes bellique ratos cognoscere casus.
Nam cui crediderim Superos arcana daturos
Dicturosque magis quam sancto vera Catoni?
Certe vita tibi semper directa supernas
Ad leges sequerisque deum. Datur ecce loquendi
Cum Iove libertas: inquire in fata nefandi
Caesaris et patriae venturos excute mores:
Iure suo populis uti legumque licebit,
An bellum civile perit. Tua pectora sacra
Voce reple: durae saltem virtutis amator
Quaere quid est virtus et posce exemplar honesti."
  Ille deo plenus, tacita quem mente gerebat,
Effudit dignas adytis e pectore voces.
„Quid quaeri, Labiene, iubes? an liber in armis
Occubuisse velim potius quam regna videre?
An sit vita nihil, sed longam differat aetas?
An noceat vis ulla bono? Fortunaque perdat
Opposita virtute minas? laudandaque velle
Sit satis et nunquam successu crescat honestum?
Scimus et hoc nobis non altius inserit Ammon.
Haeremus cuncti Superis, temploque tacente
Nil facimus non sponte dei: nec vocibus ullis
Numen eget: dixitque semel nascentibus auctor,
Quicquid scire licet: steriles nec legit arenas,
Ut caneret paucis, mersitque hoc pulvere verum.
Estne dei sedes nisi terra et pontus et aër
Et caelum et virtus? Superos quid quaerimus ultra?
Iuppiter est quodcunque vides, quocunque moveris.
Sortilegis egeant dubii semperque futuris
Casibus ancipites: me non oracula certum,
Sed mors certa facit: pavido fortique cadendum est.
Hoc satis est dixisse Iovem." Sic ille profatur
Servataque fide templi discedit ab aris,
Non exploratum populis Ammona relinquens.

568. — *nihil, et longa? an d. aetas* Corte.

C. VALERII FLACCI
Argonauticon Lib. VIII. 1—190.

At trepidam in thalamis et iam sua facta paventem
Colchida circa omnes pariter furiaeque minaeque
Patris habent; nec caerulei timor aequoris ultra
Nec miserae terra ulla procul; quascunque per undas
Ferre fugam, quamcunque cupit iam scandere puppim.
Ultima virgineis tunc flens dedit oscula vittis,
Quosque fugit, complexa toros, crinemque genasque
Ungue per antiqui carpsit vestigia somni
Atque haec impresso gemuit miseranda cubili:
„O mihi si profugae genitor nunc ille supremos
Amplexus, Aeeta, dares fletusque videres
Ecce meos! Ne crede, pater, non carior ille est,
Quem sequimur; tumidis utinam simul obruar undis!
Tu, precor, haec longae placidus mox sceptra senectae
Tuta geras meliorque tibi sit cetera proles."
Dixit et, Haemonio nunquam spernenda marito,
Condita letiferis prodit medicamina cistis,
Virgineosque sinus ipsumque monile venenis
Implicat ac saevum super omnibus addidit ensem.
Inde velut torto Furiarum eiecta flagello
Prosilit; attonito qualis pede prosilit Ino
In freta nec parvi meminit conterrita nati,
Quem tenet; extremum coniux ferit irritus Isthmon.
Iam prior in lucos curis urgentibus heros
Venerat et nemoris sacra se nocte tegebat,
Tunc quoque siderea clarus procul ora iuventa.
Qualis adhuc sparsis comitum per lustra catervis
Latmius aestiva residet venator in umbra,
Dignus amore Deae; velatis cornibus et iam

1. *facta*] facinora, quae iam perpetrasset, quaeque mox inceptura esset ac mala inde consecutura. — *fata* Alii, prob. Weichert: sed hoc longe infirmius illo. 3. *circum* - *agunt* Heins. „*habere* est *tenere*, *occupatum tenere*." Weich. 8. Eidem lecto incumbens, in quo tristi somno (Lib. 5, 334.) conturbata fuerat, quique lectus servabat quasi etiam tunc vestigia antiqui somni, laceravit crinem genasque." *ungue* ex emend. Burm. Weich. — *ante* Cdd. — *acta* i. e. agitata, Slothouwer et Hofmann Peerlkamp *Bibl. crit.* n. 5, p. 173. 10. *mille* Heins. „Sed *ille Aeeta*, diversae personae vocabula, perturbationem animi egregie pingunt." Dureau de Lamalle. 14. *longae* - - *senectae*] cum Cdd. Weich. *placidus senectae*, ut *grandior aevi*, *felix leti*.

Luna venit; roseo talis per nubila ductor
Implet honore nemus talemque exspectat amantem.
Ecce autem pavidae virgo de more columbae,
Quae super ingenti circumdata praepetis umbra
In quemcunque tremens hominem cadit, haud secus illa
Acta timore gravi mediam se misit; at ille
Excepit blandoque prior sic ore locutus:
„O decus in nostros magnum ventura penates,
Solaque tantarum virgo haud indigna viarum
Causa reperta mihi, iam iam non ulla requiro
Vellera teque meae satis est vexisse carinae.
Verum age, et hoc etiam, quando potes, adiice tantis
Muneribus meritisque tuis; namque aurea iussi
Terga referre sumus; socios ea gloria tangit."
Sic ait, et primis supplex dedit oscula palmis.
Contra virgo novis iterum singultibus orsa est:
„Linquo domos patrias te propter opesque meorum;
Nec iam nunc regina loquor, sceptrisque relictis
Vota sequor; serva hanc profugae, prior ipse dedisti
Quam (scis nempe) fidem. Di nostris vocibus adsunt,
Sidera et haec te meque vident; tecum aequora, tecum
Experiar quascunque vias; modo ne quis abactam
Huc referat me forte dies oculisque parentis
Ingerar; hoc superos, hoc te quoque deprecor, hospes."
Haec ait atque furens rapido per devia passu
Tollitur. Ille haeret comes et miseratur euntem,
Quom subito ingentem media inter nubila flammam
Conspicit et saeva vibrantes luce tenebras.
„Quis rubor iste poli? quod tam lugubre refulsit
Sidus?" ait; reddit trepido cui talia virgo:
„Ipsius en oculos et lumina torva draconis

cet." — *longa - - senecta* Volgo. 16. *nunquam - - spernenda*, ut pote quae maximum commodum ac salutem ei allatura esset. — *nunquam sperunda* Barth. — *non aspernanda* Heins. 20. *eiecta*] cum Cdd. Weich. — *erecta* Volgo. 23. *ferit* „pedibus pulsat." Burm. (*parvi nati*, Melicertae. — *coniux* Athamas.) 28. Endymion, a Latmo Cariae monte. 29. — *elatis cornibus* Heins. Sed est imago Dianae prae verecundia velo caput obducentis. Caussin. 33. *super* pro *desuper*. 35. *Acta - - se misit*] cum Cdd. Weich. — *icta - - se immisit* Burm. 44. „τοῖς ἄκροις τῶν δακτύλων." W. 48. „Coniugium, quod Iason voverat." W. — *fata* Slothouweri susp. 53. *ingerar*] cum Cdd. W. — *ingerat* Volgo.

Adspicis; ille suis haec vibrat fulgura cristis.
Meque pavens contra solam videt ac vocat ultro,
Ceu solet, et blanda poscit me pabula lingua.
Dic age nunc, utrum vigilanti hostemque videnti
Exuvias auferre velis, an lumina somno
Mergimus et domitum potius tibi tradimus anguem?"
Ille silet, tantus subiit ut virginis horror.
  Iamque manus Colchis crinemque intenderat astris,
Carmina barbarico fundens pede, teque ciebat,
Somne pater: „Somne omnipotens, te Colchis ab omni
Orbe voco inque unum iubeo nunc ire draconem.
Quae freta saepe tuo domui, quae nubila cornu
Fulminaque et toto quidquid micat aethere: sed nunc
Nunc, age, maior ades fratrique simillime Leto.
Te quoque, Phrixeae pecudis fidissime custos,
Tempus ab hac oculos tandem deflectere cura.
Quem metuis me hic stante dolum? servabo parumper
Ipsa nemus: longum interea tu pone laborem."
Ille haud Aeolio discedere fessus ab auro
Nec dare permissae (quamvis iuvet) ora quieti
Sustinet; at primi percussus nube soporis
Horruit et dulces excussit ab arbore somnos.
Contra Tartareis Colchis spumare venenis
Cunctaque Lethaei quassare silentia rami
Perstat et adverso luctantia lumina cantu
Obruit atque omnem linguaque manuque fatigat
Vim Stygiam, ardentes donec sopor occupat iras.
Iamque altae cecidere iubae nutatque coactum
Iam caput atque ingens extra sua vellera cervix,
Ceu refluens Padus aut septem proiectus in amnes
Nilus et Hesperium veniens Alpheos in orbem.
Ipsa caput cari postquam Medea draconis
Vidit humi, fusis circum proiecta lacertis,
Seque suumque simul flevit crudelis alumnum:

62. Cdd. *advocat ultro*, ἀσυνδέτως. 67. *subiit tum* Cdd. aliq. 67. „Ut ipsam virginem horrore perfusam (propter se, Iasonem) videt." Weberus. 68. *lumenque* Heins. „Sed intellige capitis rotationem, quae diffusis crinibus a vatibus fieri solebat." W. 77. *me instante* Fontius. 82. Ipse illo horroris motu excussit, reiecit, quantum poterat somnum ab arbore, quam spiris amplectebatur. — *ac corpore*, vel *pectore* Heins. susp.

„Non ego te sera talem sub nocte videbam,
Sacra ferens epulasque tibi; nec talis hianti
Mella dabam ac nostris nutribam fida venenis.
Quam gravida nunc mole iaces! quam segnis inertem
Flatus habet! Nec te, saltem, miserande, peremi!
Heu saevum passure diem! iam nulla videbis
Vellera, nulla tua fulgentia dona sub umbra.
Cede Deo inque aliis senium nunc digere lucis
Immemor, oro, mei; nec me tua sibila toto
Exagitent infesta mari. Sed tu quoque cunctas,
Aesonide, dimitte moras atque effuge raptis
Velleribus. Patrios exstinxi noxia tauros;
Terrigenas in fata dedi; fusum ecce draconis
Corpus habes; iamque omne nefas, iam, spero, peregi."
Quaerenti tunc deinde viam, qua se arduus heros
Ferret ad aurigerae caput arboris: „Eia, per ipsum
Scande age et adverso gressus, ait, imprime dorso."
Nec mora fit: dictis fidens Cretheia proles
Calcat et aëream squamis perfertur ad ornum,
Cuius adhuc rutilam servabant brachia pellem,
Nubibus accensis similem aut quom veste recincta
Labitur ardenti Thaumantias obvia Phoebo.
Corripit optatum decus extremumque laborem
Aesonides longosque sibi gestata per annos
Phrixeae monimenta fugae vix reddidit arbor
Cum gemitu tristesque super coiere tenebrae.
Egressi relegunt campos et fluminis ora
Summa petunt; micat omnis ager villisque comantem
Sidereis totos pellem nunc fundit in artus,
Nunc in colla refert, nunc implicat ille sinistrae.
Talis ab Inachiis Nemeae Tirynthius antris
Ibat adhuc aptans humeris capitique leonem.
  Ut vero sociis, qui tunc praedicta tenebant
Ostia, per longas apparuit aureus umbras,

99. „Medea de luctu ac dolore cogitans, quibus afficietur draco, ut primum evigilabit nec amplius videbit custodiae suae commissum vellus, exclamat *nec te saltem peremi*, (quod satius tibi esset) ut acerbum effugeres dolorem, qui te manet cras." Caussin. 113. *squamis*] cum Aldo Weich. — *quamvis* Cdd. Volgo. 116. Iris.

Clamor ab Haemonio surgit grege; se quoque gaudens
Promovet ad primas iuveni ratis obvia ripas.
Praecipites agit ille gradus atque aurea misit
Terga prius; mox attonita cum virgine puppim
Insilit ac rapta victor consistit in hasta.
Interea patrias saevus venit horror ad aures,
Fata domus luctumque ferens fraudemque fugamque

136. *inflexit*] „armatus incessit, egit se." W. — *insurgit* Ald. — *effulsit* Heins. — *se erexit* Burm. 140 — 155. Fortuito, ut fit, loco suo quum excidissent Libri VIII. v. 146—185., quemadmodum constat ex Codd. Vatic. Bonon. Burm. Monac. et Editione principe, ubi post v. 385. temere sunt inserti, versificator aliquis Italus seculi quarti decimi vel sequentis, non monachus quidem, sed grammaticus satis callidus, qualium tunc beata erat copia inter discipulos Barzizae, Guarini, Philelphi, his lectis

Interea patrias saevus venit horror ad aures, 134
Fata domus luctumque ferens fraudemque fugamque. 135
Fundere non uno tantum quem flumina cornu 186
Accipimus: septem exit aquis; septem ostia pandit, 187

statim intellexit deesse hic non pauca, quae restituturus, levi calamo sumpto, supplementum, ut credebat, egregium margini allevit. *Luctus* scilicet Aeetae v. 135. versibus aliquot canendus erat, et ex Orpheo vel Graeco (v. 1025.) vel etiam Leodrisii Cribelli Latino:

Medeam ex servis Aeetes audit abisse;
Hinc vocat Absyrtum populumque, et ad arma vocare
Germanamque und dat quaerere iussa sororem;

iussum illud de persequenda Medea facile poterat depromi. Sed idem perridicule sane commisit, ut Aeeten, truculentum illum et ferocem, qualem recte informaverat Apollonius, (4. 231.) humi stratum ac lacrimis madidum Absyrto id mandantem induceret. Manifestum porro erat ex v. 197. *Reddidit Aesonides: Et te fidissime rector*, v. 186. seqq. residuum esse consilii ab Ergino exhibiti; unde satis concinne interpolator noster ita supplementum continuavit:

[*Sollers Neptunia proles*
Consulit, ut dubio caveant contendere cursu:
Et securus, ait, nobis et tutior Ister,]
Fundere non uno tantum quem flumina cornu
Accipimus —

Ita quidem Valerius *caecum volnus habebat*, *lato balteo* utcunque *praetectum*. At quum postea alius librarius nactus esset et codicem mancum simul atque ita interpolatum, et alterum integrum, ex hoc quidem, quae in illo deerant, supplevit, subditicia vero eiicere religioni duxit, unde factum est, ut quae Pseudo-Valerius scite coniunxerat versui 135., ipse patienter descripta conservaret credulae posteritati. Ista autem, ubicunque collocata fuissent, sinceris semel repertis, orationis continuationem misere turbare quum plerique iam ante Pium animadverterent, adsciticia, ut par erat, deleverunt, unde in nonnullis tantummodo codicibus a Bononiensi magistro fuerunt inventa. Ita, si parva magnis licet componere, ut in famoso illo Protevangelii spectro, quattuor codicum veluti familiae paullatim exstiterunt; quarum prima ex iis constat, quae cum Valerio ipso et Editionibus vulgatis conspirant; secunda vero additamentum habebat, omissis v. 136—185; tertia illud quum retineret, v. 136—185 sexdecim spuriis subiecit, ut nonnulli apud Pium; quarta omisso addita-

Virginis. Hinc subitis inflexit frater in armis;
Urbs etiam mox tota coit; volat ipse senectae
Immemor Aeetes; complentur litora bello
Nequidquam: fugit immissis nam puppis habenis.
[Occidit Aeetes, casu perculsus acerbo:
Stratus humi, carae relegens vestigia natae,
Dat gemitus lacrimasque simul vocesque resorbet.

mento, versus 136—185 perperam post v. 385. inseruit. Secundi generis an hodie quoque supersint exemplaria, plane ignoro; de reliquis satis iam constare arbitror, quod de Protevangelio nemini licet gloriari. Quintam denique in posterum ducet familiam Weichertus, ubi scilicet, quemadmodum ipse auguratus est, non multi fuerint qui secus statuant. Ab illo enim Italum commentum collocatum est post v. 140.; quo in loco minores quidem turbas excitat, quamquam sic quoque manifesta interpolationis vestigia frustra sese celabunt. Quippe bis nunc Minyae navem solvunt, v. 139 et 152. Weich.; bis Erginus ad Istrum contendere iubet socios, v. 155. Weich. et v. 194. W. (178. Burm.), priore quidem loco abrupte nimis ac misera breviloquentia tam subitum consilium unius versiculi angustissimo spatio concludens; ut taceam versum 149. aperte pugnantem cum v. 211. W. (261. B.) et v. 303. W. (287. B.) qui quum prorsus discrepent, molestiam aliquam ipsi Weicherto, etsi ex his quoque tricis sese tandem expedienti, creaverunt. Aperte autem pugnantem confidenter dico, quandoquidem formula illa v. 275. W. (259. B.) *Quis novus inceptos timor impediit Hymenaeos?* cet. manifesto indicio est in praecedentibus nunquam sermonem fuisse de classe Absyrti.

Quod autem Weichertus ait pag. 140.: „Testor omnes, qui Valerianam dictionem penitus cognitam habent, eosque rogo, ut unam tantum itemque alteram vocem notent, quae me refellat et erroris arguat:" facilis erit responsio, quamvis poëmate tam molesto decies nondum lecto, nec nisi vel ab editore vel a Persii non sano magistro toties legendo. Sexdecim per versus aemulari utique vel etiam aequare Valerium, Silium reliquosque eiusdem aevi, qui, ut Plinius verissime dixit, *maiore cura, quam ingenio carmina scribebant*, vires Italorum grammaticorum minime superabat, unde si ne una quidem vox citra manifestam cavillationem reprehendi posset, mirum profecto mihi haud accideret. At vero primum statim verbum *occidit* duplicem admittit interpretationem; nam aut dicturus erat: *concidit humi, prosternitur*, aut *subito casu perculsus actum de se credit*; sed utramque significationem verbi *occidere*, ut certo scio, non agnoscit Valerii sermo. Deinde *consulit* illud, *ut dubio caveant contendere cursu*, nimium quantum redolet hominem Italum, qui vulgari lingua sententiam ita, ni fallor, extulisset:

> — *ei lor consiglia*
> *Di non tentar quel dubbïoso varco;*

si quidem *consulit, ut* — Latinis est *curae habet, prospicit*, non vero *consilium praebet*, quod procul dubio voluit interpolator.

Adde nunc, quae insuper reprehendenda videntur: nimis tenuia pro re ipsa esse verba *poterasne tuo nocuisse parenti;* uno saltem verbo verus poëta, ut arbitror, significasset, quonam modo, qua re nocuisset. *Solam senectae spem*, vivo etiam tunc Absyrto, Medeam dicere proprie non poterat. Multa inest ἀκυρολογία in illis: *laeta et nunquam praedone marito.* Nimirum dicere volebat *dulcique carebis coniugio, laeta nunquam praedone marito;* iam metri causa inferciendum erat *et;* quod potius haec requirebat *laeta et nunquam eris praedone marito*, si versus id passus esset. Deinde dicturus erat, *undique selige pubem;* nunc metri necessitudo hominem coëgit durissime con-

Heu miser! attollens foedatam pulvere tandem
Canitiem: „Poterasne tuo nocuisse parenti,
Filia, sola meae spes non indigna senectae?
Duceris a Minyis furtim dulcique carebis
Coniugio, laeta et nunquam praedone marito!
Hic labor est, Absyrte, tuus revocare sororem:
Undique selectam pubem, iam classe parata,
Et nostro da vela mari." Tum ille impiger omen
Accipit et magni subiit mandata parentis.
  Interea velo remisque feruntur in altum
Certatim Minyae; sollers Neptunia proles
Consulit, ut dubio caveant contendere cursu:
„Et securus, ait, nobis et tutior Ister."]
  Mater adhuc ambas tendebat in aequora palmas,
Et soror atque omnes aliae matresque nurusque
Colchides aequalesque tibi, Medea, puellae.
Exstat sola parens impletque ululatibus auras:

struere *da nostro mari pubem undique selectam et vela.* Et cur *nostro* dumtaxat? epitheto et molesto et otioso. In verbis autem Aeetae nullum inerat *omen*, quod accipere potuisset iuvenis. Miseria poëticae facultatis in brevissima illa Ergini oratione: *Et securus, ait, nobis et tutior Ister* ex parte tribui debet Weicherto, quoniam quidem interpolator ipse cum aliis, ut supra significavimus, haec conglutinarat; sed etiam in hoc versiculo ineptissime iunguntur vv. *et securus et tutior.* Meas rationes humane confutare aggressus est Gustavus Pinzgerus V. C., cuius disputationem hic subiungo ex Diario Ienensi 1823. N. 78. pag. 138., ut litem alii dirimant:

„Wiewohl diese Hypothese scharfsinnig ausgedacht ist, so mangelt es ihr doch sehr an Wahrscheinlichkeit. Der fingirte Interpolator, dem Hr. O. selbst Geschicklichkeit nicht abspricht, sollte es nicht gemerkt haben, dafs bey *fraudem fugamque* v. 135. ein Genitiv nothwendig sey? Er sollte den v. 140. *Weich. Occidit Aeetes casu perculsus acerbo* hinter v. 135. so abgerissen haben, ohne für die nöthige Verbindung durch eine Partikel *Hinc* oder *Tum* oder dergleichen zu sorgen? Er sollte das unerwähnt gelassen haben, was so nothwendig ist, dafs Aeetes sich auf die Nachricht von der Flucht ans Ufer begab? Er sollte die Unschicklichkeit begangen haben, den Absyrtus v. 148. vom Aeetes anreden zu lassen, ohne zuvor des ersten Gegenwart zu berichten? Wir müssen uns diesen Interpolator zugleich als den unverständigsten und geschicktesten denken, wenn wir uns v. Hr. *O's* Annahme überzeugen sollten. Der zufällige Umstand aber, dafs sich v. 155. *Et securus, ait, nobis et tutior Ister* mit v. 186. (202. *Weich.*) *Fundere non uno tantum quem flumina cornu Accipimus* leicht verbinden läfst, ist freylich auffallend, verliert aber sehr an Sonderbarkeit, wenn man die Breite und Weitschweifigkeit, die in dem ganzen Gedichte des *Valerius* herrscht, bedenkt. Die Versetzung hingegen, welche Weichert vorgenommen, hat nach dem, was von diesem scharfsinnigen Gelehrten Seite 112 — 118. der angeführten Abhandlung erinnert worden ist, durchaus an und für sich nichts Unwahrscheinliches. Es kommt daher alles darauf an, mit welchen Gründen Hr. *Orelli* in den gedachten Versen selbst Spuren der Interpolation nachzuweisen be-

„Siste fugam, medio refer huc ex aequore puppim:
Nata, potes: quo, clamat, abis? hic turba tuorum
Omnis et iratus nondum pater; haec tua tellus
Sceptraque. Quid terris solam te credis Achaeis?
Quis locus Inachias inter tibi, barbara, natas?
Istane vota domus exspectatique Hymenaei?
Hunc petii grandaeva diem? Vellem unguibus uncis,
Ut volucris, possem praedonis in ipsius ora
Ire ratemque supra claroque reposcere cantu
Quam genui. Albano fuit haec promissa tyranno,
Non tibi; nil tecum miseri pepigere parentes,
Aesonide; non hoc Pelias evadere furto
Te iubet aut ullas Colchis abducere natas.
Vellus habe et nostris si quid super accipe templis.
Sed quid ego quemquam immeritis incuso querelis?
Ipsa fugit tantoque (nefas) ipsa ardet amore.
Hoc erat, infelix, (redeunt nam singula menti),

müht ist. Zwey Male, sagt er, segeln die Minyer ab: Vers 139. und Vers 152. Allein an der ersten Stelle *fugit immissis nam puppis habenis*, ist von dem Abstossen vom Lande, an der zweyten *velo remisque feruntur in altum certatim*, von dem Beginne der Fahrt auf hoher See die Rede: ähnliche scheinbare Widersprüche zwischen v. 155 und 194., v. 149 und 277. 303. sind von *Weichert* am a. O. S. 143—145. schon genügend beseitigt; Hr. *O.* fügt hinzu, dass die Worte *quis novus inceptos timor impediit hymenaeos*? cet. v. 275. offenbar zeigen, es sey von der Flotte des Absyrtus im Vorhergehenden noch nicht geredet worden, diefs widerspreche also dem v. 149. Allein auch hierin liegt kein Widerspruch. An der ersten Stelle heifst Aeetes den Absyrtus mit seiner Flotte den Fliehenden nachsetzen; an der zweyten wird die Furcht geschildert, welche bey der Nähe des Letzten die Griechen überfiel. Zuletzt versucht auch Hr. *O.* aus sprachlichen Gründen die Stelle verdächtig zu machen. Gleich das erste Wort *occidit* soll eine doppelte Erklärung zulassen, und entweder heissen können: *concidit humi*, *prosternitur*, oder *subito casu perculsus actum de se credit*. Allein die zweyte Bedeutung kann blofs beym Perfectum Statt finden; hier aber ist *occidit*, wie das folgende *dat* und *resorbet* beweifst, Praesens, und also nicht zweydeutig. Dafs *occidere* in der Bedeutung *hinfallen* bey *Valerius* nicht vorkomme, thut nichts zur Sache, da nichts gewöhnlicher ist, als diese Bedeutung des Verbums. Ueber *Consulit ut dubio caveant contendere cursu* v. 154. wird bemerkt, dafs *consulit, ut* blofs heifse: *wofür sorgen*, nicht *rathen*, *Rath geben*. Warum könnte aber, diefs zugegeben, nicht der Sinn seyn: „Erginus ist dafür besorgt, dafs sie sich hüten, auf ungewisser Bahn zu schiffen"? So haben die Gründe des Herausgebers keineswegs das Gewicht, um einen Zweifel an der Aechtheit jener Verse zu erregen, die von *Weichert* durch die Nachweisung ihrer Nothwendigkeit für den Zusammenhang und für die Vollständigkeit der Erzählung (S. 142.), und durch die Partikel *adhuc* v. 156. (S. 146.) auf eine überzeugende Weise dem Valerius gerettet werden." — E contrario mecum facit G. E. Weberus, vir et Latinitatis peritissimus et veri pulchrique intimo sensu praeditus. 156. *Mater*] Idyia.

Ex quo Thessalici subierunt aequora remi,
Quod nullae te, nata, dapes, non ulla iuvabant
Tegmina? non ullus tibi tum color, aegraque verba
Errantesque genae atque alieno gaudia vultu
Semper erant? Cur tanta mihi non prodita pestis,
Ut gener Aesonides nostra consideret aula
Nec talem paterere fugam? Commune fuisset
Aut certe tunc omne nefas: iremus et ambae
In quascunque vias; pariter petiisse iuvaret
Thessaliam et saevi, quaecunque est, hospitis urbem."
Sic genitrix similique implet soror omnia questu
Exululans; famulae pariter clamore supremo
In vacuos dant verba Notos dominamque reclamant
Nomine: te venti procul et tua fata ferebant.

C. SILII ITALICI

Punicorum Lib. I. v. 81—139.

Hannibalis sacramentum.

Urbe fuit media sacrum genitricis Elissae
Manibus et patria Tyriis formidine cultum,
Quod taxi circum et piceae squalentibus umbris
Abdiderant caelique arcebant lumine templum.
Hoc sese (ut perhibent) curis mortalibus olim
Exuerat regina loco. Stant marmore maesto
Effigies, Belusque parens omnisque nepotum
A Belo series: stat gloria gentis Agenor
Et qui longa dedit terris cognomina Phoenix.
Ipsa sedet tandem aeternum coniuncta Sichaeo:
Ante pedes ensis Phrygius iacet: ordine centum
Stant arae caelique deis Ereboque potenti.
Hic crine effuso atque Hennaeae numina divae
Atque Acheronta vocat Stygia cum veste sacerdos.
Immugit tellus rumpitque horrenda per umbras
Sibila, inaccensi flagrant altaribus ignes.
Tum magico volitant cantu per inania manes

179. *Tempora*, ut habent Codd. et Edd. ante Weberum, explicant dies geniales, festos. Sed quomodo id nude sic positum v. *tempora* significare potest? Mihi in mentem venit *Tegmina*, vestes, ornatûs, probavique Webero meo.

Exciti voltusque in marmore sudat Elissae.
Hannibal haec patrio iussu ad penetralia fertur,
Ingressique habitus atque ora explorat Hamilcar.
Non ille evantis Massylae palluit iras,
Non diros templi ritus aspersaque tabo
Limina et audito surgentes carmine flammas.
Olli permulcens genitor caput oscula libat
Attollitque animos hortando et talibus implet:
„Gens recidiva Phrygum Cadmeae stirpis alumnos
Foederibus non aequa premit: si fata negarint
Dedecus id patriae nostra depellere dextra,
Haec tua sit laus, nate, velis! Age, concipe bella
Latura exitium Laurentibus: horreat ortus
Iam pubes Tyrrhena tuos partusque recusent
Te surgente, puer, Latiae producere matres."
His acuit stimulis subicitque haud mollia dictu:
„Romanos terra atque undis, ubi competet aetas,
Ferro ignique sequar Rhoeteaque fata revolvam.
Non superi mihi, non Martem cohibentia pacta,
Non celsae obstiterint Alpes Tarpeiaque saxa.
Hanc mentem iuro nostri per numina Martis,
Per manes, regina, tuos." Tunc nigra triformi
Hostia mactatur Divae raptimque recludit
Spirantes artus poscens responsa sacerdos
Ac fugientem animam properatis consulit extis.
Ast ubi quaesitas artis de more vetusto
Intravit mentes superûm, sic deinde profatur:
„Aetolos late consterni milite campos
Idaeoque lacus flagrantes sanguine cerno.
Quanta procul moles scopulis ad sidera tendit,
Cuius in aërio pendent tua vertice castra!
Iamque iugis agmen rapitur, trepidantia fumant
Moenia et Hesperio tellus porrecta sub axe
Sidoniis lucet flammis; fluit ecce cruentus
Eridanus, iacet ore truci super arma virosque,
Tertia qui tulerit sublimis opima Tonanti.
Heu! quaenam subitis horrescit turbida nimbis
Tempestas ruptoque polo micat igneus aether?
Magna parant superi: tonat alti regia caeli,

Bellantemque Iovem cerno." Venientia fata
Scire ultra vetuit Iuno fibraeque repente
Conticuere: latent casus longique labores.

CLAUDII CLAUDIANI.

I. Nemesis.

(In Rufinum Lib. I. 1—23.)

Saepe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent superi terras, an nullus inesset
Rector et incerto fluerent mortalia casu.
Nam quom dispositi quaesissem foedera mundi
Praescriptosque mari fines annisque meatus
Et lucis noctisque vices, tunc omnia rebar
Consilio firmata dei, qui lege moveri
Sidera, qui fruges diverso tempore nasci,
Qui variam Phoeben alieno iusserit igni
Compleri Solemque suo, porrexerit undis
Litora, tellurem medio libraverit axe.
Sed quom res hominum tanta caligine volvi
Adspicerem laetosque diu florere nocentes
Vexarique pios, rursus labefacta cadebat
Religio causaeque viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quae currere semina motu
Affirmat magnumque novas per inane figuras
Fortuna, non arte, regi: quae numina sensu
Ambiguo vel nulla putat vel nescia nostri.
Abstulit hunc tandem Rufini poena tumultum
Absolvitque deos. Iam non ad culmina rerum
Iniustos crevisse queror: tolluntur in altum
Ut lapsu graviore ruant. —

II. Elysium.

(Pluto ad Proserpinam: de Raptu Proserp. II. v. 277—306.)

Desine funestis animum, Proserpina, curis
Et vano vexare metu. Maiora dabuntur
Sceptra nec indigni taedas patiere mariti.
Ille ego Saturni proles, cui machina rerum
Servit et immensum tendit per inane potestas.
Amissum ne crede diem. Sunt altera nobis
Sidera, sunt orbes alii; lumenque videbis

Purius, Elysium magis mirabere solem
Cultoresque pios. Illic pretiosior aetas,
Aurea progenies habitant, semperque tenemus,
Quod superi meruere semel; nec mollia desunt
Prata tibi. Zephyris illic melioribus halant
Perpetui flores, quos nec tua protulit Henna.
Est etiam lucis arbor praedives opacis,
Fulgentes viridi ramos curvata metallo:
Haec tibi sacra datur fortunatumque tenebis
Auctumnum et fulvis semper ditabere pomis.
  Parva loquor. Quidquid liquidus complectitur aër,
Quidquid alit tellus, quidquid salis aequora verrunt,
Quod fluvii volvunt, quod nutrivere paludes,
Cuncta tuis pariter cedent animalia regnis,
Lunari subiecta globo, qui septimus auras
Ambit et aeternis mortalia separat astris.
Sub tua purpurei venient vestigia reges,
Deposito luxu, turba cum paupere mixti.
Omnia mors aequat. Tu damnatura nocentes,
Tu requiem latura piis: te iudice sontes
Improba cogentur vitae commissa fateri.
Accipe Lethaeo famulas cum gurgite Parcas;
Sit fatum quodcunque voles. —

T. CALPURNII SICULI

ECLOGA VIII.

TIMETAS, TITYRUS.

Tim. Dum fiscella tibi fluviali, Tityre, iunco
Texitur et raucis resonant tua rura cicadis,
Incipe, si quod habes gracili sub arundine carmen
Compositum. Nam te calamos inflare labello
Pan docuit versuque bonus tibi favit Apollo.

Incipe, dum salices haedi, dum gramina vaccae
Detondent viridique greges permittere campo
Et ros et primi suadet clementia solis.
Tit. Hos annos canamque meam, mihi care, senectam
Tu iuvenis carusque deis in carmina cogis?
Viximus et calamis versus cantavimus olim,
Dum secura hilares aetas ludebat amores.
Nunc album caput et veneres tepuere sub annis:
Iam mea ruricolae dependet fistula Fauno.
Te nunc rura sonant: nuper nam carmine victor
Risisti calamos et dissona flamina Mopsi,
Iudice me. Mecum senior Meliboeus utrumque
Audierat laudesque tuas sublime ferebat;
Quem nunc emeritae permensum tempora vitae
Secreti pars orbis habet mundusque piorum.
Quare age, si qua tibi Meliboei gratia vivit,
Dicat honoratos praedulcis tibia manes.
Tim. Et parere decet iussis et grata iubentur:
Namque fuit dignus senior, quem carmine Phoebus,
Pan calamis fidibusque Linus, modulatibus Orpheus
Concinerent atque acta viri laudesque sonarent.
Sed quia tu nostrae Musam deposcis avenae,
Accipe, quae super hoc cerasus, quam cernis ad amnem,
Continet, inciso servans mea carmina libro.
Tit. Dic, age; sed nobis ne vento garrula pinus
Obstrepat, has ulmos potius fagosque petamus. —
Tim. Hic cantare libet: virides nam subiicit herbas
Mollis ager lateque tacet nemus omne; quieti,
Aspice, ut ecce! procul decerpant gramina tauri.
  Omniparens Aether et, rerum causa, Liquores,
Corporis et genetrix, Tellus, vitalis et Aër,
Accipite hos calamos atque haec nostro Meliboeo
Mittite, si sentire datur post fata quietis.
Nam si sublimes animae caelestia templa
Sidereasque colunt sedes mundoque fruuntur,
Tu nostros adverte modos, quos ipse benigno
Pectore fovisti, quos tu, Meliboee, probasti.
Longa tibi cunctisque diu spectata senectus
Felicesque anni nostrique novissimus aevi

Circulus innocuae clauserunt tempora vitae.
Nec minus hinc nobis gemitus lacrimaeque fuere,
Quam si florentes mors invida pelleret annos.
Nec tenuit tales communis causa querelas:
Heu! Meliboee, iaces letali frigore segnis
Lege hominum, caelo dignus, canente senecta,
Concilioque deûm. Plenum tibi ponderis aequi
Pectus erat. Tu ruricolûm discernere lites
Assueras, varias patiens mulcendo querelas.
Sub te ruris amor, sub te reverentia iusti
Floruit, ambiguos signavit terminus agros.
Blanda tibi voltu gravitas et mite severa
Fronte supercilium, sed pectus mitius ore.
Tu calamos aptare labris et iungere cera
Hortatus duras docuisti fallere curas.
Nec segnem nobis passus marcere iuventam,
Saepe dabas meritae non vilia praemia Musae.
Saepe etiam senior, ne nos cantare pigeret,
Laetus Phoebea dixisti carmen avena.
Felix o Meliboee, vale! tibi frondis odorae
Munera dat, lauros carpens, ruralis Apollo:
Dant Fauni, quod quisque valet, de vite racemos,
De campo culmos omnique ex arbore fructus.
Dat grandaeva Pales spumantia cymbia lacte,
Mella ferunt Nymphae, pictas dat Flora coronas.
Manibus hic supremus honos! Dant carmina Musae;
Carmina dant Musae, nos te modulamur avena.
Silvestris nunc te platanus, Meliboee, susurrat,
Te pinus; reboat te, quidquid carminis Echo
Respondet silvae; te nostra armenta loquuntur.
Namque prius siccis phocae pascentur in arvis
Hirsutusque freto vivet leo, dulcia mella
Sudabunt taxi, confusis legibus anni
Messem tristis hiems, aestas tractabit olivas,
Ante dabit flores auctumnus, ver dabit uvas,
Quam taceat, Meliboee, tuas mea fistula laudes.
Tit. Perge, puer, coeptumque tibi ne desere carmen.
Nam sic dulce sonas, ut te placatus Apollo
Provehat et felix dominam perducat ad Urbem.

Namque huc e silvis praesens tibi Fama benignum
Stravit iter, rumpens livoris nubila plena.
Sed iam Sol demittit equos de culmine mundi,
Flumineos suadens gregibus praebere liquores.

APPENDIX LYRICA.

I.

PERVIGILIUM VENERIS.

(repetitum ex nostra Editione maiore.)

Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet.
Ver novum, ver iam canorum, ver renatus orbis est.
Vere concordant amores, vere nubunt alites,
Et nemus comam resolvit de maritis imbribus.
Cras amorum copulatrix inter umbras arborum
Implicat casas virentes de flagello myrteo:
Cras Dione iura dicit fulta sublimi throno.
Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet.
Tunc cruore de superno spumeo Pontus globo,
Caerulas inter catervas, inter et bipedes equos,
Fecit undantem Dionen de marinis imbribus.
Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet.
Ipsa gemmis purpurantem pingit annum floribus;
Ipsa surgentes papillas de Favoni spiritu
Urget in notos penates; ipsa roris lucidi,
Noctis aura quem relinquit, spargit humentes aquas.
En micant lacrimae trementes de caduco pondere;
Gutta praeceps orbe parvo sustinet casus suos:
Hinc pudorem florulentae prodiderunt purpurae.
Humor ille, quem serenis astra rorant noctibus,
Mane virgines papillas solvit humenti peplo.
Ipsa iussit, mane totae virgines nubant rosae.
Facta Cypris de cruore deque Amoris osculis

2. *vere natus orbis est* Pithoeus, quod praetulit G. E. Weberus. 6. *gazas* Schulze. 9. *ac spumeo* S. 11. *Dionem* Wernsdorf. S. Ib. *maritis* W. 14. ∾ *turgentes* Lipsius. Ib. *paritu* S. 15, *in nodos tepentes* Web. 17. *Lacrimae micant tr.* W. *Emicant lacr.* Web. 19, *En* S. 22. *mane ut udae* W. S.

Deque gemmis deque flammis deque Solis purpuris,
Cras ruborem, qui latebat veste tectus ignea,
Unico marita nodo non pudebit solvere.
  Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet.
Ipsa Nymphas Diva luco iussit ire myrteo.
It puer comes puellis: nec tamen credi potest,
Esse amorem feriatum, si sagittas vexerit.
Ite, Nymphae; posuit arma, feriatus est Amor.
Iussus est inermis ire, nudus ire iussus est,
Neu quid arcu neu sagitta neu quid igne laederet:
Sed tamen cavete, Nymphae, quod Cupido pulcher est;
Totus est inermis idem, quando nudus est, Amor.
  Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet.
Compari Venus pudore mittit ad te virgines:
Una res est, quam rogamus: cede, virgo Delia,
Ut nemus sit incruentum de ferinis stragibus.
Ipsa vellet te rogare, si pudicam flecteret;
Ipsa vellet, ut venires, si deceret virginem:
Iam tribus choros videres feriatos noctibus
Congreges inter catervas ire per saltus tuos,
Floreas inter coronas, myrteas inter casas;
Nec Ceres nec Bacchus absunt nec poëtarum Deus.
Detine te; tota nox est perviglanda canticis:
Regnet in silvis Dione; tu recede, Delia.
  Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet.
Iussit Hyblaeis tribunal stare Diva floribus:
Praeses ipsa iura dicet, assidebunt Gratiae.
Hybla, totos funde flores, quidquid annus attulit:
Hybla, florum rumpe vestem, quantus Ennae campus est.
Ruris hic erunt puellae vel puellae montium;
Quaeque silvas quaeque lucos quaeque fontes incolunt;
Iussit omnes assidere pueri mater alitis,
Iussit et nudo puellas nil Amori credere.
  Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet,
Et recentibus virentes ducat umbras floribus.
Cras erit, quo primus Aether copulavit nuptias.

28. *nymfas* W. 31. *nymfae* W. 34. *n. cavete* W. S. 35. *Totus est in armis* W. ∾ *Est in armis totus* Scriverius. 40. *erogare* S. 42. *feriantes* W S. Web. 46. *De tenente t.* W. S. 51. *quotquot* W. 52. *florum super ut exstet* W. Ib. *Aetnae* S.

Ut pater totis creavit vernus annum nubibus,
In sinum maritus imber fluxit almae coniugis,
Unde fetus mixtus omnes aleret magno corpore.
Ipsa venas atque mentem permeante spiritu
Intus occultis gubernat procreatrix viribus,
Perque caelum perque terras perque pontum subditum
Pervium sui tenorem seminali tramite
Imbuit iussitque mundum nosse nascendi vias.
Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet.
Ipsa Troianos Penates in Latinos transtulit,
Ipsa Laurentem puellam coniugem nato dedit;
Moxque Marti de sacello dat pudicam virginem;
Romuleas ipsa fecit cum Sabinis nuptias;
Unde Ramnes et Quirites proque prole posterûm
Romuli patrem crearet et nepotem Caesarem.
Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet.
Rura fecundat voluptas, rura Venerem sentiunt.
Ipse Amor puer Dionae rure natus dicitur.
Hunc, ager quom parturiret, ipsa suscepit sinu;
Ipsa florum delicatis educavit osculis.
Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet.
Ecce iam super genestas explicant tauri latus;
Quisque tutus, quo tenetur, coniugali foedere.
Subter umbras cum maritis ecce balantum greges:
Et canoras non tacere Diva iussit alites.
Iam loquaces ore rauco stagna cygni perstrepunt.
Assonat Terei puella subter umbram populi,
Ut putes motus amoris ore dici musico
Et neges queri sororem de marito barbaro.
Illa cantat: nos tacemus. Quando ver venit meum?
Quando faciam uti Chelidon, ut tacere desinam?
Perdidi Musam tacendo, nec me Phoebus respicit.
Sic Amyclas, quom tacerent, perdidit silentium.
Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet.

60. *creuret* W. S. 61. *flexus almae* S, 69. *nepotes* W. S. 72. *Romulares* Rigler. 73. *Rhamnes.* S. 78. *Hunc ager, quom parturiret ipsa, s. s.* W. 81. *genistas* W. S. 83. *gregem* S. 90. *ut Chelidon* W.

IACOBI BALDE

CARMINA SELECTA.

(Quom aegre saepius tulissem lyrico generi nullum omnino esse locum in Anthologia mea, ad recentiores poëtas necessario nunc me converti et, quae praestantissima videbantur inter carmina Iacobi Balde *et* Sarbievii, *his duobus contentus, selegi.)*

I. THOMAE MORI CONSTANTIA.

Hic ille Morus, quo melius nihil
Titan Britanno vidit ab aethere.
  Funesta quom Regem Bolena
    Illicito furiasset aestu,

Audax iniquas spernere nuptias,
Amore veri propositum minis
  Obvertit Henrici, tyranno
    Fortior indocilisque flecti.

Non carcer illum, non Aloysia
Dimovit uxor nec trepidus gener
  Nec ante patrem Margarita
    Femineo lacrimosa questu.

Fertur monentem mitia coniugem,
Sed non et isto digna viro, procul
  Abs se remotam cum feroci
    Ut fatuam pepulisse risu.

Mox, qua fluentem se Thamesis rotat
Ad destinatum funeribus locum,
  Casto coronandus triumpho,
    Per medios properavit Anglos.

Ductum secutâ flente Britanniâ,
Non flevit unus; marmore durior,
Et certa despectante voltu
Fata tuens hilarisque torvum.

Atqui sciebat, quid sibi regius
Tortor parasset. Non aliter tamen,
Quam laureatos Sulla fasces,
Ipse suam petiit securim.

Plenus futuri quo tumulo stetit,
Postquam paventem carnificis manum
Mercede firmasset, cruento
Colla dedit ferienda ferro.

II. PYLADIS HORTUS.

Symbolum amicitiae.

Exuli quom se Pylades Oresti
Iungeret, caris geminandus annis,
Duxit, haec fatus, per amoeniorem
Phocidos hortum:

„Frater, o fragrans animi medulla,
Pars sacri maior meliorque veris,
Ex meo discas utinam vireto,
Quid sit amicus.

Fraudis expertes violae leguntur,
Candidum pectus reserant ligustra:
Germinant nigrae, tamen optimae vaccinia famae.

Flos Amor, flos est iuvenilis horti:
Quem creat Virtus, redolet sereno
Pulcher aspectu placidusque longum
Durat in aevum.

Ecce fons mersos penitus lapillos
Pervio veri retegit liquore.
Quidquid in fundo latet amnis imo,
Prodere garrit.

5. *fragrans*] Ed. Monach. 1645. — *flagrans* Ed. Colon. 1660. et Orell.

Fontis in morem penetrale nuda:
Neuter arcanum tacitus recondat.
Corde crystallus fluat ex aprico
    Clara videri.

Cur diu celes animi dolorem?
Prome: dispersus minuetur extra.
Qui tibi luget, tibi gaudet, hic est
    Verus amicus.

III. GOTEFRIDI HENRICI PAPPENHEMII

errimi herois Germani inclita mors in pugna Licia.

Fama, quid narras? Cecidit: nec ultra
Se feret campo; fuit ille vester
Hercules Franco: fuit, et triumphos
    Intulit umbris.

Pone plus iusto, mulier, loquaci
Pessulum linguae, mala Fama, fastum
Pone. Quid vanis aliena verbis
    Fata lacessis?

Heu pudor! semper meritos honores
Deterit volgus; neque bella iustà
Lance metitur, ducibusque livor
    Digna rependit.

Gloriae nullo minuenda casu
Alta sublimi manet ore Virtus:
Sola percussis labefacta nervis
    Corpora sidunt.

Stare si quondam vetat in duello
Sors virum, non et vetet incubare
Grandibus factis. Situs hic iacentem
    Altius effert.

Qualis Alpino ruit icta ferro
Quercus et postquam pedibus solutis
Colla deiecit, medio fragore
    Provocat Austros.

Hercules Suevus Monach. 17. — *quendam* Orell. err. typogr.

Sic Alexander Libyci Tonantis,
Sic humi Tydeus Danaum quievit
Strage Thebana nimioque leti
Pondere fessus.

Rebus adversis animus probatur,
Num sibi constet. Fremat hostis arma,
Vera Libertas medios per ignes
Vadit et enses.

Nil moror plebem. Iacet ille magnus,
Qui cadit magnus. Celebrat ruina,
Non premit fortem: titubatque pulchra
Truncus in ira.

Volnus armatum decorat cadaver;
Comit hoc rupti sacer oris horror
Et cicatrices et adhuc ferocis
Rudera voltus.

Fracta labenti senio vetustas
Saepe maiorem titulum meretur,
Quam recens murus. Monumenta priscae
Consule Romae;

Crebra famosam faciunt sepulcra.
Arduam vento quatiente molem,
Quom mare et littus Rhodii replerent
Fragmina monstri;

Solis in sese recidens Colossus
Advehis aeque iacuit stupendus,
Donec impostum grave funus ave-
xere cameli.

Transiens illac aliquis viator,
Dixerit visa digiti columna:
„Hic vir erectus feriebat astra
Maior Olympo."

IV. POËTAE MELANCHOLIA

om e campis redux audiret Brisacum a Duce Vinmario occupatum.

Horatianam da citharam, puer,
Unco refixam parietis, alteram
Vocalis argenti: nec illam
Munus arundineum Menalcae.
Relinque buxum. Quam propior modo,
Boeote, tangis, diripe postibus.
Nescis tot exploratus annis,
Quas lacrimans animique maestus
Amem Camenas? Tum foribus quoque
Clausis memento ducere pessulum:
Nolis apertum, me gemente
Tristia, vestibulum patere.
Lessum dolori molior: Urbs nisi
Custodiatur praesidio Dei,
Vallumque turritaeque frustra
Excubiae statuentur urbis.
Ergo Brisacum, Teutonici Iovis
Tarpeia rupes, decidit in manus
Brenni! Puer, quis fila solvit
Et numeros male feriato
Turbavit ungui? Nil sibi consonat:
Fides reducat natus ad Aufidum.
Me taedet insani laboris:
Fer cyathum et citharam repone.

V. AD DIVAM VIRGINEM

SILVA QUIETIS, vulgo Waldrast, altissimo Tyrolensium montium iugo propitiam.

Quom Auctor eam inviseret.

Diva, quam circum spatiosa late
Hinc et hinc crescit nemoralis arbos
Et supra nubes procul acta ramis
Sidera verrit:

V. 4. *verrit*] Monach. — *vertit* Col. Or.

Ut libens dignas habitare sedes
Cerno sublimem! Nebulosa quamvis
Saxa praecingant, amor egit altum
Visere montem;

Cui Therapneae metuant Amyclae
Terga conferri viridisque Cynthus,
Quaeque famosos agitata pascunt
Maenala cervos.

Verticem supra, mediusque caelum
Inter et terras humiles iacere
Arva despecto penitus remota,
Proximus astris.

Hîc moror. Vos o socii, redite
Indices voti. Stat in hoc recessu
Emori: nam quo tumulo reponam
Dignius ossa?

Spirat ex antris pietas et horror
Conscius Nymphae. Locus ipse gratum
Terret ac mulcet, Superique per prae-
cordia fusi.

Sive nimbosas quatit Auster alas,
Sive brumali Boreas minatur
Ninguidus cornu, Niveae tenemus
Virginis aulam.

Hinc ut avellar! prius ima valli
Incidet rupes pedibusque dorsum
Et caput iunget; prius ipse fontem
Deseret Oenus.

O Quies semper memoranda SILVAE,
O tuum vere meritura nomen:
Da frui fessis aliquando vera
Silva quiete.

30. — *incidat* Or. err. typogr.

VI. AD ARSACIUM MAMIRODAM MUSICUM TESTUDINIS PERITISSIMUM.

Cum festo die S. Caeciliae Auctorem ad Symphoniam invitaret. Lyra Pythagorae sive Animus temperatis affectibus concors.

Quid iuvat vatem citharas amantem
Mortuam plectris animare buxum?
Verior nostro lyra, MAMIRODA, in
Pectore cantat.

Illa, si nescis, gravis et sonora,
Constat undenis fidibus, movendis
Lege Naturae, nisi docta Virtus
Temperet arte.

Spe, metu, votis, odio, dolore,
Gaudiis, ira variamur omnes;
Corpus his nervis animusque certo
Contremit ictu.

Inter argutas resonare chordas
Est amor princeps. Age nunc et artem
Disce ludendi. Capies magistro
Certius usu.

Digna si speres, cupias honestum,
Oderis culpam, metuas timenda,
Diligas Numen, modereris irae
Laetus et insons;

Mulceas ipsos homines deosque,
Orpheo maior, pecudesque et ornos;
Totus astrorum chorus explicatas
Arriget aures.

Sin ames pravum, fugias petenda,
Peior adversis, hilaris protervum,
Saevus irasci, timidus dolere,
Turpiter audax;

Dissono, vae, quam vitiata cantu
Corda stridebunt! tua quale carmen
Musa disperdet, Stygii Camenis
Apta tyranni!

Quom ferox raptor spoliasset Aetnam,
Iamque de nigro revoluta curru
Tristis infernas Cereris subiret
Filia sedes,

Ante consistens Hymenaeus Orcum
Hac lyra maestam voluisse sponsam
Fertur et Manes hilarare; sed Proserpina flevit:

„Nuptias, eheu, miseranda nostras,"
Rapta clamabat; „resonare malim
Antra Volcani Siculaeque rupis
Nubere fabro!"

VII. AD GERVASIUM SUMMARAM

Alsatam exulem Epistola lyrica.

Amicum turbine Vinmariae tempestatis eiectum Brisaco solatur, et in Helvetia Soloduri suam calamitatem deploranti respondet.

Si nostram potes eminus
Exaudire chelyn, Summara, Martiis
Aures Idibus arrige.
Sollers Threïcii carmine barbiti
Retro vertere flumina
Ausim et Danubii non novus accola
Rheno mergere tibiam,
Summasque in scopulis Helvetiae casas
Campo nectere Boico.
Cur desideriis me stimulas tuis
Importunior Africo?
Frustra Vinmarii iussa Damastoris
Accusas tibi mollior
Quam Fortuna velit. Disce placentibus
Vel sic destitui bonis
Maternoque soli fertilis ubere.
Uvam bis decimam recens
Mutavit Bromius, sertaque spicea
Divulsit capiti Ceres,

Ex quo distineor finibus Alsatae
Nec mustum patriae bibo.
Me, si fata volunt, accipiat lacus
Trans Maeotida nigrior;
Ultra Sauromatas deferar ultimos
Et canae iuga Phasidis.
Qua convexa patent aetheris atria,
Vastam possideo domum.
Hic sum natus, ubi sum. Celebrem loco
In quovis patriam viri
Fortes inveniunt vel faciunt sibi.
Eheu! plus nimio memor,
Natalem quereris perdere glebulam.
Transportatus es ex tuo,
Non eiectus agro. Crede coloniam
Romani tibi militis
Concessam. Veteres Ausoniae duces,
Spretis montibus Italis,
Quod vincunt, habitant. Corrige tristia.
Caelum, quo tegeris caput,
Terram, quae profugo subiicitur pedi,
Nemo auferre potest. Vale.
Mirum! Sponte fides ter recinunt: Vale.

VIII. AD D. VIRGINEM ASSUMPTAM, IN EIUS PERVIGILIO.

Quae est ista, quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Cant. 8.

Quo die terris properans relictis
Tota migrasti super astra, Virgo,
Floribus stratum tibi tergus incur-
vavit Olympus:

Dulce, te visa gradiente, caeli
Carmen auditum resonare: „Qualis
Ista per nigrae loca senta silvae et
Horrida tesqua,

Qualis ascendit Dea! tota pulchra
Gaudiis gemmat liquidis, suoque in-
nixa Dilecto, volucres per auras
Floribus halat!

Talis in seram, sua regna, noctem
Luna quom venit, tenuatur Arctos;
Pallet Arcturus, positoque ferro
Languet Orion.

Talis electi speciosus oris
Phoebus, Aurora lacrimante, ridet,
Quando cristatis avibus coruscum
Mane precatur."

Inter has voces, magis elevata
Brachiis Nati superas id omne,
Quod Deus non est, animumque toto
Numine mergis.

Merge: dum dulci maris e profundo
Quod superfusum bibis, una saltem
Gutta distillet lacrimasque nostri
Temperet orbis!

IX. AD FRANCISCUM RAGUSIUM.

Symbola Pythagorae.

Vile ne fiat tibi Numen usu,
Quom nihil maius generetur ipso.
Ne Deum caeles, digitoque portet
Annulus haerens.

Fervidam spumis cave laesus ollam
Concites; non est fodicandus ignis
Ense. Sopita cineres quiescunt
Tutius ira.

Dura constanti supera labore;
Coepta successu properanter urge:
Ut nihil faecis bibiturus in cra-
tere relinquas.

Urbium nolis minui coronas.
Legibus pulchre redimitur Ara;
Lege firmantur sacra; lege cives,
Lege senatus.
Publico nunquam gradiere calle.
Nam minus peccat minus usitatus;
Plebis exemplo via trita semper
Fallit euntem.
Empta quom luctu noceat voluptas,
Criminis serum fuge poenitere:
Ne quidem gustes epulans nigras habentia caudas.
Allium raro, pia farra saepe,
Cor edes nunquam. Remove dolorem
Laetus et diris iecur ulcerosum
Linque Mycenis.
At nec infamis tibi foeda mensae
Lucra nummorum sapiant avaro:
Nec manu sumas aliena quondam
Pocula laeva.
Impiger cursus, cave transilire
Ante suspensam pedibus stateram.
Triste fas laesum. Nihil est iniquo
Iudice peius.
Laetus arride speculo nec horre.
Quod negat Natura, velis negatum.
Invidens hosti tamen abstineto
Vellere barbam.
Dis merum liba. Bene di precantur
Mentibus gratis cumulantque dona.
Quom tonat caelum, venerans memento
Tangere terram.

X. ILLUSIO POËTICA.

Quis meum supra caput urget auro
Illitus pennas? quis ephebus astris
Concolor nexam mihi cunque fingit
Ferre coronam?

Ille diductis revolutus alis
Ter quater plaudit: taciteque propter
Verticem lapsus, posito renidens
Stemmate sidit.

At simul vano manus ausa motu
Tendit in laurum, fugit et cachinno
Lene succusso puer ales elu-
ctatur in altum.

Quisquis, o nequam puer, inficeto
Me ioco ludis; quod habes, habeto
Munus et serva. Tamen ista nunquam
Serta petivi.

Non minor vates ideo canendus:
Si, quod attondent folium capellae,
Vile contemnam, nec amicta circum
Tempora gestem.

XI. POËTA APERIT MUSAE DESIDERIUM ADEUNDI HIPP-OSCO-CRENEN, FONTEM VETERUM POËTARUM.

Repulsam patitur.

POËTA.

Sincera si me Castalidum data
Fides priori restituit loco,
Amoris exorare pignus
Pace tua liceat, Thalia.

THALIA.

Quamquam bis geminos servo biverticis
Parnassi scopulos, propterea mihi
Non est lingua bisulca
Nec mens aut animus duplex.

POËTA.

O ergo fontem, quem pater Ennius
Et tussientis pulmo Laberii,
Quem cana libavit Vetustas,
Virgo mihi generosa monstra.

THALIA.

Queis desideriis, ah miser! aestuas?
Praegnantes veluti pica coquit sua,
Mentem prava cupido
Atra compede fascinat.

POËTA.

Haurire lymphas (urit enim sitis)
Hinc optem et Osco more seniliter
Bacchari et antiquos caducis
Eruere ex tumulis poëtas.

THALIA.

Malis labra sacro tingere flumine,
Quod fixà elicuit Pegasus ungulâ:
Ut spumis Aganippe
Nostras subsiliens fremit!

POËTA.

Quam dulce Flacci mî sapiat merum,
Scis ipsa, sed nunc Pacuvii scyphos
Orexis Atellana suadet
Et tepidam Matii lagenam.

THALIA.

Verbo: semper amas devia, niteris
Praeceps in vetitum: si lituos feram
Ennî, fer mihi, dices,
Claram Virgilii tubam.

POËTA.

O Diva, nunquam senseris amplius
Inobsequentem: (iuro per igneas
Phoebi sagittas!) ante dulcem
Sed sine me furere hunc furorem.

14. *pica*] " de appetentia vitiosa dicta videtur a recentioribus demum medicis, qui κίττα et κιττᾶν sic expressere." Gesnerus in Thes. 40. Totum hoc carmen (Poëmatum Tom. II. p. 223. Coloniae 1660.) explicandum est e miro et plerumque infelici, quo flagrabat poëta, studio Oscam poësin in vitam revocandi: sed Scaligerum, qui unus in prisca Latinitate velut instauranda et recreanda excelluit, Balde minime aequiparavit. Hoc et duo sequentia carmina in Delectu suo omisit patruelis meus. Mihi, quod ad argumentum saltem attinet, praestantioribus adnumeranda videbantur.

THALIA.

Sint, quae commemoras, vera: sed horridi
Fontis reliquias prodere iam vetor.
Percontanda sororum
Mens est. Cras redeas licet.

XII. AD ANDREAM PLESSULUM.

Strena MDCXLII.

ODE.

Desideratum, Plessule, barbitum
Transmitto munus. Fulgida Cynthii
Per tela corytonque et arcum et
Caesariem citharamque iuro:

Hoc ipse lusi nuper apud duces;
Hoc maximorum flumina montium
Oenumque Rhenumque et frementem
Detinui Venusinus Istrum.

Tu, si imperito pollice verberes,
Chordaeque tamquam graculus obstrepant
Vel anser ingratusve pavus:
Immerito cave conquueraris

Fecisse fucum. Nam neque qui suum
Habere Turco misit acinacem,
Misisse Scanderbegus una
Ense manum memoratur usam.

XIII. SYMPHONIA.

Poëta Guilielmo Romelio ad lyricam poësin adspiranti ostendit modum temperandi discordem citharam.

P. Experiar primum testudinis indolem canorae
Et digitos cum voce movendo,
Pertentabo lyram, num sit symphonia concors.
„Ventosa Famae gaudia ne petas.

Quid magis incertum vento? nec navita fidit
Caeruleum pelagi marmor, scalpentibus Euris.
    Nubes lanificae polo
Rarescunt: fruticeta petemus
Proxima, Frisingam viridis qua semita ducit:
Simul reversurus sepultum
Sol radiis animabit orbem.
    Femina nulla mala est. Virtutem pingimus ore
Femineo. Formosa pudorem
Servat intactum neque vendit ulli."
P. Nonne notas, Guilielme, fides hostiliter inter
Se dissidentes? Musica veritas
Chordis aberrat non bene consonis.
Ergo remotis seditionibus
Sic temperandum barbiton,
Non procul a muro: quoniam canor inde repulsus
Dissidium ferit arbitrantes
Certius aures.
Principio vox ima, cui vox nititur alta,
Est certo fundanda tenore.
Quippe suum moduli
Hinc acuunt genium conspirantesque reguntur.
Interim multi sonitus peribunt:
Donec inaequales nunquam cessante reducam
Pollice chordas.
Sensim non sine iurgio
Placabit resides quatiens sententia nervos.
    „Spes est dulce pati. Quies
Optima centonis: nam regum purpura noctem
Saepe trahit vigilem.
    Si quisque sciret gaudia pauperis,
Nullus sollicito dives dormiret in auro.
    Triste publicum fori
Vitat expertus sapiens: nec imae
Dignatur subsellia plebis.
In suo felix animus recessu
Intima lustrat."
P. Paullatim aptantur socialia carmina nervis.
    „Rapto terrigenae vivimus: hoc meum est,

Virtus quod mea Fatis
Armata eripiet manu.
Cetera vanescunt ludibria mobilis aurae.
Rex hic eligitur bene,
Prima cui testis populi dedit suf-
fragia virtus.
Alcide mihi maior est,
Cui volgus domitum, belua centiceps,
Strato procubuit pede.
Aurea lingua
Verba volventis valeant eandem
Facta monetam.
Cur iactas abdomen opacum,
Pingue pecus? Simul interisti,
Sub tumulo cineris relicti
Quot libras leve funus habebis."
P. Parva mora est: et erunt septem discrimina vocum.
„Humana sidunt omnia. Fortium
Quot mors virorum subruit agmina?
Ceu Boreas populator Arcti
Sternit acanthos.
Heu! quanta sub nocte iacet clarissima quamvis
Nostra dies! Sequere extrahentes
E tenebris superos; et ignem
Aetherium bibe pectore toto.
Non est fabula dignior
Spectatore deo, quam patiens vir et
Morbo cedere nescius.
Citra animum cecidere saevae
Tela Fortunae miseros negantem
Edere questus.
Audis hoc, Dea fallax?
Habere nummos eripias licet,
Perfida saltem
Non rapies habuisse quondam."
P. Tandem submotis erroribus assilit Echo
Dulcior. Nervos digitis subegi.
Reddo concordes. Velit his crinitus Iopas
Ludere. Tu citharam

Accipe, Romeli, radiosque infringe sonantes,
Sive iuvat minimos fidibus depectere versus:
„Fortem non ego dixerim,
Quem belli spoliis gravem
Imbelli superat colu
Formosum, mulier, malum.
Hic est Herculeus labor
Non vinci velut Hercules."
Sive iuvat tragicum numeris implere theatrum:
„Regali canimus caede Neapolim
Famosam. Lacrimas funde, Suevia.
Praeceps immerito Carolus, heu nefas!
Exstinxit iugulo sanguineam sitim.
Sceptro quis iuvenis fidat et annulo?
Fatis iste tuum prodidit improbis,
Conradine, caput."
Seu proprium Flacco mens est subiungere carmen,
Idque vel incisum, priscisque aequale cothurnis:
„Metire primum, ne peragas scelus.
Nil concupiscens, possidet omnia.
Regnum est carere posse regno.
Semper inops inhians futuris.
Quaesita laus in probra relabitur.
Ignotus orbi notior est sibi.
Stetere non pauci iacendo:
Stando etiam iacuere multi."
Vel tantum lyrici vatis concentibus aptum:
„Ne differ Hunnos pellere patria.
Virtus, ligonum more rubentium,
Splendescit attritu, labore
Continui renovanda belli.
Iactura non est morte perennius
Aevum pacisci. Qui patriae memor
Corpus fatigatum reclinat
Volneribus, iacet in triumpho."

XIV. CHOREAE MORTUALES.

Saltemus! Socias iungite dexteras.
Iam Manes dubius provocat Hesperus,
Per nubes tremulum Cynthia candidis
    Lumen cornibus ingerit.

In lodice senes non bene pendula,
In ferruginea cyclade virgines;
Sed picta violis grex tener instita
    Alternos facimus pedes.

Hîc et pontificum thure fragrantibus
Rus pastoris olens pileus infulis,
Et regum Tyriis paenula vestibus
    Miscentur, sine nomine.

Nullus de tumulo sollicitus suo
Aut pompae titulis, invidet alteri.
Omnes mors variis casibus obruit,
    Nullo nobilis ordine.

Nobis nostra tamen sunt quoque sidera;
Sed formosa minus, sunt Zephyri, licet
Veris dissimiles, auraque tenuior
    Cupressisque frequens nemus.

O dulces animae, vita quibus sua
Est exacta: nigris sternite floribus
Quam calcamus humum; spargite lilia
    Fuscis grata coloribus.

Aptos ut choreis inferimus pedes!
Ut nullo quatitur terra negotio!
Dempta mole leves et sine pondere
    Umbrae ludimus alites.

Ter cantum tacito murmure sistimus,
Ter nos Elysium vertimus ad polum.
Ter noctis tenebras (stringite lumina)
    Pallenti face rumpimus.

Nos quicunque vides plaudere Manibus,
Cantabis similes tu quoque naenias.
Quod nunc es, fuimus. Quod sumus, hoc eris.
    Praemissos sequere et vale.

XV. CANTUS DURUS.

Vana res, vana est etiam poësis.
Ipse nos flocci facit, utque viles
Durus huc illuc tetricusque servos
Versat Apollo.

Quo mihi munus Latiale, Phoebi
Ore iactatum, lyra pulchra, si non
Detur accepti, quoties cupido est,
Muneris usus?

Cesserat cornu fugiente Luna
Memnonis matri, roseum cubilis
Limen egressae: modico manebat
Lucifer igni.

Audio voces avium relictis
Musicas dudum vigilare nidis,
Ceteras princeps volucres regebat
Thracia pellex.

Surgo confestim; patulamque dextro
Nixus ad laevam cubito fenestram,
Astra prospecto liquidamque caeli
Metior auram.

Cuncta ridebant. Quid enim reposta
Cesso, dicebam, cithara? canamus.
Nunc sub Auroram Deus invocanti,
Spero, favebit.

Teutonum laetos dabit intueri
Forsan eventus. Utinam ruentis
Patriae luctum lacrimasque cantu
Sistere possim!

Fatus haec apto digitos et ora.
Ecce! Germanos quoties volebam,
Gallicos, verso meliore voto,
Dico triumphos.

Utque conductus Balaamus olim
Isaci stirpem lacerare probris,
Hanc volens nolens cumulavit omni
Laude beatam:

Sic ego Gallos; neque mi licebat
Orsa mutatis tenuare verbis.
Gallus et linguam subit et moventes
Carmina nervos.

Sponte vocales sonuere venae.
Sponte succussae tremuere chordae.
Haud mei iuris, rapido ferebar
Flaminis oestro.

Qualis in ponto volat acta navis,
Vela quom turgens sinuavit Eurus.
Illa nec nautae gemitum nec ictus
Remigis audit.

Nitor adversum tamen. Ah et eheu
Vaeque dicturo miserasque clades,
Gallicus Paean et ïo resultat
Gallicus Evan.

Teutonum captus ter amore Francos
Tristibus diris paro devovere:
Iussa ter Francis melius precata est
Plena Deo mens.

Ut laboravi fremuique contra:
Castra fortunent Alemanna Divi!
Martiis aether aquilis secundum
Accinat omen!

Frigus invasit digitos et horror,
Torpet infuso manus a veterno.
Aspera sensi glacie rigari
Pectus et ora.

Qualis e somni nebula locutus
Trunca molitur sine mente verba,
Luctor. „O Germania, pelle," dixi,
„Languida curas."

„Regnum eris felix iterumque deinceps
„Hostibus Germania clara victis.
„Invidendum nomen habebis atque
„Consiliorum

„Fertilis tu nobilium frueris
„Copia. Iam nunc inimica cedent
„Agmina ex campo; aufugientiumque
„Terga videbis.

„Iunge tantum et collige sparsa membra
„Paene collapsi Imperii; ac feroces
„Exsere, o nunc, relliquias et antiquum
„Exsere robur.

„Namque multis mox spoliis opimis
„Suecicis ditaberis: ac superba
„Maior exaltabere Dindymene
„Turrigeraque.

„Scilicet, regina beata, tanti est
„Urbium concordia principumque
„Foederatorum. Nihil amplius te,
„O decus, anget."

Talibus vates (pudor) immorabar
Claudicans metris, neque digniora
Largiebatur Patareus, etsi
Ilia rupsem.

Ergo maerenti stimulatus ira
Barbitum mensae fidibus solutis
Bis ter illisi; iacuere centum
Fragmina terris.

XVI. AD IO. ALBULAM.

Virtutis Genius.

Virtus aetherei conscia sanguinis
Astrorumque soror, non amat, Albula,
Inter serpere fungos
Et declivia vallium.

Semper summa petit, quo neque nubium
Nautam, Romulei flammigerum Iovis
Pleno concita vento
Transfert penna satellitem.

Illius labor est nobile pabulum:
Acclinis clipeo porrigitur quies;
Accenditque soporem
Belli dulce periculum.

Iam cum sidereis otia fratribus,
Iam cum fulminibus proelia dividit;
Lustralique Tonantis
Gestit sulfure spargier.

Supra fata rapax tollere se, domat
Formosis humilem sub pedibus metum.
Si Fortuna lacessit,
Constans adiicitur sibi.

At, quom pulvereo fumat ab aequore,
Corpus non gelida fluminis abluit:
Sed sudore lavatur,
Neglectu Dea pulchrior.

Auri nulla fames, nulla sitis lucri.
Dedignatur humum figere spiculis.
Arcûs tota cupido
Metam fertur in arduam.

Promittente necem volnere gloriae,
Migrat cum domino fida comes suo:
Heredique superbit
Linqui ceu spolium pigro.

XVII. POËTA

scripturus historiam sui temporis VERITATI nudam aram ponit. M. DC. XLII.

Qualem Noëmus montibus altior
Enavigatis, Oceani simul
Subsedit aestus, fertur aram
Ex rudibus statuisse saxis:

Hîc pono supplex, o Dea, pulchrius
Soluta crines, rustica Veritas.
Non Atticum promitto marmor
Arte Scopae variatum et auro,

Superque eburni pocula Mentoris.
Natura cultu simplice gratius
Divos honorat, prona far vel
Viva focis adolere thura.

Quamvis Sabaeo funera misceas
Odore, foetent. Quidquid in ambitum
Libido cogit seu labore
Seu pretio, minus enitescit

Metu veneni. Cinnamei quoque
Incensa libri pagina proditur
Halare suspectum vaporem.
Difficile est, volitante fumo

Nares aduncas demere posteris.
Impune Manes subiiciunt sibi
Moresque censendos supinant
Factaque discutiunt avorum.

Dicenda pictis res phaleris sine
Et absque palpo. Discite strenuum
Audire verum. Me sciente
Fabula non peragetur ulla.

Non est meum descendere ad oscula
Impura Famae et fingere bracteas;
Larvisque luctari superbis
Aut nimias acuisse laudes.

Adversa quod si sors mihi durius
Nunquam ferendis conditionibus
Obstet, reluctantemque cogat
Non nisi delicias loquaces

Et laureatas scribere literas;
Sparte relicta, corripiam silens
Iniqua tum vindex amaro
Secula despiciamque risu.

XVIII. CORONA REGIA TEGUMENTUM HUMANAE MISERIAE.

Quom anno MDCXLI. ex Hispania, Anglia, Italia, Scotia et Hibernia crebrae regnorum seditiones nuntiarentur.

Esse quid hoc dicam? laceri quod fragmina mundi
In ipsa regum torqueat
Martius ora furor!

Inde cicatrices diademataeque resultant
Molesta frontis tubera
Purpureaeque notae.

Quae licet a gemmis Indorum more coruscent,
Non et minoris saucio
Causa doloris erunt.

Ut video, non ad splendorem inventa corona est.
Necessitatis vinculum
Volnera facta tegit.

Imposito reges exorna Iuppiter auro!
Tu, Phoebe, lauro mollius
Tempora cinge mea!

XIX. AD VALERIUM ADONEM LAURENTII ADONIS FRATREM.

Musae Cingarae
sive artium et disciplinarum de regno in regnum migratio.

Tellus, quae septem subiecta Trionibus, olim
Est visa priscis barbara.
Crediderant solas habitari a Teutone silvas
Vel tesqua plena vepribus:
Lechiadas vastos ursorum insidere saltus
Geluque concretos mori:
Praeterea nullum nasci nisi mentis opacae
Sub axe spissi sideris:

Cruda velut quernas glandes ructare colonos
Ac verba tantum stridula:
Verba sono duros lapides rigidasque nivosi
Ruptura crustas fluminis.
Ut nequeant quaedam Tacito testata negari
Nec omne rus defenderim,
Altera nunc aevi facies versoque theatro
Mutata scaena prodiit:
Nam summis exculta viris Alemannia floret;
Summos dabit Polonia.
Ac nisi Gradivi furor obstrepat, extera regna
Saturniumque provocent.
Id gaudens miraris, Ado, causamque requiris;
Divino: paucis accipe.
Ex quo Parnassum vastantibus omnia Turcis
Destruxit ensis Thracius,
Expulsae patria Musae cessere Pelasga
Quaevis suo cum barbito.
Detinuit profugas Latium clementer alumnas,
Aedemque et aras obtulit.
Ut tamen ingenium leve cuiuscunque puellae est
Viventis extra patriam;
Quamvis eximiis colerentur honoribus illic,
Sedem negarunt figere.
Haesit dira semel dulcisque cupido vagandi.
Odere Terminalia
Claustrorumque moras. Muliebriter omnia lustrant,
Vicos, plateas, compita.
At solito Divae ne dignoscantur amictu,
In veste migrant comica.
Nuper apud Graffam citharae quom fila ferirem,
Repente Clio substitit,
Os habitumque gerens quatientis sistra Canopi
Aegyptiaeve Cingarae.
Laetus et ignorans, peregrina numen amicum
Latere sub ferrugine,
Flagito contemptim, visis ut Fata recludat
Manus sinistrae lineis:
Porrexique manum, specie ludentis, apertam

Fuliginosae virgini.
Illa nihil dubitans, digitos inspexit acutum
Sinusque ramosos volae;
Denique vaticinata: „Diu si vixeris, inquit,
Moriere grandaevus senex."
Ista ioco, ut possem simulatum agnoscere voltum,
„Macer manebis," addidit;
Nomine meque meo vocat, os mutata decorum
Tersa genis nigredine;
Aonia qualis Phoebi consedit in arce,
Donec sinebant Bistones.
Protinus exsiliens ego: „Cur Dea, schemate vili
Formosa celas lumina?"
Psaltria subrisit: „Nostrum est errare per urbes
Et regna, quo fert impetus.
Hoc et Calliope facit Euterpeque Eratoque:
Omnes novem Permessides
More peragramus fuscae Nilotidos orbem
Magno bono mortalium.
Qualis enim ventus grassatur et aequora flatu
Aurasque purgat inquies;
Sollicitis homines discursibus usque movemus,
Ne computrescant otio.
Utque Ceres olim, raptam a praedone marito
Quom quaereret Proserpinam,
Semina sparsit agris segetum fecunda viasque
Vestivit omnes frugibus;
Sic nos proiectis iter omne replemus avenis
Et seminamus nablia:
Excolimusque animos et barbara corda domamus
Artis canorae laudibus;
Dignamurque rudes etiam penitusque remotas
A sole gentes visere.
Non vallis, non rupis obex, non stagna retardant,
Non terret aër crassior.
Extremos hominum Morinos quos Roma putavit
Nullaque claros indole,
An non linquentes nobis suadentibus antra
Levantur in fastigium?

Tendimus et torvam Boreae glacialis ad Arcton,
Canaeque montes Russiae."
Dixit et incusso sacras velut Isidis ante
Sistro fores evanuit.
Nec tu plura velis, Valeri. Quaesita tenemus:
Stupere porro desine.
Hinc doctos non sola viros iam Graecia profert,
Nec sola tellus Itala.
Hinc est multifidi felix industria Belgae
Artes in omnes utilis.
Hinc Batavus sollers et piscatoria cymba
Multis tremenda classibus.
Hinc numeri faciles et rasi pumice versus
Tubaeque clangor aureae.
Hinc inter primas animosa tragoedia magni
Et invidenda Grotii.
Hinc est Sarmaticae fidicen celeberrimus orae,
Par Casimirus Orpheo.
Iacta, Tybri, tuos, quanto potes ore, poëtas:
Suo triumphat Vistula.

X. AD BARTHOLDUM NIHUSIUM V. C. METAMORPHOSIS.

In nova non temere mutatas crede Pelasgûm,
Bartholde, formas corpora,
Qualiacunque legis.

Nimirum causae subsunt, cur ille iuvencus,
Haec vacca fiat. Corripit
Proxima forma novam.

Obriguit Battus; sed duri rusticus oris.
Lupum Lycaon exprimit,
Saevior ante lupo.

Instar montis Atlas fit mons: fit aranea textrix.
Cunis in ipsis vagiens,
Flos Hyacinthus erat.

Salmacis in lymphas conversa est, mollior illis:
Repente Daphne germinat,
Virgo viret foliis:

Vix tamen et rami manibus distare videntur.
Pedem, comas, ut femina,
Quaelibet arbor habet.

Quid mihi contigerit, narro lacrimabile ridens:
In profluente perdidi
Nobile munus aqua.

Stabam contigui Nymphaeo nuper in horti,
Ubi trium fons anguium
Lapsus ab ore coit;

Inque tua aptabam numeros praeconia, Memmi,
Et iam sonora coeperam
Fila ferire manu:

Quom lyra nescio quo casu defluxit in undas.
Sic tres duaeque et quattuor,
Sic voluere novem:

Calliopeque Eratoque Thaliaque Melpomeneque
Clioque et Euterpe et Poly-
hymnia et Uranie.

Solam Terpsichoren, quod sit citharistria, vidi
Flentem sororum devio
Absiluisse choro.

Nequidquam exclamans porrectaque brachia tendens
Conabar exceptam vado
Tollere; lapsa natat.

Terpsichore insiliens citharamque amplexa sereno
Afflavit oris basio:
„Vive bicornis," ait.

Prodigii species! animatur sutile lignum.
In membra nervi transeunt;
Et cithara fit olor.

Quam cita, tam facilis fuit haec mutatio. Venter
Plumescit et Carystia
Saxa colore refert,

Decrescente nihil spatio. Quin profuit amplum
Sic arcuata pandere
Vellera visus olor.

Mansit et in viva longum testudine collum.
Tantum moveri molliter
Docta puella dedit.

Buxus, ubi chordas clavi tenuere, recurva
Rostri figuram concipit
Debilioris avis.

Nam nec acumen habet, sicut neque buxus habebat;
Tantoque vires corpori
Non gerit ore pares.

Plura lyrae similis, nec tota a stirpe negandus
Exsultat inter fusiles
Lubricus anser aquas.

Hinc, quia, quom caderet lyra, iam percussa canebat;
Servavit odae spiritum
Aoniosque modos.

„Vive memor nostri," vitreis modulatur in undis:
„Facunde Nestor, Nestoris
Secula longa vide.

Stamina tot Lachesis, Memmi, tibi pollice ducat,
Plumas quot albentes gero,
Candidiora meis."

Haec fatus sese muscoso condidit antro.
Confusa bullis ultima
Vox quoque carmen erat.

XXI. PROLUSIO.

Anima Philomelam ad canendum invitat.

O quae per nemorum saltus et amoena vireta
Gratior una volas,
Huc, age, frondosi ludens in valle theatri,
Huc, Philomela, veni.

Huc ades. An resonat nemus? et iam plumee coram
Phosphore Veris ades?
Te veniente nives fugiunt et bruma recedit,
Tetrior annus abit.
Nunc, quoniam fugere nives et bruma recessit,
Huc, Philomela, veni!
Quem modo non possum tristis captivus amicum,
Exul adire patrem,
Ipsa salutabis, nostrique vicaria voti
Supplice voce canes.
Ingemit. Ah! propera, propera, maestumque dolorem
Admodulata leva!

MATTHIAE CASIMIRI

SARBIEVII

CARMINA SELECTA.

LIR. I. ODE II.

AD AURELIUM LYCUM.

Ne plus aequo de adversa fortuna queratur.

Indignas, Lyce, naenias
Et maestum gemitu pectus et hispidis
Frontem nubibus expedi,
Quom Sol non solito lumine riserit
Et Fortuna volubilis
Fati difficilem iecerit aleam.
Quod vexant hodie Noti,
Cras lambent hilares aequor Etesiae.
Maestum Sol hodie caput,
Cras laetum roseo promet ab aequore.
Alterno redeunt choro
Risus et gemitus et madidis prope
Sicci cum lacrimis ioci.
Nascuntur mediis gaudia luctibus.
Sic fatis placitum: suis
Tempestiva fluunt fata periculis.
Fessos duxit heri boves,
Dat magnis hodie iura Quiritibus;
Et quae bobus ademerat
Imponit Gabiis et Curibus iuga.
Idem Phosphorus adspicit
Magnum, quem tenuem viderat Hesperus.
Quod si seria ludicris
Fortunae placeat texere, rusticus

Hesternam repetet casam
   Ridentis populi non humilis iocus;
Et quêis rexerat omnia,
   Findet laurigeris ligna securibus:
Quod si defuerit salix
   Fasces pauperibus subiiciet focis.

LIB. II. ODE III.

Ad suam testudinem.

Sonora buxi filia sutilis,
Pendebis altâ, barbite, populo,
   Dum ridet aër et supinas
      Sollicitat levis aura frondes.

Te sibilantis lenior halitus
Perflabit Euri: me iuvet interim
   Collum reclinasse et virenti
      Sic temere iacuisse ripâ.

Eheu! serenum quae nebulae tegunt
Repente caelum! quis sonus imbrium!
   Surgamus. Heu semper fugaci
      Gaudia praeteritura passu!

LIB. II. ODE XV.

AD NARVIAM.

Cuius in ripa puer admodum primum carmen lyricum cecinerat.

Albis dormiit in rosis
   Liliisque iacens et violis dies,
Primae cui potui vigil
   Somnum Pieria rumpere barbito,
Curae dum vacuus puer
   Formosi legerem litora Narviae.
Ex illo mihi posteri
   Florent Sole dies: qui simul aureae
Infregit radios lyrae,

Iam nec scuta sonat nec strepitum trucis
Gradivi, sed amabiles
Ruris delicias: sive rubentia
Udo rore rosaria
Seu molles violas sive volubilem
Leni flumine Viliam
Seu primo graciles vere Favonios.
At tu, Narvia, quem puer
Tum primum Calabra personui fide,
Ictu pectinis hoc habe
Incisum viridi carmen in ilice:
„Quem Phoebus, citharae pater,
Quem laetae citharis Pierides amant,
Laetum barbita Narviam,
Laetum virginei semper ament chori.
Haec, dum sponte virentia
Vivent in teneri volnere corticis,
Addiscent pueri tibi,
Addiscent tacitae carmina virgines:
Festo mox eadem die,
Dum glebam solidae lucis et igneas
Electri lacrimas legent,
Partiti geminis litora coetibus,
Alternis pueri tibi,
Alternis recinent carmina virgines."

LIB. IV. ODE XIV.

AD CRISPUM LAEVINIUM.

Rogatus cur saepe per viam caneret, respondet.

Quom meam nullis humeros onustus
Sarcinis tecum patriam reviso
Laetus et parvo mihi cunque dives
Canto viator;

Tu siles maestum: tibi cura Musas
Demit et multi grave pondus auri,
Quaeque te quondam male fida rerum
Turba relinquet.

Dives est qui nil habet, illa tantum,
Quae potest certa retinere dextra,
Seque fert secum, vaga quo migrare
Iussit egestas.

Quid mihi, qui nil cupiam, deesse
Possit? Umbrosi placet una Pindi
Vallis. O sacrum nemus! o iocosae
Rura Camenae!

Quae meos poscet via cunque gressus,
Delphici mecum, mea regna, colles,
Itis et fessum comitante circum-
sistitis umbra.

Me Gothus saevis religet catenis,
Me Scythes captum rapiat, soluta
Mente vobiscum potero tremendos
Visere Reges.

ODE XXIII.

Ad cicadam.

O, quae populea summa sedens coma,
Caeli roriferis ebria lacrimis,
Et te voce, cicada,
Et mutum recreas nemus:

Post longas hiemes, dum nimium brevis
Aestas se levibus praecipitat rotis,
Festinos, age, lento
Soles excipe iurgio.

Ut se quaeque dies attulit optima,
Sic se quaeque rapit: nulla fuit satis
Unquam longa voluptas;
Longus saepius est dolor.

PETRI LOTICHII SECUNDI

LIB. I. ELEG. XI.

AD AMICOS.

De suo in patriam reditu facta iam pace.

Cingite io lauri, ter io mea cingite lauri
Tempora; finito proelia Marte silent.
Nunc funesta mihi (vix possum credere tantum)
Arma licet facta pace referre domum.
Nunc scio, tranquillae quam sint bona commoda pacis,
Bellaque sint terris quale cruenta malum.
Proderit hoc olim prima didicisse iuventa:
Martis inexpertis dulce videtur opus.
Este salutati, quos sum complexus, amici,
Sive quis in studiis, seu tulit arma simul.
Vos ego nunc, animi pars nostri magna, relinquam
Natalis repetens dulcia rura soli.
Castra valete, valete enses, vale hospita tellus
Et nemus et lacrimis conscia ripa meis.
Vos quoque consortes operum, quos nuper acerbo
Funere Mars hausit turbidus ante diem,
Illustres salvete animae longumque valete,
Tuque, sed (heu) fractis cornibus, Albi, vale.
At tu parce, precor, subiectis, inclite Caesar,
Humanae factus sortis ab hoste memor.
Gloria victori est victis donare salutem,
Nec crimen, quidquid non bene cessit, habet.
Laeta volubilibus victoria passibus errat;
Et magni reges et cecidere duces.
Fallor? an incipiunt alti subsidere montes?
Spirat et e patriis lenior aura iugis?
Salve dulce solum! non mitis et optima rerum
Pax tibi, non agri fertilis uber abest.
Non tibi prata suis desunt rorantia rivis,
Ubera quique ferant nectare plena greges.
O quoties ego, Cynthi, tuas, placidissime, lymphas
Optavi! quoties, herbifer Aci, tuas!

In somnis quoties gelidos haurire liquores
Visus et herboso pellere fonte sitim!
Quom mihi succensas torreret anhela medullas
Febris et ante oculos mors foret atra meos.
Salve terra meae servans cunabula gentis,
Terra potens aequo iure Deumque metu.
Serior his utinam me vallibus occupet aetas,
Quas olim veteres incoluistis avi.
Nec mihi deficiant hortus fidique sodales,
Nec liquor, in patriis quem tulit uva iugis.
Nec lyra, maturis vires adimentibus annis,
Triste senectutis quae leve reddat onus.
Pegasides, requies curarum sola mearum,
Vos ego, quod superest, tempus in omne colam;
Vos date Castaliae, vatum pia numina, vestro
Plena sacerdoti pocula rursus aquae.
Nec mihi sit damno, quod me lacrimosa coëgit
Proelia deserto Mars Helicone sequi.
Non ego supposui tectis insontibus ignes,
Facta nec iniusta est dextera caede nocens.
Et licet ad magnos victoria flexerit hostes,
Arma tamen causa pro meliore tuli.
Vos quoque sum lituos inter veneratus et enses,
Quodque fuit vacuum tempus ab hoste, dedi.
Deque tot amissis etiam nunc pauca supersunt
Carmina, militiae tempore facta meae.
Vade agedum, consuesce legi manibusque teneri,
Parve, sed auctori care libelle tuo!
Non ego te viridi genui proiectus in umbra,
Otia quae sacris vatibus esse solent:
Sed trepidas inter pugnas, dum Carolus armis
Caesar ad infaustas fulminat Albis aquas.
Tu mihi curarum requies: tu dulce laborum,
Saepe vel obscura nocte, levamen eras.
Qualiscunque meis vivas diuturnior annis,
Perque manus serae posteritatis eas.
Aspera cum numeris gravioribus arma valete!
Pax iuvat, in teneris sint mea regna modis.